


VINDICIAE

JOANNIS JAHN.

LIPSIAE, 1822.

IN COMMISSIS APUD P. G. KUMMER.

Tibi soli tacebunt homines? et cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis?

JOB. 11, 3.

Puerilis est jactantiae, accusando illustres viros suo nomini famam quaerere.

HIERON. *Epist.* 69. *T.* 4. *P.* 2. *pag.* 608.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties?

JUVEN. *L. I. Sat.* 1.



Ad Lectorem.

Ad Tiberis ripas id sibi quidam credidit negotii dari, quas de Austriae Hermeneutis rudium quorumdam ac malevolorum vocibus cognovisset haereses, perfidiam, irreligionem, et si quod aliud voles impium magis commentum, Urbi ocius ut denuntiaret, ac Orbi una *). Factum probe, cum nihil humani a se alienum putavit, quem Apollo et Musae putent suum; quem Plato in Philosophia, in Critica Origenes, in Dogmaticis Augustinus; in Exegeticis Hieronymus opum suarum haeredem scripserint.

*) *De necessitate incautos praeveniendi adversus artes nonnullorum Professorum Hermeneuticae, qui sub respectu interpretationum novarum s. scripturae Naturalismum evulgare ac Revelationis ideam delere conantur. Specimen Dissertationis, habitae in conventu Romanae Academiae Religionis*, Nonis Maii Anni MDCCCXVIII.

Huic Critico doctissimo „*omnia, quae a Jesu Christo dicta ac revelata fuere, literis mandarunt Evangelistae et Apostoli* *);“ huic „*adversus Novatianos, Cerinthianos et Ebionitas, qui primo seculo divexarunt Ecclesiam, Joannes Apostolus Deo dilectus Evangelium composuit* **); huic demum *Augustus Ernesti praecipuus est, qui inter Theologiam et Religionem distinxit, e quo omnes exitiosae religioni novitates ortae sunt* ***). Laus Deo! profecimus. Ego doctissimum *Jahnium* vindicandum mihi desumsi, non prorsus tacitus praeteriens ceteros. An, quod erat propositum, assecutus sim, Tuum est arbitrari. Vale. Scrib. VI. Cal. Septemb. Anno MDCCCXXI.

---

*) Vid. infr. §. 200. **) §. 204. ***) §. 199.

Conspectus Argumenti.

Origo Vindiciarum.

§. 1.

Perdiu est, mi Comes, cum Magistri tui in eo desudat industria, ut in Scriptis doctissimi *Jahnii* aut in eorum doctrina, qui illius methodum tradendi probavissent, haeresim impietatemve reperiat. Ubi autem conatus optato successu caruerunt; ubi compertum est, nihil esse difficilius, quam haereticos facere, qui nihil magis fugissent ac haeresim, nec ulla in re elaboravissent magis, quam ut integram illibatamque Ecclesiae doctrinam et ipsi retinerent, et adversus aetatis huius hostes assererent: tum, quoniam firmum fixumque fuit haereticorum augere numerum, artes, doli, fraudesque multiplices religioso pioque animo placuere. Erit ergo operae pretium, mi Comes, ad haec Magistri tui studia animum diligenter advertere, etsi e praesenti lucubratiuncula tua non sine voluptate intelligo, te iisdem in studiis pulcherrimisque artibus non plane peregrinum esse et hospitem. Jam igitur paucis accipe.

§. 2.

Ubi Magister tuus anno altero communis Collegii quatuor tomos Institutionum suarum publicae luci exposuit, easque Hungariae, junctarumque provinciarum scholis, suprema auctoritate praescribendas supplicavit, ut hactenus tulit usus, Facultatis de opere judicium postulatum est. Actum id negotium, ut par erat, summo studio, nec minore aequitate; quoniam quidquid censuissemus, altiore judicio recensendum esse non latebat. Sunt igitur expensa omnia quae ad rerum delectum, ad ordinem, universamque tractandi rationem attinerent. Ob oculos fuit novi Instituti scopus et finis, quem Regis Clementissimi pietas et sapientia praestituit; ille quidem sanctissimus, nec unquam satis laudandus, ut quod ratio temporum, quod instantia undique Religioni discrimina gravissima poscerent, flos sacratioris juventae Regni totius, prolixius, accuratius, et consentanee ad prae-

sentes necessitates, in theologicis disciplinis erudiretur. Huic vero fini, mi Comes, quam tui non respondeat opus Magistri, non clam te est.

Seu enim quod ab supellectili libraria non satis paratus esset, seu quod aliis occupato iustam navare operam non vacaret; seu demum quod ille methodo et inventis superiorum temporum contentus, nec jam quidquam amplius, quod usui sit, addi posse existimans, supervacaneum duceret nova cognoscere: non seu adversariorum recentiora systemata artesque nocendi; seu egregia et utilissima nostrorum aliorumque in religionis praesidium reperta atque vulgata; seu quod ad cognoscendum disciplinae huius statum praesentem faceret, in eo opere tradita reperias. Insunt vero ad arbitrium fictae, subin de parum decorae, longe a proposito alienae, nec ulli nobis usui res mysticae tanta copia et prolixitate, ut magnam voluminum partem efficiant.

Haec, mi Comes, dici vel de Magistro tuo oportuit, ut quae deinceps acta sunt, et ad te quoque non mediocriter attinent, rite cognoscas. Si vereris, ne tibi os oblinam fictis rebus, opus ipsum inspice, ut tute intelligas et sentias, nihil nisi ex vero dici. De facto quaestio vertitur; propalam est, quod tuus scripsit Magister, nec in his fraudi locus aut dolo. Equidem humanum est, si suam pater sobolem diligit, si aut non videt aut excusat naevos:

Strabonem
Appellat Paetum Pater: et Pullum, male parvus
Si cui Filius est." Mansueti istoc animi officium est. Faceret ergo idem Magister tuus, succenseret nemo; vertisset monita in usum, fuerat unde proficeret. Nunc vero cum ex munere officii tuli sententiam, et perspicue singula declaravi exemplis; cum nemo unus in Facultate dissensit; cum in praesentia Directoris Episcopi lecta, expensa, probata sunt omnia; quoniam in multis dissensi, nec pauca nigro carbone notavi, hem tibi implacabile odium usque adhuc! Pandorae pixidem diceres, e qua ipsa etiam spes sanioris consilii evolaverit, et cuius ad te usque mala manavere Nihil ex hoc tempore intentatum relictum est ad ultionem; nihil tam sanctum aliis, quod suis servire studiis non coegisset; et tamquam ea quae scripsit vera, docta, erudita forent si nos fecisset haere-

ticos; ita ad hoc unum, tamquam ad apicem gloriae omni studio et contentione grassatus est. En belli causam in me totumque Collegium. Quid vero in *Jahnium* moverit, mox audies.

§. 3.

Dudum Magister tuus in universam Scripturam Commentarios et Historiam quoque Ecclesiasticam obtulerat Lectoribus, fecundus iam tum viginti voluminum parens, cum *Jahnii* nomen vixdum notum erat domi aut foris. Huic quantulaecunque gloriae, quam multa scriptione et opera sibi comparaverat, supervenit homo sane neotericus *Jahnius*, luci publicae exposita *Introductione* et *Archaeologia*; in quibus seu dilucidam, copiosam, doctam accuratamque tractationem, seu rerum delectum praesentibus necessitatibus unice consentaneum consideres, quod quidem a Nostris scriptum sit, frustra in omni Europa consimile opus requiras. Clarescebat ergo *Jahnius* magis magisque in dies, et viri nomen celebrior fama late per regna diffuderat. Cernis iam, mi Comes, quid Magistro tuo natum pericli ab sero hoc et novello scriptore. Fatebor enim, id unum atque summum fuisse vitium *Jahnio* dum viveret, quod eam sibi legem perpetuam immotamque esse voluit, nihil ut in publicum scriberet, nisi antea penitius perspexisset, quod erat scripturus: Magistrum e contra tuum, nota ignota, scita inscita, studio consimili et velocitate pari, suis hactenus offerre Lectoribus. Tu utram rationum istarum anteponas alteri, nescio; ego nisi tu non vis, in *Jahnii* propensiore sum animo, quam in Magistri tui sententiam; quoniam apud omnes gnaros istarum rerum obtinere video, ut non quam multa, sed quam docta et opportuna quis attulerit, considerent; inque communi hoc religionis discrimine ea unice expetant, quae sibi adversus hostes usui sint et praesidio.

Erat ergo miseranda conditio Magistri, in stadio, quod is unicus giganteis saltibus decurrisset hactenus, subito conspicere aemulum, qui nullo labore vicisset, laetisque omnium vocibus retulisset palmam. Hic jam, mi Comes, quid consilii? tacitum de stadio decedere? inglorium; Frontem fronti offerre? haud tutum erat. Haeresium ingens penuria, nec alius in *Jahnio* opportunus vulneri locus. Nisi igitur fallacia

juvat et dolus, non vanus Magistrum metus tenebat, ne ultima etiam quae obscuro in angulo adhuc micabat gloriae veteris scintilla, brevi evanesceret huius novi solis fulgore. Id ne fieret, quaenam in *Jahnium*, meque Collegasque capta sint consilia, si potis es audire verum, liquido intelliges.

§. 4.

Primum illorum de trivio sumtum est, cum ille in pravum sensum torsit innocua dicta *Jahnii*. Probe enim novit, mi Comes, Magister tuus, e centum vix unicum fore Lectorem, qui dicta suo in contextu comparet, qui scopum scribentis expendat, et adversariorum norit systemata, quibus illa opposita fuerunt.

Alterum ab insigni temeritate memorabile est, cum ille, quae aperte et perspicue adversariorum nomine relata sunt, in eos, qui retulissent, tamquam dicta et sensa propria contulit. Incredibile est, mi Comes, quam hic in manifesto mendacio teneatur iste Magister tuus, cum homines in Ecclesia natos nutritosque, pie et catholice a teneris doctos eductosque, velint nolint, cogit esse haereticos, et fidem praestare jubet dictorum, etiam quae alieno nomine retulissent.

In tertio miraberis dexteritatem Magistri, qui cum lubet, nullo negotio quoscunque libitum est, e Catholica extrudit Ecclesia. Facit id insigni hoc compendio. Quisquis eius strigosa impexaque argumenta negat, quibus ille nostra e Vet. Foedere asserere tentat dogmata, hunc si illum audis, eadem ipsa negare etiam dogmata certum est; quoniam firmissime persuasum habet, non minus certa esse id genus commenta sua, quam ipsa sint dogmata certissima. Atque hinc illud est, ut non facile quemquam reperias huic parem constantia in omnibus, quaecunque suo concepisset animo, quoniam non quidquam unquam concipit, quod non verissimum sanctissimumque sit!

§. 5.

Quartum, quoniam paucis explicari dilucide non potest, paulo altius exordiar. Tantus, mi Comes, rerum mysticarum demirator fuit Magister tuus inde a primordio, ut illi mysteriis non vacent, ipsi adeo

Pili caprarum a). Hinc illa vox: „e quo suapte in-„telligitur, quantum intersit typos explicare et aperi-„re, *si quidem literalis sensus tantum cortex, in typico vero nucleus et medulla est*" *b*). Quam sentiendi agendique rationem, quoniam Philosophia et Theologia duce in absurdis habuissem, totumque hoc argumentum, si de sensus huius usu et certitudine quaereretur, angustioribus limitibus adstrinxissem: illico *Theodori Mopsvest.* et *Grotii* odio inuidiaque flagravi. Est enim is mos Magistro tuo, ut si tetrum quid et horrendum in quemquam dicere parat, his illum nominibus conspuat. Nonne ergo putabis alienissimum esse a rebus meis? vehementer falleris, palam inimicitias assimulat, clam compilat. En tibi exemplum.

Quoniam a primordio mihi persuasum fuit, quaedam divinitus ordinata fuisse symbola in populo hebraeo, quibus manatura in sensuales hos homines ex adversis humilique conditione Messiae levaretur offensio *c*); cur ita sentirem, allatis motivis exposui. Unum istorum, tuo tunc adhuc ignotum Magistro, quoniam mirifice complacuit, me sane non invito, surripuit. Sed quo honestior esset possessio, id una voluit efficere, ut et ipse credam id non esse meum, et alii quoque persuasum habeant, id non alienum esse sed suum.

O ineptam paedagogicam ambitionem, quam discere pudeat, nisi a contribule didicisset! In primo non nihil sinistre cessit labor. Dum enim plagium celaturus alieno loco applicat argumentum meum, caput bovillum elephantis cervicibus addidit, cornua illius confundens cum huius dentibus. In altero felicior fuit! assimulans enim mystica me negare penitus, communemque causam facere cum *Theodoro* et *Grotio*, eodem argumento meo probavit contra me, exstare in Scripturis sensum mysticum!

Multum igitur, mi Comes, hic Magister tuus ingenio superavit veteres illos Philistaeos, de quibus nota *Samsonis* querela est: „*Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam*" *d*). Illi tamen satis liberales, aliena vitula ararunt sua;

---

a) Instt. Her. T. 2. p. 435. Ed. 1. *b*) ibid T. 1. p. 179. *c*) Luc. 24, 25. *d*) Jud. 14, 18.

hic vero dum me haereticum fecit, qui mystica pernegem: cum vitula sustulit una etiam agellum, incepto iniquiore, quod ea id tempestate fecit, quando annona cara fuit. Si ergo, mi Comes, aliquid facit ad augendam virtutis laudem, non habere consortes, intelliges, quantum ingenii huic insit incepto, cui in Doctorum omnium actis aut fatis, frustra quaeras consimile exemplum.

§. 6.

Petita igitur ex his fontibus largiter sane turbideque scaturientibus accusatione, in libello modico, cuius *Autographum* auro gemmisque pretiosius in manu mea est, seges argumentorum apparuit, quae omni nos fide pietateque extorres, axiomatum consimili evidentia demonstrarent! Et quia in frequenti corona ille libellus oblatus est, fama pernicibus alis pestiferos Magistros, et praesens fidei exitium mox late per urbes vulgavit et agros. Hic iam ut in rebus inopinis fieri assolet, vidisses, mi Comes, ridere alios, mirari plurimos, haerere quosdam, paucos credere, quos saniora docuit exitus, et haud dubie cautiores fecit in posterum. Erat etiam non nemo, qui praeter Magistrum tuum, reliquos universos, zizania benigne censuit in agro patrisfamilias, colligenda in manipulos ad comburendum! Tantum quaedam togae consimilitudo olim, et medullitus hausta praejudicia valuere! Non advertit nempe vir ille zelosus, etsi iacebat pro pedibus, quam egregie sibi imposuisset Magister tuus; eoque nisi ille instigat, impellit, ipsumque per domos circumfert Magistri libellum, tu ipse, mi Comes, ea gloria excideras, quam detecta nunc impietate nostra, nobisque ex ecclesia pulsis, tibi immortalem peperisti!

Mira tum rerum facies visa est. Magistris ingenuis et integris, suam superis inferisque approbasse fidem, nihil contra obtrectatoris petulantiam ad securitatem profuit; calumniatori temerario, criminatio atrocissima, nihil, famae nihil nomini obfuit: eoque mi Comes, virum illum ab ingenio et prudentia laudo, qui, quo coepit ire pede, ire pergat usque adhuc, jure salvo et integro.

Jurisjurandi religionem ludificari; seditionem in publico quaerere; illudere Praesules; Hungaricam turbare Ecclesiam; primi Instituti Magistros proscin-

dere gnaviter et impudenter, publicaeque Institutionis intercipere fructum: vel nutricum narrare fabellas, micare digitis; ludere par impar; equitare in arundine longa, unum idemque tum fuisse, nec ullis distare momentis dixisses: ut haud sciam, si tuo haec licuere impune Magistro, cur idem non liceat cuique, quem similis ambitio, vindicta, mala mens, malus animus ad congeminandam hanc scenam impulerint: haud sciam, ubinam tandem terrarum sua famae integrae quaerenda sit securitas et praesidium, si etiam in Instituto nobilissimo, in publico regioque locatos officio, ut quisque projectioris audaciae est, utque sua quemque calumniandi libido incesserit, pro lubitu invadat, laceret, conculcet impune! Hic, mi Comes, vir ille est, cui soli quod libet licet; quem unum nulla erroris, nulla doli premet unquam suspicio; cuius dicta Apollinis Delphici exaequant oracula. Unus ille tota Facultas, totum Collegium est; non alius Doctor, non Propheta, non Hariolus in patria est: Ceteri in veste dissimili, talpae, muli, fungi, durae sudes stipitesque praeusti *)!

---

*) „*Neque maledici Regnum Dei possidebunt*". 1 Cor. 16, 10. „*Si quis non probanda detulerit, Auctoritate huius Sanctionis intelligat se jacturam infamiae sustinere, ut damno pudoris et existimationis dispendio, discat, sibi alienae verecundiae insidiari, de caetero non licere.*" Can. „*Siquis*" Quaest. 3. C. 2.

„*Calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat.*" Can. 2. ibid.

„*Qui non probaverit quod objicit, poenam quam intulerit, ipse patiatur.*" Can. 3. ibid.

„*Si quis Episcopum, aut Presbyterum aut Diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam ei Communionem censemus.*" Can. 4. ibid.

„*De his qui falso accusant Fratres suos, placuit eos usque ad exitum non Communicare.*" Conc. Arelat. 1. Can. 14. Vid. Collect. Concil. Max. Reg. Tom. I. pag. 265.

„*Ut Episcopus accusatores fratrum excommunicet; et si emendaverint vitium, recipiat eos ad Communionem non ad Clerum.*" Carth. IV. Can. 55.

„*Clericus maledicus maxime in Sacerdotibus, coga-*

§. 7.

Sed factum probe. Etsi enim in variis Institutis, a variis Magistris et vario tempore disciplinas Theologicas docti sumus, quidam etiam Romae in centro unitatis; et si prope omnes trium lustrorum spatio doctrinam operamque nostram Praesulibus nostris probavimus; licet ex omnibus regni angulis post

---

tur ad postulandam veniam. Si noluerit, degradetur, nec unquam ad Officium absque satisfactione revocetur." Can. 57. ibid. T. I. pag. 982.

„*Si quis Clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.*" Apaonens. Can. 13. T. 2. p. 1049.

„*De his vero qui Innocentes, aut Principi aut Judicibus accusare convicti fuerint, si Clericus honoratior fuerit, ab Officii sui Ordine regradetur, si vero secularis Communione privetur, donec malum quod admisit per publicam poenitentiam digna satisfactione componat.*" Matiscon. Can. 19. Tom. 3. pag. 454.

„*Qui in alterius famam in publico Scripturam aut verba contumeliosa confinxerit et repertus scripta non probaverit, flagelletur.*" Hadrian. Caplo 50. Tom. 3. p. 2069.

„*Qui Crimen objicit, scribat se probaturum revera, ut qui non probaverit; quod objecit, poenam, quam intulerit, ipse patiatur.*" Idem. Caplo. 52. ibid.

„*Si Accusator, quae injecit, probare non poterit, eadem poenitentia subjaceat,*" nempe *secundum Canones*, ut praecessit. Synod. Strigon. Nation. sub Laurent. AEppo circa Annum 1114. Cap. 52. C. Peterffy Conc. Hung. T. I. pag. 60.

His consonat Jus Civile.

„*Fallaciter accusantibus, maxime post exhibitionem accusati, nullius Juris color veluti derivata excusatione proficiat: non publica abolitio, non privata talibus proficiat, subveniatque personis: non specialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale subducat.*" L. 9. Tit. 46. Cod. L. IX.

Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi: cum Calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. 10. ibid. Deum bonum quantum in his famae praesidium olim, quae hodie spiritu et litera merces obsoletae sunt!

multam consultationem providamque curam ad novum hoc Institutum extracti sumus; nullaque prius inter nos usi conjunctione, pauci mutuo de facie, plerique invicem nobis ne de nomine quidem noti huc confluximus; vix tamen nostra hic nova insedimus subsellia, cum iste Magister tuus, mi Comes, Vir si quis alius naris emunctae, continuo sensit, *ubi gravis hirsutis cubet Hircus in Alis, ubi lateat sus.* Momento id fuimus universi quod singuli: Desertores dudum traditae doctrinae, proditores fidei, Religionis inimici, sequaces Lutheri, aemuli Calvini, Rabbinorum Collegae, Deistarum asseclae. Hahahae! Viden' tu, mi Comes, quanto Magistro utare? Hic unus quoniam cornicis configit oculos, etiam nos medicabili excantavit carmine; unicus hic acute vidit, in quo oculis male lippis tot Praesules antea coecutivere; momento iste Magister tuus mentem perspexit, animumque nostrum, quem nemo tot annis suspicatus est; unicus hic bene simulatam tota vita personam, fucatamque fidei larvam nobis detraxit, et cunctorum oculis impietatem nostram spectaculo dedit, quam nemo alius, ac nec ipsi nos miseri sensimus!

O Infelices nos, mi Comes, qui opus Magistri improbantes, exuerimus una et Religionem; homines, illi crede, malitiosos planeque perditos, *qui nullis rationibus aliquid valentibus* ducti simus in promenda sententia! Solus est, mi Comes, Magister tuus, qui, quid pium, quid Christianum, quid Catholicum sit novit; unus ille doctus actu distinguit veri falsique fines, quos ultra citraque nequeat consistere rectum. Gratulamur Patriae ter beatae, cui alter *Athanasius*, alter revixerit *Hilarius*, novum decus columenque in fine seculorum; cuius unius opera a peste servata sit Hungarica Ecclesia; cuius unius potenti Praesidio, Eruditione, Sudore, Fides immota stabit et integra! Sit ergo Magistro tuo laus immortalis, qui Literas pristino splendori, Ecclesiam fidei, nosque fascinatos misere, ipsismet nobis reddidit lustrifico cantu, ut Saulem Sauli quondam Citharoedus Davideo.

§. 8.

Sed quoniam eadem quae olim, in praesens privatim traduntur et palam, opus erat, ut belli vociferatio indesinenter personaret, quo perpetuo suspensi,

pavidique teneremur, ut essent qui per vices incursarent, lacesserent, urgerent, et si liceret, vi aut dolo praedas ex nobis agerent; ne in longa pace velut e dolosa malacia maris, inopinus turbo erumpat, qui imparatis novum det damnum aut malum. De id genus igitur Velitibus provida mente, mi Comes, tuus prospexit Hodegus; Vir, si quis alius, Theologiae a planta ad verticem usque superque gnarus; Hermeneuta et Exegeta in paucis doctissimus; qui, si quantum in molitiones ocultas, tantum in scriptionem incumbat, Hieronymum vicerit, quem notitiis longe antecellit!

Apparuit igitur hac ipsa in urbe scriptum breviculum alterius Commilitonis (*ex suprema interpretandi* 1). Sed quia frontis et calcis aperta pugna est aliud quod sibi cohaereret est additum: *Lex Catholica interpretandi*, eodem Auctore 2). Doleo virum hunc causae huic intervenisse, qui satis habebat quod ageret in rebus suis; accessisse denuo ad infames multorum naufragiis scopulos Acroceraunios, unde haud multo prius cymbam aegre abstraxit. Largiar caeteris *Jahnii* aemulis doctiorem, non tamen omnia possumus omnes. Prope ab his opem tulit Commilitonum tertius, qui *Reflexiones* 3), *Paralipomena* 4), et *Notas* 5) vulgavit. Tituli indicant male discerpta membra gruis, et fetum vixdum conceptum, fusum in lucem. Labor prolixior quam doctior; scripta autem universa ex Lege Julia *Repetundarum*. Quae enim olim in *Vindiciis Vulgatae* obtulit, etsi aliena sunt ab natura causae istius, in his pariter repetita crambe dedit. In dijudicanda tamen litis huius indole et *Jahnii* fide, boni consulas velim, mi Comes, vobis omnibus haud paulo prudentior et modestior est.

---

1) *Tabulas Vet. ac N. Foed. rite interpretandi Lex Suprema Anno* 1815.

2) *Tabulas Vet. ac N. Foed. rise interpretandi Lex Catholica.* 1816.

3) *Reflexiones Historico-Hermeneuticae super Exegesi Biblica* etc. Sopronii 1816.

4) *Paralipomena Reflexionibus super Exegesi superaddita* 1817.

5) *Notae in Animadversiones Anonymi, Reflexionibus super Exegesi oppositas.* Keszthel 1818.

§. 9.

Haec vestra, mi Comes, belli ratio domi, nullo insignis triumpho, nullis tropaeis. foedata probris, contaminata calumniis. Sed quia miserum usque larvae lemuresque territant Hodegum tuum, ne consilio, ne opera communem publicamque salutem destituisse videretur, patriis copiis diffisus, extera meditari coepit auxilia, inque Italiam conversis oculis, tuum, mi Comes, brachium, invictumque robur in novum Martem, novaque discrimina belli sollicitus postulavit. Acute ut semper. Utcunque enim pugna cesserit, undique ille a vulnere tutus erit, qui alium pro se protrusisset pugilem. Tum autem, quis alter germanam doctrinam te doceret certius, qui ex limpidissimo fonte hausisses? quis Sacramentorum arcana penetraret profundius, qui ab Secretis sis Academiae Catholicae? quis demum Neotericorum nefandas artes apertius retegeret, fidemque te felicius assereret, qui brevi tempore octo nobis dedisses Volumina Juris?

Ut ergo de belli foedere inter vos conventum cognovi, nec iam dubium erat, auspicio, ductu, imperioque Hodegi illud esse gerendum, tum enim vero animo prostratus, cordis pavorem, vultus pallore signavi, sociorumque causae supremum ingemui, quod funditus nos periisse neminem iam latebat. — Viva tum mihi ob oculos versabatur eius cladis imago, quam *Pyrgopolinices* in campis *Gurgustidoniis*, Imperatore summo *Bombomachide* internecinam hostibus attulit, ubi Indiae Elephanti unico pugni ictu perfregit brachium et femur! Quia tamen vel in ipso limine interitus saepe illud profuit: *una Salus victis, nullam sperare salutem,* certum est id experiri; sin minus, non occumbam inglorius, si tua virtute occubuissem. Neque enim minima inest consolatio illi de Romanorum virtute *Flori* judicio, cuius tu, mi Comes, sententia tam docte transcripta, tuum concludis libellum:

„*Post Carthaginem vinci, Nemini puduit a*)." Neque igitur me pudeat, Romanus qui sis, tua potenti Machaera vinci atque prosterni.

---

a) Flor. L. 2. C. 7.

§. 10.

Intelligetis forte iam *Velites* velocissimi, quaenam causae me ad *Vindicias* hasce scribendas impulerint. Annis enim vero duodecim vestris me calumniis impune petitis, et semper tacitum vestris me figitis telis. Credideram, ubi in agitanda hac lite inepta omnino et vili tot annos exegissetis, contentionis tandem pertaesos, meoque silentio victos, animum ad quietem appulisse. Sed quanto in errore versatus sim, quantopere in mea de vobis praeclara opinione sim deceptus, continuo patuit, cum anno superiore, Commilitonis vestri, edita Romae monstrosa lucubratiuncula, subito inter nos obstetricante Hodego apparuit. Prima igitur cura fuit, ut justo numero praesto mihi essent exemplaria; eoque ab administro Hodegi tria hic loci, bina alia ab ipso redemi Hodego, quo liquido jurare possem, novum, solertem et integrum, doctum atque conspicuum Hungariae surrexisse Bibliopolam ipsummet Hodegum.

Ut ergo partum hunc infic tum revolvi, et decennio gestorum seriem apud animum expendi, tuli iam paulo indignius ac ante. Vidi enim, qui dudum essem Haereticus, sodalis vestri postremi opera, expresso jam nomine Naturalistam evasisse me. Sensi etiam multo gravius, meo silentio et in vos declarata modestia, ita vos in dies abuti turpius, ut si deinceps quoque retinerem, quem hactenus secutus sum vitae modum, vos nihil petulantiae, nihil impudentiae reliqui faceretis, quod in me non congereretis. Adeo nempe vobis, *Velites* leves, mea semper lenitas fraudi fuit, ut jam coram vestris accusaretis tarditatem meam, culparetis silentium pertinax, et identidem provocaretis, ut eo abdicato, tandem prodirem palam: verbo, eo vestra provecta est imprudentia, ut jam tantum non in faciem insultaretis.

§. 11.

Sed miror vos, generosa Martis soboles, qui id tam cupide exoptetis, cum mihi non ea seu ingenii, seu doctrinae copia sit, ut vestra de me victoria, quidquam verae laudis vobis accedere possit amplius: quaeratis in homine obscuro clarescere, quem ipsa tenuitatis conscientia intima, haud secus ac talpam lucem sollicite fugere, semperque delitescere jussit in recondito. Verum enim vero, juvat vos esse *Ve-*

lites, leves pro conditione, discurrentes undique, bellumque cientes, si summus imperator jusserit vester Hodegus. Sic vos adhucusque stetistis. Nunc *Manuscriptum*, turgidum calumniis Magistri; nunc *Lex suprema*; nunc *Lex catholica* protrusa est. Juvit: quod enim tam vanum, tam ineptum sit, quod ciendis aliquanto tempore clamoribus non sit usui? His *Reflexiones* junxistis, ut repetita crambe insipidum iam prioris argumentum, novitatis gratia condiretur. Post *Paralipomena* dedistis; mox *Notis* nos beastis; supremum denique *Dissertatione Romana*.

Sedulo: Lustro enim integro anni singuli singulos peperere libellos, unus etiam congeminavit, Magistro interea bis tergeminos fundente, detestata *Jahnii* memoria: eoque miror, annum hunc (1820) nihil enixum esse usque adhuc, etsi e propinquo instat finis. Nisi forte mors *Jahnii* vobis otium fecit, quem Magister malis tartaris addixit dum viveret, eoque mortuum laeto vultu deduxit. Quod impotens maledicendi studium, sin minus charitate, judicio et ratione moderandum fuerat. Sed iam laetus video, acrius commotos olim, pedetentim in animo subsidere fluctus. Quem enim in *Elyma* caecum et filium Diaboli exhibuit primum *a*), eidem haud multo post et humanam originem, et aciem quoque oculorum benignus indulsit, solo iam peccatorum pondere adhuc gravato *b*).

Sed nova mihi ex hoc ipso animo vestro causa scribendi subnata est. Probe enim nostis, quam multa mihi cum *Jahnio* ex ipsa disciplinae conjunctione sint communia; cuius quoniam doctissima tractatio est, Religioni me debere existimavi, ut eius et

---

a) Icuncula secundae *Institutionum* editioni praefixa, Paulum sistens cum *Elyma*, subscriptum habet: „*O plene omni dolo et omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis Justitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas?* Act. 13, 10.

b) Altera *Institutionibus* Novi Testamenti praefixa Icuncula. Christum cum Pharisaeis exhibens, offert locum Joh. 9, 40. „*Numquid et nos coeci sumus? Dixit eis Jesus: si caeci essetis non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: quia videmus, peccatum vestrum manet.*

quorumlibet aliorum, quae praeclare utiliterque dixissent, in meum meorumque usum transferrem. Quod quoniam triginta annis feci hactenus, intelligetis, si non mea, aliorum certe causa iam respondendum tandem esse vestris naeniis. Sic censeo, atque etiam scio, nec vos dissentire arbitror, eos, quos hac in disciplina instituissem hoc tanto tempore, id postulasse dudum jure suo, ut quae a me nulla doli suspicione tamquam recta et salutaria accepissent, a vobis autem velut haeretica et impia traducerentur palam, ab eo potissimum defensionem acciperent, a quo ipsi didicissent.

Dicite iam *Velites*, an possitis non mirari patientiam meam, et perpetuum pacis studium, qui tam multis tardus, ignavus, timidus, aut imperitus videri maluerim, hoc tanto litis huius tempore, quam discedere a proposito meo, tametsi ut plurimum una alterave pagella suffectura erat, ut vestras fraudes, corruptiones, mendacia, et rerum obviarum inscitiam, palam retegerem, et cunctorum oculis exponerem? Vos ergo otioso nunc animo esse impero, quia iam persuasi estis ut scriberem.

§. 12.

Ad te iam redeo, mi Comes. Theologus cunctis levidensior, nostrisque inferior tironibus, temeritate vicisti universos. Exegeta a planta ad verticem moduli bipedalis, insultas *Jahnio*, cuius haud scio, an digne solvisses corrigiam. Nullo involucro, nulla circuitione usus, illum, *Mayerum*, *Ariglerum*, aliosque, quod nemo ante te vel somniando percepit, nescio qua arte magica in Naturalistas vertisti, qui „*Naturalismum vulgare ac Revelationis ideam delere conentur.*" Ego vero, mi Comes, haec sanum te scripsisse, non si me roges, nec si dejeres credam, adeo ab eorumdem virorum scriptis, factis, vitae totius ratione, omniumque sanorum judicio haec tua vilissima et detestanda criminatio aliena est. Larvae lemuresque tuo haec tetrico indiderunt Hodego, cui tu imprudens satis credidisti.

Sed tibi placuit, mi Comes, Austriam adunco suspendere naso; libuit in nos, in Praesules, in Tribunalia, ipsumque Supremum Principem satyram scribere, in Academia legere et vulgare tum, cum Ille Romae tibi tuisque illustria Religionis Pietatisque

exempla daret: cum sui amplitudinem majestatemque Imperii, suarum splendore virtutum ornaret; inque admirationem raperet universos, quibuscunque ab fortuna fuit datum, aut alloquio dignari, aut facta tueri. Sic tu, mi Comes, facto unico, omnia humanitatis, omnia grati animi officia explevisti, et uni tibi tuoque Hodego propriae dedisti specimen prudentiae. Causa propalam est; sed quia huc non attinet, supersedeo dicere.

Ex Austriae igitur Imperio sex tibi delegisti, mi Comes, quos non flagris sed scorpionibus caederes; quos in centro unitatis, religiosissima pietate lacerares, proscinderes; idque tanto impudentius, quia Peregrinus Domesticos, Tiro Magistros, Analphabetus Doctores! o Tempora! o Mores! Olim pudor aliquis et in publicum prodeundi quaedam verecundia fuit; nunc quo imperitior quisque, eo confidentior et temerarior est. Iam igitur patere, mi comes, ut Lectores doceam, qui talia scripseris, te non iam tibi tuisque, sed orbi Catholico esse pudori quod talia Romae scripsisti.

§. 13.

Jam itaque *Velites* expediti, qui vestras virtutes exposuerim hactenus, quoniam diu multumque reluctantem huc pertraxistis, vestro tandem obsequar desiderio, obsequar nunc et animo meo, dum, quod mihi, quod officio debeo, strenue exequar. Palam et plena luce, ut cupivistis, in campum procedam, ut si vobis lubeat in loco resistere, conglobatos aggrediar, primoque conflictu vel cita mors veniat, vel victoria laeta. Diutius iam quam par erat imposuistis incautis. Comprimenda jam semel Vestra audacia est, qua mihi ceterisque insolentius in dies Haeretici et Naturalistae nomen imponitis; quod in postremo libello tam aperte, tam petulanter facitis, ut haec vestra temeritas nec ferri possit amplius, nec debeat. Ecquisnam enim tam spectata virtute, tam conspicua integritate, tam certa, tam firma existimatione sit, cui vestrae toties repetitae calumniae tandem non detrahant? Nollem autem ego id genus de me suspiciones in animis hominum residere. Verendum mihi est, ne si hanc criminationem vestram pro gravitate ipsius, non graviter, vehementerque retun-

derem, apud minus gnaros tandem in dubium veniat fides mea.

Cum igitur apostolus praecipiat, providenda esse *bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus a)*; cumque res ipsa exigat, et S. Basilius quoque statuat; „*ad calumnias tacendum non esse, non ut contradicendo nos ulciscamur: sed ne mendacio in offensum progressum permittamus: aut eos, qui seducti sunt, damno inhaerere sinamus b)*:" ea de causa decrevi apud animum meum, hanc libellorum vestrorum petulantiam aperte, serio et constantissime vobiscum expostulare: quod latet plurimos, palam ostendere, vos non temere, sed consilio prodigiose esse mendaces; studio dataque opera ficta in nos crimina conferre; sicque has artes vestras scribendo retegere, et retegendo frustrari, ut omnes intelligant, ut litis huius exordium a portentosissimo processit mendacio, sic arte consimili provectam quoque fuisse et sustentatam. Faciam, ut tandem agnoscatur palam, vos aut reipsa nescire quid hic rei sit, aut simulare studio; quo imponatis incautis: docebo, totum id esse scholae, in qua hoc vertitur negotium; nihil huic cum Religione esse commune; et fidem usquequaque in vado.

Sequar autem S. Hieronymi exemplum, qui in simili causa aiebat: „*Cui (Adversario) respondere diu tacens, et dolorem silentio devorans, crebra Fratrum expostulatione compulsus sum: nec tamen hucusque prorupi, ut Auctorum nomina ponerem; mavolens eos corrigi, quam infamari c)*" Sed neque omnia proferam, quae possem iure meo, sed ea unice, quae causae conficiendae erunt necessaria. Ordo is erit, ut, commilitonis vestri Romani pressius insistam vestigiis, iunctis una, in quibus commune vestrum aut crimen, aut error est; cetera quae cuique vestrum sunt propria, seorsim labuntur. Nescio, an haec inauspicato a vobis consilio suscepta belli redintegratio, ex usu vestro futura sit; in limitibus certe vestris, vestroque sumtu geretur. Atque haec de vindiciis praesentibus; quid vero in posterum acturus sim, quidve iam nunc ceperim consilii, in fine dicetur opportunius.

---

a) Rom. 12, 17. *b)* Epist. 65. *c)* Praef. in L. 4. Comment. Jerem. T. 3. p. 614. Edit. Maur.

Synopsis Dissertationis Romanae.

§. 14.

Illustrissimus auctor Dissertationem suam quadrifariam dispertivit, scilicet: in *exordium*, in *tractationis partem primam et secundam*, ac in *epilogum*. Oratoriam professus est, ut alter nobis esset Cicero: Exegesim, quo facilius Hieronymo careamus. Exordium laudem continet studii biblici, eius aliquam divisionem, querelas adversus recentiores interpretes, quorum „*pestilentissimae opiniones omnes propemodum Christianas provincias pervaserunt: Encomium Academiae Catholicae Religionis*" ex hoc genere studiorum, et incitamenta, ne in mediis etiam procellis despondeat animum; demum de „*audacia et fraudibus antecessorum,*" (Professores intelligit) quorum

Haec sunt artificia:

„*Primum. Cona (n) tur, ut Traditioni et Ecclesiae omnis auctoritas adimatur, ut eidem scripturae, et qualicunque revelationi auferri possit*"

Secundum Conatur scientiam biblicam ad meras subtilitates philosophiae redigere, ubi rationis lumine doctrina explicetur, et omni libertate sequendi, quod magis arridet." Atque haec in Exordio a pag. 81 — 85.

Pars prima. Initium occupant querelae de mature erumpente „*in ipso sinu Ecclesiae spiritu divisionis et pravis opinionibus, quae ipsam S. Scripturam infecerunt. Post Haereticos.*" *Historiam anteactae aetatis Judaismi percurret.* Initium sumitur a *Basilidis* et *Symmachi* commentariis; transitur ad *Novatores*, quorum perversis studiis patres et theologi ad majorem vigilantiam et curam excitati sint; a recto tramite deflectente *Theodoro Mopsv.*" „*Sed non tantum novatores et haeretici hoc studio abusi sunt, verum Hebraeorum doctores quoque illud depravarunt, Commentarios impios ac malos conficientes. Tanta enim fuit istorum temeritas, ut in duas sectas eorum sequaces coaluerint. Altera Kariatorum vocitata, altera Raabanitarum. Commercium postea cum Arabibus occasionem dedit, ut eorum doctores seculo X. eruditiores prodierint, grammaticam et philologiam colentes.*" Atque hoc ordine, hacque notitiarum ubertate, exegeseos judaicae historia absolvitur.

* Ne multa praeteriisse videar, ubi in consequentibus excitavero paginas, visum est, monere, huic adversus *Hermeneutas*, aliam praemitti Dissertationem: „*De Necessitate praeveniendi incautos, adversus artes nonnullorum recentiorum Physiologorum;*" quae a pag. 1 — 80.; haec vero altera a pag. 81 — 141. decurrit. Si autem in dictis huius Auctoris saepius obscura, incohaerentia, aut quavis ratione vitiosa occurrent, persuasum esse cupio Lectori, universa a me summa fide et religione esse transcripta, quin emendanda putem, quae adversus notas omnibus leges offendunt.

§. 15.

Judaeis succedunt Catholici, in quibus „*Nicolaus de Lyra, nimis fidens de hebraicae linguae cognitione, Patrum auctoritatem quandoque spernere visus, suis opinionibus mordicus adhaesit. Laurentius Valla, dum Exegesis studio operam dedit, quandam Criticae immoderatae dissolutam licentiam in fallacibus Bibliae interpretationibus ostendit a). Gravius vapulat Faber* et *Erasmus b*). Hos sequuntur: *Lutherus*, *Melancto-*

---

a) Si tu nosses, mi Comes, quantus *Valla* fuerit quondam Concivis tuus, aliter sentias. Paucos enim naevos theologicos, quos ipse etiam agnovit, eius amicus et familiaris *Erasmus* ingentibus meritis compensavit. Ille, mi Comes, Italiam pristino eloquentiae splendori restituit; ille in Critica Novi Testamenti per suas *Annotationes* et Collationes Codicum, coaevis et posteris oculos aperuit, eamque superstitionem exclusit, quae etiam post *Joh. Hen. Michaelis*, *Hubigantii* et *Kennicottii* criticos labores, inter Helvetiae Reformatos ita haesit, ut adhuc sub finem superioris seculi Professores ad defendendam hebraei codicis criticam Integritatem juramenti religione adstringerentur. Memorab. T. I. p. 192. Tibi ergo pariter convenit, quod *Erasmus* dixit Corn. *Aurotino* „*omnes laesisti literatos, quum unum laederes Laurentium.*" Rosenm Historia Interpr. T. 5. p. 390.

b) Mavelis, mi Comes, doctorum virorum de *Erasmo* sequi judicia, quem summi quique expetebant, colebant, uti id disces ex eius Epistolis. Magnum is rei Catholicae fulcrum fuit, cum per Reformationem omnia in deterius ruerent; nec dubito, quin tui vi-

nius, *Ecolampadius*, *Bucerus.* Post *Calvinum* autem et *Bezam*, inter *Novatores et Protestantes celebres fuere Grotius et Coccejus insignes cognitione orientalium linguarum. Coccejus omnia Veteris Testamenti facta, ut signa novi defendebat c). Grotio nonnisi Historiae facta ubique agnoscere placuit d).*" Post Commenta-

---

rum tantum certatim statuis honorarent, si Romanus, aut Italus esset. Qui ergo ne nomina quidem scribere noris doctorum hominum, indigne strepis anser inter olores.

c) Caute, mi Comes, facile enim invenietur, qui quod tu arguis in *Coccejo*, hoc idem Patribus usitatum fuisse demonstret. Ego id monitum te volo, ne tuum rideas Magistrum, qui Instit. Vet. Test. T. I. Edit. 1. p. 178. scripserit: „*Typorum plenum est Vet. Test. Omnia enim in figura contingebant illis. — Nec tantum sacrificia, Religionisque caeremoniae, et quae Israelitico populo tam inter eundum in Aegypto, et peregrinandum in deserto, quam postea acciderunt, typica erant; sed hi typi iam etiam in Patriarchis et in ipso Adamo, illaque mundi constitutione, quae facta est per Creationem, resplenduerunt.*" Imo ne dentes quidem Ovium (T. 2. p. 435.), Coma Palmae (438.), Capillorum niger aut ruber color (438. 442.), Aromata et lilia (439.), Regia purpura ejusque largi sinus (448), aut viror montis Carmeli (ibid.) Typorum mysteriis carent; ut beatos praedicare possis Hebraeos, quibus Mysteria creverint, in dentibus, in pilis et herbis. Annon Magister tuus, mi Comes, periculosior est Naturalista Coccejo?

d) *Grotium*, mi Comes, desine mordere. Summi et imi hoc ingenii et eruditionis portentum mirantur. In jure, vel te ipso major, in Theologicis tibi prope aequalis! Si fidem tanti viri, ejusque erga Catholicos propensionem nosse cupis, lege eius *Annotata in Consultationem Cassandri*, qui unionem suadebat. Lege ejus „*Votum pro pace contra Rivetum*" quae et in eius operibus theologicis et in Riveto reperies T. 3. p. 929. et 1039. Sed inprimis tibi commendo: *Hugo Grotius papizans, hoc est, Notae ad quaedam loca in H. Grotii Appendice de Antichristo, Papam Romanum, et Doctrinam et Religionem papisticam spectantia, in qua via sternitur ad Papismum Anti-*

tores *Anglorum*, et *Jansenistarum* Galliae in vertendis Scripturis mala studia, succedunt inter Socinianos *Crellius*, *Grotius*, *Enjedius*. Ex recentioribus: *Semlerus* e) *Barth*, *Eichhorn*, *Paulus*, *Michaelis* f), *Ernestus*, „*qui absque ulla moderatione novas interpretationes invenerunt.*" Agmen claudunt Hen. *Stephanus*, Wilh. *Rau*, *Kantius*, *unius tantum sensus in Scriptura praedicator*, *et praeter id quod ratio docet* g). *Mayerus*, *Plankius* et *Rosenmüllerus*, qui *in biblicam explanationem ita se gesserunt*, *ut coelestem rorem in dirum venenum converterent* h). Haec pag. 86 — 98.

---

christianum. Auctore *Jacobo Laurentio* Amstelodamensi, Verbi div. Ministro 1642 ibid. In aversa autem eius tituli facie leges 13 puncta controversa, in quibus, *Laurentii* judicio, in nos impie propensus erat. Adde amicum *Petavium*, qui pro illo dixisse fertur *Missam de Requiem. vid. Theoduli Gastmahl* Ed. 5. pag. 211. In Exegeticis autem quantus! Ejus Commentarios, mi Comes, diligenter terunt et transcribunt nostri aliique; et est sane operae pretium eos frequenter consulere: eoque magis te meminisse oportebat verissimi dicti: „*Gloria hominis ex honore patris sui*, *et dedecus filii*, *pater sine honore.*" *Ecclesiastici* 3. 13.

e) Qui factum sit: ut Magister tuus, mi Comes, *Semlerum* ejusque „*Apparatum ad vet. et novi testamenti liberalem interpretationem*," catholicis accenseat, (Institt. N. T. Tom. I. p. 28.) a te potissimum cupio illustrari. *Seemillerum* casu permutatum putaram, sed nimis distat opus; tum autem et hic ipse eadem commemoratur pagina.

f) De viro hoc doctissimo, uti et *Ernestio* et *Eichhornio* suis locis sermo occurret.

g) Nescio, mi Comes, cur Magistrum tuum hic deseras, cujus prolegomena (Inst. V. T. Ed. 2.) secus transcribis. Vide quanto ille prudentius: „*I. Kant conditor systematis exstitit de uno tantum sensu morali in scriptura*, *idque ductu tantum etiam solius rationis.*" (ibid. p. 41.) Tenellus ergo qui sis, nescius gradi, ne manum Magistri dimittas, moneo.

h) In *Rosenmüllerum*, mi Comes, injurius es. Commilitonem audias veteranum in campo scripturarum, qui in *Reflexionibus* suis (p. 63.) ait: „*negari nequit*,

§. 16.

Hac via modoque ventum est ad modernos hermeneutas catholicos, quibuscum a pag. 99. — finem negotium est. Suspiciones, accusationes, et convicia, liberali ingeruntur manu. Alia in his pugnant fronte aperta, alia ad taedium usque repetuntur. Insunt non pauca paradoxa, ne dicam absurda, nec desunt Excursus a tempore et loco oppido alieni: quales

---

quaedam deprehendi in his scholiis (Rosenmülleri) quae incassum quaeras in spissis voluminibus.“ Ne autem putes sermonem esse de indifferentibus, adductum exemplum accipe: „*Illud tu es Petrus* ita *in favorem primatiae Petri et Catholici dogmatis explicat, ut vix hodie in catholicis canonistis talis explicatio inveniatur.*“ (Pag. 61). Quid iam nunc facias, mi Comes? *Rosenmüllerum*, quem nec legisti nec vidisti, damnas; *Reflexionum* auctor, quem legisse certum est, absolvit et laudat. Ergo moneo, ubi in campum pugnaturi descenderitis, ex strategiae legibus, legionis vestrae ordines adstringite; una perpetuaque sit acies, eademque omnium vociferatio; ne si pars receptui, pars paeana canat, prima impressione vos proruam.

Vide, mi Comes, quam inconsulta sint vestra consilia. Unicum vestrum studium est, sine religionis discrimine proscindere doctos viros, ex aequo odisse personas et opera, tametsi magno vobis forent commodo, si velletis sapere. Mitte cum non est necesse, quaerere, quid sentiant, qui foris sunt: suo stabunt, cadentve periculo. Sciunt hoc alii doctiores te, qui ne catholicos quidem legas aut intelligas. Inhumanum est etiam vera vitia vulgare, cum id non postulat officium aut necessitas; fictis vero criminibus, ut vobis moris est, alienis obtrectare laudibus, etiam barbarum. Si amator es veritatis, gratus illam accipe, etiam cum inimica obtulerit manus; sic SS. Patres fecerunt, quos semper in ore habetis, et quorum deinceps exempla dabo. Nunc S. Hieronymi monitum sufficiat: „*legant, inquit, prius, et postea despiciant, ne videantur non ex judicio, sed ex odii praesumtione ignorata damnare.*“ In Praef. Isai. In argumentis proferendis non sequar dissertationis ordinem, qui nullus est; sed ut res ipsa, ut claritas, et redundaturum in subsequa compendium suaserint.

de insufficientia rationis, de revelationis necessitate et judicis controversiarum; de indefectibilitate ecclesiae, et obscuritate scripturae: quasi vero ullus catholicorum haec negaverit. Sed haec sponte sua procident, ubi argumentis respondero, quibus ille *Naturalismum* Hermeneutis obtrudere parat. Clarum fiet, virum hunc suscepisse negotium, cui non respondent humeri, esse in disciplinis theologicis usquequaque peregrinum et hospitem, eoque errore perpetuo, quae scholae et eruditionis sunt, turpiter confundere cum fide et religione

Demum peritos doctosque lectores et judices oratos volo, ne de his pro sua eruditione unice statuant. Alia hexapeda hic opus est. Faterer ultro, omnem hanc litem esse de *lana caprina*, nisi vererer profanare tam sacros pilos, quibus Magister arcana inesse mysteria docuit (§. 5.). Res certe in se leves sunt, indignae quibus prolixior labor insudet. Alibi haec neminem amplius morantur, qui disciplinae gnarus sit; aut ubi, recta institutione, solidiora iam invaluerunt judicia. Verum *tu si hic sis aliter sentias.* Ubi enim velitum haec legio in his fundamenta reponit religionis et fidei, uberius evolvenda sunt causa plurimorum; excutiendae sunt latebrae; e quibus fraudulenti hi melioris eruditionis hostes, tam saeve praetereuntes incursant. Atque haec non minima causa est, cur ad hanc scriptionem tam invitus accesserim, quem pridem voluminum taeduit, quibus conscribendis necesse fuit utile tempus infructuose conteri.

De usu loquendi, supremo Hermeneuticae principio.

§. 17.

Ad argumenta tua venio, mi Comes, quibus Hermeneutas Catholicos proditae religionis crimine accusas. In his summo loco est *usus loquendi*, quem illi exquirere diligenter, repertum retinere firmiter jubent. Dicam ergo primum, cur hoc principium assumtum sit; postea, illud *supremum* esse atque *certissimum.*

Ubi adversarii, mi Comes, non jam inducta a primis auctoribus libertate, sed ea licentia uti coe-

perunt in interpretandis scripturis, qua nemo in profanis utitur *a*); ubi vaticinia criticae abusu sublata, aut, non secus ac narrationes prodigiosae, violentis interpretationibus torqueri coeperunt in sensum devium, ut nihil jam superesset, quo divinam Revelationem asseras: tum enim vero huius sinceris cultoribus imposita est necessitas, ut diligentius circumspicerent, qua ratione et illi occurri posset licentiae, et interpretatio Scripturarum iis legibus regi atque firmari, ut contraire nemo posset, quin ea abdicaret judicia, quae in quovis sermone aut scripto, universi tamquam certissima arbitrarentur. Viderunt autem, si in quibuslibet scriptis aliis, de notionibus vocum, sententiarumque potestate constaret, esse neminem, qui de mente et sensu auctoris dubitaret, tametsi, ut saepe fit, de historica aut logica veritate dictorum aliud statuerent.

Quo igitur in sacris literis, leges interpretandi magis definitae, dilucidae, arctius junctae eoque certiores evaderent, exemplo quarumdam disciplinarum, in Hermenia quoque provideri coepit de id genus summo principio, veritate scilicet generali, in se perspicua eoque certissima, e qua caetera huius disciplinae suapte fluerent, et ad quam in controversia cum adversariis, tamquam ad lapidem lydium recurreretur; ut jam nec in sacris negari posset, quod universis indubitatum esset in profanis. Tale autem, mi Comes, principium esse visus est *usus loquendi coaevorum ipsiusque auctoris*, quem si rite assequaris, scriptoris quoque sensum certissime teneas, meritoque immote retineas. Ut ergo vides, nihil hic actum astu aut dolo, nedum hostili in Revelationem animo. Studio pio atque laudabili isthaec provisa sunt, quo ipsa scriptura magis magisque illustraretur et vindicaretur. Intelliges igitur jam forte, mi Comes, malam a vobis referri gratiam viris doctissimis, dum crimini datis, quod animo pientissimo susceptum est; dum inhumana, prorsusque barbara ratione, tamquam hostes Revelationis proscinditis, quibus nihil antiquius est, quam ipsam asserere et tutari Revelationem.

§. 18.

Usum loquendi supremum, certissimumque esse

---

a) *Ernest.* Institt. Interpr. Part. 1. Sect. 1, §. 21.

Hermeniae principium. Intellectuale commercium, quo mentem animique sensa cum aliis communicare cupimus, hac in terra locum unice habere potest per signa externa, per sonos scilicet, aut characteres in scriptum conjectos, aut quavis ratione signatos. Soni autem seu verba quarumlibet linguarum tam arbitraria erant in prima origine, ut si libuisset Adamo, pro designando *Capite* aeque bene *Pedem* et vicissim adhibuisset. Idem videas in iis modificationibus, quas *casus* et *tempora* dicimus, ad rerum ipsarum, aut actionum varias relationes signandas, inductis. At vero, ubi soni illi usu ipso invalescere, et pro determinatis objectis usurpari coeperunt, tum jam, mi Comes, integrum nemini erat. alias conjungere notiones cum sonis, quam usus probavisset, quisquis mentem suam communicare aliis, aut percipere aliorum voluisset. Horum veritatem quotidie experiris, nec alio fundamento id nititur, si tu mea, ego tua intelligo.

Verum lex haec non apud homines solum, sed apud genios quoque coelestes, apud Dei Filium, ipsumque Patrem omnipotentem obtinet, quoties illis cum hominibus commercium est. — Vide, mi Comes, ut Angeli et Christus, receptis sonis non alias tribuant notiones, quam vulgo receptas; quam exacte in nominibus et verbis casus observent et tempora. Idem videas in Deo Patre Exodi 20. Poterat utique Deus legum suarum notitiam, etiam absque sonis, mentibus Hebraeorum infundere; sed a sapientia alienum est, id effici prodigio, quod consueta ratione aeque bene obtineri queat; eoque et Angeli et Christus et Pater coelestis usui loquendi detulerunt.

Obtinet autem id non tantum dum Christus sua proponit, sed etiam dum adfert aliena. Volens Pharisaeis indicare Messiam nequaquam nudum hominem fore, attulit *a*) locum Davidis: *dixit Dominus Domino meo etc. b*). eosque obmutescere fecit. Vides, mi Comes, ut ille non suam seu Messianam seu Divinam, quam Pharisaei recepturi non erant, sed Scripturae auctoritatem interposuit, sic usurpans sententiam, ut continuo intelligeretur, adductis verbis ex recepto usu loquendi eum reipsa inesse sensum, quem Christus suo scopo opportunum existimavit.

---

a) Matth. 22, 41 — 45. *b*) Ps. 109, 1.

Transeo ad Ecclesiae definitionem. Dic, mi Comes, dum Concilium Trident. *c*) definivit, verba Christi: *quorum remiseritis peccata, remittuntur* eis etc. *d*) intelligenda esse de potestate remittendi aut retinendi peccata in sacramento Poenitentiae, non vero de auctoritate praedicandi; an dum id mecum credis, non supponis Concilium eundem omnino cum verbis illis sensum conjunxisse, quem Christus ipse in animo habuit cum ea diceret, et cum aliis communicare voluit? certissime, nisi falso sententiam attulit. Id vero quid est, nisi sequi usum loquendi, quem in his judicia coaevorum, et Christns suo consensu probaverunt? Quod si vero eum sensum in controversiam adduxerit adversarius, an tu illi concilium oppones, infallibilem eius rei seu testem seu judicem? Non puto: oppido enim te rideret Protestans de hac petitione principii. Aut ergo pedem retrahes, aut velis nolis usum loquendi inquires et demonstrabis. Qua in re utique magno tibi praesidio esse poterit Ecclesia, sed non praerogativa infallibilitatis, quam adversarius pernegat. Qui ergo cum omnibus commilitonibus tuis infallibilem Ecclesiam, supremum constituis interpretandi principium, vel eminus vitare debes omnem adversarium, vel tecum ipso pugnabis. Sed de his plura inferius.

§. 19.

Romanus qui sis, mi Comes, etsi non putabam fore opus, e *Jure etiam Canonico et Civili Romano*, te docebo grammaticam et usum loquendi. Inspice primum L. V. Tit. XL. de *verborum significatione* 33. capitibus explicata. Unicum ponam exemplum e Cap. IX. ubi habetur: „*quamvis omnes qui praesunt, Praepositi rite vocentur, usus tamen obtinuit, eos vocari Praepositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.*“ Tune usum loquendi in jure fundatum negabis? Vide alterum: Dig. L. L. T. XVI. aeque de verborum *significatione*, 2 6 legibus illustrata. Prima ait; „*Verbum hoc: siquis, tam masculos quam foeminas complecti.*“ Lex vero 6. „*Verbum: oportebit, tam praesens quam futurum significare.*“ Quomodo ergo Romanus ignorare poteras, quod jura Romana sanxerunt?

---

c) Sess. 14. Can. 3. de Poenit. *d*) Joh. 20, 23.

Sed tuo jam disce, mi Comes, exemplo, quam omnia in usu *loquendi* sint posita. Irridens enim Hermeneutas ais: „*Quid tam leve, tam nugatorium — quam verba captare? Sophistarum hoc est, ait Aristoteles ipse in Tropicis a*).“ oscitantiam putabam scribentis, eoque contuli *Errata* in fine libelli; verum nec huius, nec caeterorum quae adferam ulla ibi emendatio est, tametsi hac ipsa pagina duabus lineis ante, erratum minus diligenter corrigis. *Topica* forte dicere voluisti, mi Comes, uti Cicero quoque scripsit; usum ergo loquendi deserens conturbas Lectorem.

Eadem pagina contra *Neotericos Antecessores* ais: „*quamvis vero Patres hebraicae linguae fuissent inexpertes, ac illas dialectos-ignorassent, non eo minus tamen* etc.“ Etsi *inexpers* latinis non est in usu, tamen quoniam *expers* eum indicat, qui aliqua in re nullam partem habet, adeoque etiam imperitum, ignarum, hinc *inexpers* foret peritus, intelligens, ut vides in vocibus *fallibilis infallibilis*, *victus invictus*, et in centum aliis, in quibus *in* (forte ex sine) oppositam notionem infert vocabulo. At sic sumta vox *inexpertes*, repugnat contextui et scopo tuo. Iterum ergo vitium natum e deserto usu loquendi, dum *inexpertes* et *inexpertos*, istorum undique expers confudisti. Mirum, mi Comes, qui ne sententiolam quidem sciveris sine errore transcribere e Magistri Tom. 3. pag. 23. Ed. 2.!

Alias Neotericis insultans, sic Academicos alloqueris *b*): „*Quaeso animadvertite, eorum non propriae regionis asperitatem, quomodo isti loquuntur, sed animi cordisque segnitiem adversus Catholicos, queis illorum verba diriguntur.*“ An tuis haec clara sint nescio, nobis sola conjectura relinquitur. Causa est, quia in voce *Segnities* usum loquendi ignoras. Si enim Catholici segniter vobis adversamur, non erat cur argueres, quod tamen vel maxime facere voluisti.

Sed dices, non tua haec esse, sed versoris vitia. Verum, mi Comes, laus tibi cum illo communis est, quoniam sine te lucem aspicere dissertatio non potuit. Imo gratulor vel sic cessisse laborem; si enim tu ipse scripsisses, ut ego te novi, haud paulo deterius scripturus eras. Quisquis demum ille interpres sit, ejus gemellus est, qui doctissimi Abbatis *Bergieri* praeclaros

---

a) Pag. 108. *b*) Pag. 110.

Tractatus Historico-Dogmaticos de vera religione *a*), scriptos gallice, deturpavit latine; ut qui nativo sermone habere non potuerim, nunc cum taedio legam „*Scripturarum obscuritas ad hallucinandos Lectores excogitata b*),“ et his similia quavis ferme pagina. Ergo, mi Comes, qui Aristarchi ferulam arripueris in *Jahnium* aliosque, saltem ultra grammatices elementa provectum esse oportuit.

§. 20.

Dic jam nunc, mi Comes, annon illud *supremum* sit Hermeniae *principium*, e quo omnia huius disciplinae praecepta promanant, et ad quod tamquam ad centrum et ultimum finem omnes investigationes diriguntur? Quidquid enim seu de contextu, de parallelis, de substrata materia traditur; quidquid linguae cognatae, critica, archaeologia aut quodvis aliud praesidium complectitur commodi, ut probe nosti, eo unice collimant, ut quid auctor dicere voluerit intelligas; id vero est, ut eruto *usu loquendi*, animi illius conceptum assequaris. Dic, annon illud *supremum* sit, in quo inveniendo omnis interpretum labor desudat? quo obtento, finem omnium studiorum attigisti, et sine quo, quid tuus dicere voluerit Auctor, scire omnino non possis? Annon *supremum* illud sit, ad quod caetera omnia tamquam ad lapidem Lydium exigenda sunt? et ultra quod progredi nequeas, nisi alios ante Adamum quaeras homines, aut ex hoc mundo egrediaris?

Sed etiam dic, annon illud *certissimum* quoque sit, quod ab *Adamo* in praesens omnes homines frequentant et freqnentabunt in posterum, etiam universi terrae nostrae incolae usque ad consummationem seculorum? quod ipsis Ecclesiae decisionibus pro scopo et fundamento est (§. 18.), quod vehiculum est omnis traditionis et historiae? quod Apostoli, quod Genii coelestes et inferorum, quod divinus Magister et Pater omnipotens et frequentarunt et usu probaverunt? (ibid.) quod unum demum si tollis omnem humanum sermonem sustulisti? An tu, mi Comes, et Commilitones tui id recogitavistis apud animum vestrum, priusquam commenta vestra chartae illevistis? Annon portento simile est,

---

a) Venet. Tomi 3. in 4. 1790. *b*) Tom. 3. §. 9. pag. 99.

cum Magister tuus, in grammaticis quadraginta, in hermeneuticis et exegeticis annis triginta versatus, et dudum in totam Scripturam commentatus, haec ignorat aut pernegat? Ergo, mi Comes, multa didicerit olim necesse est. qui alios doceat, plura etiam, qui alios haereseos impietatisque arguat, ut mos vester est.

§. 21.

Respondetur Romanae Dissertationi.

Nunc te audiam, mi Comes. Ais pag. 112. de Hermeneutis, qui hoc principium statuunt; „*Fidem Ecclesiae, ac Disciplinam tot seculorum evertere curant, et ad Naturalismum recto tramite fideles ac incautos ducunt.*“ Si rem ullatenus intelligeres, sic scribere non potuisses; videres enim his ne tangi quidem nos, aut certe eadem accusatione involvi omnes hactenus Adae posteros, Angelos, Christum et Patrem omnipotentem, qui ut ostendi ab usu loquendi ne latum quidem unguem recesserunt; quia alia ratione nec ipsi intelligere loquentes, nec ab audientibus intelligi potuissent. Aliud, mi Comes, tu dicere voluisti; sed quia hanc disciplinam penitus ignoras, aliud dixisti quam intenderas. Monere nempe voluisti, si solo usu loquendi standum sit, periculum imminere salutari doctrinae, ut tristis experientia docet seculorum et praesentis temporis inter adversarios. Huic, mi Comes, plane assentior; nec tamen hoc *Jahnius* aut alter ullus docuit, imo prorsus contraria, ut videre potes Enchiridii §§. 13 et 32. Introd. lat. §. 91. sed de his plura capite proximo.

Alterum ponis ex usu Ecclesiae, quae: „*pro Bibliae intelligentia, Patrum Testimonia non desumit, quia isti usum sermonis hebraici callebant, — sed quia tamquam testes traditionis divinae et apostolicae — testimonium de traditione reddebant a).*“ Jam vero traditio nec concipi potest, nisi primi Apostolorum discipuli usum eorumdem loquendi seu praedicantium seu scribentium intellexerunt; probasti ergo necessitatem ejus quod impugnas. Ponas, mi Comes, *Ignatium, Clementem* aliosque non ita sumsisse verba et sententias, uti usus tunc ferebat publicus, ac ipsius etiam

a) Pag. 108.

Petri et Pauli; an illi scire poterant, quod hi Apostoli tradiderunt? an illi posteris transcribere poterant, quod non intellexerunt? Vides ergo, mi Comes, quod dum Ecclesia seu scripturae sensum, seu doctrinam universim sumit a Patribus, jam supponat, in longa hac Traditionis serie semper posteriores rite assecutos esse mentem anteriorum, id vero est. usum eorundem loquendi rite tenuisse. Conf. Trid. Sess. 4. Decr. de Can. Script.

Demum arguis *Jahnium* contemtus et spretae auctoritatis Patrum. qui scripserit: *Origenis*, *Hieronymi et Augustini Auctoritas*, *quoad nonnullos Scripturae S. locos aspernanda non est*; *Epiphanius ac Theodoretus autem in plurima*, *quae magni momenti non sunt. Quoad caeteros Patres*, *quia ex versionibus tantum eorum Commentarios hauserunt*, *literas hebraicas ignoravere*, *nullum de Hebraeorum usu loquendi testimonium possunt perhibere b*). Illico, mi Comes, ut haec legi, cuiusnam tu esses discipulus perspicue cognovi, adeo native vultum expressisti semper mentientis Magistri. Ponam ergo verba Jahnii ut Lectores videant, quam longe aliud ille scripserit, ac tu attulisti. Sic autem habet: „*Quae in Scriptis Patrum Ecclesiae*, *et quidem Origenis et Hieronymi hebraica*, *aut in Augustini libris punica reperiuntur*, *non sunt contemnenda*; *plura etiam in eis sunt*, *quibus meliora nemo hucusque protulit*. *Quae in Justino*, *Epiphanio et Theodoreto occurrunt*, *pleraque quidem non magni sunt momenti*, *quaepiam tamen attentionem merentur. Reliqui Patres*, *qui ex versionibus hauserunt*, *non noverunt Literas hebraicas*; *quare Testes de usu loquendi Hebraico esse nequeunt.*“

Quam turpem te dedisti, mi Comes, qui corrumpendo innocua dicta Jahnii publicae invidiae illum objeceris. Qui enim tua haec legerit, et quae illis subjungis de Traditione per Patres propagata, jurabit, *Jahnium Patrum Auctoritatem per omnia* convulsisse; cum tamen de eo agat unice, quantumnam praesidium sit in Patribus ad perficiendam linguam hebraeam, ad vocum notiones, ad sententiarum sensum magis per-

---

b) Pag. 109. Coll. Introd. lat, Jahnii §. 90. pag. 122. Ed. 1.

spiciendum, verbo ad cognoscendum hebraeorum usum loquendi.

Annon legisti de *hebraicis* tantum et *punicis* quaeri, adeoque ad hunc usum non esse eos, qui neutram linguam novissent? Annon vidisti, quod toto illo capite 4 unice agat de philologicis, de lingua hebraea, ejus conservatione, de defectibus et remediis, de linguis cognatis, earum indole et mutua relatione, de etymologia, de versionum usu in hunc finem, ac demum eodem ipso §. 90. de *Flavio Josepho et Patribus*? Dic, obsecro, quid his rebus cum ea Traditione commune est, quam e Patribus sumit Ecclesia? Multum, mi Comes, ex quo a nobis discessisti mutatus es. Octo enim Decisionum Tomos ita nobis fideliter dedisti, ut quod ajunt, de charta ad papyrum serviliter omnia transcriberes, quin quidquam adderes de tuo; cur ergo hic tam libere fingis, quod nunquam scripsit *Jahnius*? Sed de hac tua virtute post plura dabuntur. Caetera quae deblateras, uti et jacta in nos convicia praetereo, ut ocyus tuo Magistro respondeam.

§. 22.

Respondetur Magistro.

In prima *Institutionnm Herm.* editione de 1807. quoniam de principio usus loquendi nondum fama ad Magistrum tuum pervenerat, nihil etiam super eo litigitavit; sed hanc jacturam tanto sollicitius compensavit in editione altera de 1817 et in *Instit. Herm. N. T.* de 1818 *a*). Duplex scopus est docti sudoris: primus, *Jahnium* secum ineptissime pugnantem ostendere, indesinenter mordere et derisui objicere: quod si e voto cessisset, elisus una videretur et *usus loquendi*. Alter, linguis cognatis usum loquendi Hebraeorum adeo non juvari, ut potius hunc in finem, si illas quam maxime teneas, inutiles prorsus sint atque ineptae. Sed priusquam te ducam, mi Comes, per singula, monitum volo, ut in ipso jam limine probe teneas *usum loquendi*, quem sequitur Magister tuus; scilicet, aliud dicere,

---

a) V. T. Tom. 2. §. 60 — 62. pag. 134 — 143.. Tom. 3. §. 9 — 18. pag. 13 — 31. et Nov. Test. Tom. I. §. 28 — 41. Pag. 115 — 158.

aliud sentire, aliud ex aliis adducere, aliud, vel nihil prorsus, aut etiam contrarium legi locis citatis, quotiescunque de *Jahnio*, de *J. D. Michaele*, aut *Ernesto* agitur.

§. 23.

Jahnius ut nosti, mi Comes, acerrimus defensor est *usus loquendi*; hunc autem in veteri foedere illustrandum jubet e linguis cognatis. Magister tuus, qui pro summo principio ponit Ecclesiam, ea de causa cane pejus odit Jahnium una cum illo usu loquendi et linguis cognatis. Videbis ergo nunc, ut Magister tuus, ingeniose more suo, *Jahnium* secum ipso collidet, et ad absurdum deducet, quo una opera et illum et usum loquendi, et linguas cognatas objiciat derisui.

Statuit ergo, *modo recentiores* eam praetendere linguae Arabicae necessitatem, ut sine illa *ne quidem interpretatio fieri possit a*). *Sed hanc rem, inquit, refellit Jahnius Gram. Arab. b*). Illico tamen proxima pag. ex eadem praefatione adducit verba Jahnii, quibus ille tantam necessitatem praetendat arabicae, ut ab tirone Theologiae nec abesse possit, imo *sine qua ne tiro quidem esse possit Theologiae c*). Habes ergo in eadem praefatione secum pugnantem *Jahnium;* ad absurdum autem deduxit, cum ex hac absoluta necessitate Arabicae intulit, Ecclesiam quae arabica usa non sit, in praesens *palpasse* in tenebris, cum e Scripturis fidei morumque doctrinam explicaret *d*).

§. 24.

Sed ex his sine labore te expedies, mi Comes, *solo usu loquendi* Magistri, de quo §. 22 monui. Non tantum enim *ex recentioribus modo*, in ea absoluta arabicae necessitate nemo ita delirat, sed ne inter antiquos quidem, qui ante duo secula justam hebraeae firmitatem in dubium traxerunt, ut *Vossius*, *Forsterus*, *Rumelinius*, *Bohlius*, *Neumannus*, *Gussetus* etc. quisquam est, qui de ea unquam somniaverit. Quomodo enim ad ea incongrua reparandi media, uti

---

a) T. 2. Vet. Test. §. 61. pag. 135. et §. 62. pag. 142. in fine. *b*) ibid. §. 61. pag. 136. *c*) ibid. p. 137. *d*) §. 61. p. 136.

Alliteratio est et *ficta literarum potestas*, delabi potuissent, nisi quanta ex Rabbinis suppetebat, linguae habuissent notitiam *a*)? Sed et illud merum commentum est, quod eam necessitatem refellat Jahnius. Cur enim refelleret, quod nemo propugnavit? Caeterum vide, mi Comes, an in illa praefatione vestigium eius rei invenias. Quod autem de *tirone* theologico bis eadem commemorat pagina, vide ut ille tum etiam tibi illudat, cum ipsa profert verba *Jahnii b*). Si enim contextum relegeris, videbis sermonem ibi esse de eo *tirone*, qui olim scrutator velit esse scripturarum, et is Theologus, qui officii sui partes per omnem disciplinae ambitum pernoscat et impleat; qui moderno imprimis tempore, quo sub obtentu usus loquendi orientalium tantae novitates invehuntur in Theologiam ab adversariis, cum fructu iis possit occurrere; cui demum adversarius regerere non possit: aliter sentias, si linguas orientales noris *c*) Quaere nunc e tuo Magistro, an ille contra hoc *Jahnii* judicium possit vel mu facere? an ille non in manifesta fraude teneatur, qua illudere tentavit Lectoribus.

De Ecclesia autem *palpante in tenebris*, dic illi, ridendam esse sequelam ex absoluta arabicae necessitate, quam hunc in finem praevie, sed paulo pinguius commentus est. Possis illum etiam monere, quod eadem sequela obtineat etiam circa hebraeam, nisi concilia protulerit, ubi ductu hebraei textus decisa fuere dogmata. Addes et illud, Ecclesiam suo in munere non duci philologicis et grammaticis litibus, sed traditione et Spiritus S. praesidio; eoque definiens verba Joh. 20, 23. *Quorum remiseritis peccata* (§. 18.) subjunxit: *sicut Ecclesia Catholica semper intellexit.* conf. etiam Sess. IV. Decret. de can. script. sub initium. Critica autem, philologica et grammatica permittit Theologis, quorum est, eum sensum non tantum ex auctoritate, sed ex intrisecis rationibus asserere et vindicare. Suaseris ergo ut principia catholica habeat, familiaria, nec

---

a) Conf. *Jahn* Introd. in Vet. Test. Par. 1. §. 71. 72. Ed. Germ. *Baueri* Herm. V. T. §. 14 — 18. *Schultens* Orig. Hebr. L. I. C. 4. et subsequis. *b*) Dem angehenden Theologen so nützliche, ja unentbehrliche arabische Sprache pag. XXV. *c*) Pag. XXIV — XXX.

se insulsis consequentiis faciat ridiculum; cum ridere volet alios.

§. 25.

Sed ulteriora Magistri nunc audi, mi Comes. *Ex Jahnii* sententia, inquit, usum loquendi „*his adjunctis determinari oportere: tempore, religione, disciplina, reipublicae constitutione* etc *a*). Nec hoc satis, etiam ad *contextum* recurrit et *loca parallela b*). Quod amplius, adhibendae sunt etiam *linguae cognatae c*); et quia desunt testimonia directa de usu loquendi, adhuc *saltandum ulterius* ad ipsos sacros auctores, tamquam *testes directos d*). In quibus ipse quoque *Ernestus* consentit *e*). *Ecce ergo ipsi repudiant loquendi usum per testimonia cognitum f*). *Quomodo haec inter se cohaerent g*)? *Si ergo usus loquendi est summum principium, is „deberet jam haberi comparatus aliunde, atque ex aliis extra scripturam sacram fontibus, tamquam distinctum quid ab ipsa interpraetatione, perinde ut statera et trutina non hoc est, quod ea ponderatur h*).“

Quanta pondera argumentorum, mi Comes, quibus nec Magistri quidem *usus loquendi* (§. 22.) opitulabitur, quod corrumpenda non videbantur, quae ex se satis momentosa essent! Sed adverte, Romanos ubi Evangelium receperunt, non desiisse loqui latine; nec Gallos, mutata reipublicae forma, nunc loqui hebraice aut graece, nec *Jahnium* aut *Ernestum* dixisse, ex illis adjunctis discendum esse usum loquendi, sed tantum pressius *determinari*, *definiri*, uti res ipsa loquitur. Si ergo ex novis illis circumstantiis vel nova vocabula, vel antiquis vocibus novae notiones accesserunt, tunc quod suapte clarum, ex his recentibus vetera non illustrabimus; utrumque tamen interpreti noscendum, si suum volet intelligere auctorem. Hinc,

---

a) Vet. Test. Tom. 2. §. 62. p. 140. coll. Jahn. Ench. §. 8. Ernest. Instt. Interpr. N. T. Part. 1. Sect. I. Cap. 1. *b*) ibid. Tom. 2. p. 142. Enchir. §. 13, p. 40. *c*) ibid. Tom. 2. §. 61. 62. *d*) ibid. Tom. 2. §. 62. p. 142. et Instt. Novi Test. Tom. 1. §. 28. p. 119. *e*) Part. 1. Sect. 2. C. 2. p. 60. *f*) Instt. V. T. Tom. 2. §. 62. p. 140. *g*) Instt. N. T. Tom. 1. §. 28. p. 120. *h*) ibid. p. 117. 120. 121.

mi Comes, non puto te unquam fuisse tam ineptum, ut quoniam *latro* olim *militem* significabat, tu Generali unquam dixeris: *salve dux latronum!* nec quia Christianis, ut olim gentilibus, *pontifex* et *parochus* in usu sunt, ex munere istorum, jura et officia explicare velis veterum illorum. Intellextin?

De *Contextu* non dubito quin jam in grammaticis monitus sis, ut quoniam voces plures notiones habent, diligenter contextum expendas, quaenam e pluribus uno quoque loco usurpanda sit. Atque id cum proportione etiam de *parallelismo*.

Ad *linguas* autem *cognatas*, mi Comes, prudenter recurritur. Si enim ut plus vice simplici fatetur Magister tuus, Hebraei inter fata adversa multas perdiderunt radices et vocum notiones, nullibi aut certius aut uberius his reparandis promtuarium reperies, quam in cognatis, quibus ipsi etiam Rabbini ad mortuae hebraeae illustrationem perpetuo usi sunt. Ne tamen rebus, quas praeter Magistrum tuum omnes norunt huius diciplinae cultores, diutius immorer, unicum ponam exemplum, ex *Hieronymi* Praefatione 1. in *Jobum*. „*Haec, inquit, Translatio nullum de veteribus sequitur; interpretem, sed ex ipso hebraico arabicoque sermone, et interdum Syro, nunc verba nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit.*" Quanti autem fecerit *Chaldaicum* disces ex ejusdem Praef. in Danielem. Vides ergo Tiberiadenses Academicos, unde suos Magistros sumsit Hieronymus, serio insudasse, perficiendae hebraeae e linguis cognatis. Sed de his pluribus infra.

Tandem et his desertis, ulterius *saltandum* est, inquit Magister, ad ipsos sacros auctores, tamquam *testes directos.* Tuus Magister, mi Comes, ut raro nexe cogitat, ita hic quoque ordinem permiscuit. Neoterici omnium primo quaerunt testes directos, ubi haberi possunt, postea indirectos, versiones scilicet et linguas cognatas. Videre id potes, mi Comes, in *Jahnii* Introductione, ubi ille omnium primo agit de ipsa lingua hebraea, eius fatis, propagatione, testibus etc. Hinc transit ad versiones, in quantum velut testes, licet indirecti, usui sunt. Tandem de cognatis, et quaecunque huc pertinent *i*). In *Enchi-*

i) Introd. V. T. Part. 1. Cap. 4. §. 68 — 91.

ridio autem de iis, quae proprie ad Hermeneuticam pertinent. Scias enim, mi Comes, omnia linguae alicujus vocabula, tamen quid quisque scripserit auctor, non intelligis, nisi una adhibueris contextum, substratam materiam, et quae huc pertinent caetera; quia pro diversa istorum ratione variae etiam adhibendae erunt vocum notiones, jam latiores jam angustiores, jam propriae jam impropriae. Nemo est autem, mi Comes, qui neget, per Rabbinos linguae mortuae maximam partem esse conservatam, eosque etsi non sunt testes directi, in eo tamen esse usui, quod eorum ope scripta Hebraeorum, etsi non plene, nec pari ubique certitudine, intelligamus; sicque ipsis sacris auctoribus in plerisque velut testibus directis utamur.

De *Ernesto* autem minime credas, mi Comes, illum sibi esse contrarium. Quomodo enim vir tam doctus in summo principio humani sermonis, usu nempe loquendi, sibi repugnaret, qui Ciceronis scripta ita penitissime imbibit, ut etiam sine codicibus lectiones mutaret. Sapienter ille de his rebus praecipit in suo *Novi Testamenti Interprete*, uti agnoscit etiam Jahnius *k*); sed tuus Magister, ut vel hactenus vidisti, haerens adhuc in rerum istarum cortice, pugnantia putat; quia nondum didicit systematice cogitare, uti id dudum notum est omnibus. Nemo ergo, mi Comes, usum loquendi probatum legitimis testibus repudiat, ut tuus hallucinatur Magister, sed tantum Rabbini, et versionum auctores insufficientes declarantur, a quibus linguam plene et debita certitudine pernoscas, quod ipse quoque fatetur Magister tuus *l*).

§. 26.

Hinc jam vides, mi Comes, quam non docta sit contra *Neotericos* Magistri tui illatio, usum loquendi a sensu esse aliquid distinctum, ut differt *statera* et *trutina* ab objecto ponderando! Annon enim eadem ipsa pagina *m*) adducit *Jahnium* qui dicat: *Sensum ex usu loquendi deductum obstinate tenendum esse?* Non igitur aliunde, sed ex ipso usu loquendi immediate derivatum dixit. Quaere, mi Comes, ex quocunque tirone, an, si voces et sententias cuiuspiam

---

k) Ench. §. 8. Coll. Ernest. Part. 1. Sect. 1. 2. *l*) Vet. Test. Tom. 2. §. 59. et 60. m) Instt. N. T. T. I. §. 28. p. 117.

scriptoris ita sumat, uti eas sumsit natio ejusdem linguae, et ipse scriptor, mentem tenèat scriptoris? et non momento haesitabit id affirmare. Ut enim impossibile est sine vocibus ac sententiis usu loquendi sumtis, sensum cognoscere; ita homini sano impossibile est, non rite intelligere auctorem, si ex usu loquendi eius voces sumat, atque sententias. Quae ergo ne divelli quidem possunt, haec tuus Magister toto genere distare sane quam inique nobis objicit.

Sed nunc jucundius aliquid audies. Ait Magister tuus: *Sensus est quod verbis significatur. — Vocabula quaevis ab usu et more loquendi suam habent significationem n). Usus loquendi est vocum, ac dictionum usurpatio in significatione, quali eas adhibendi in sermone obtinuit mos. Hunc omnis sermocinans observare debet, — secus intelligi non posset o).*" *Dum ergo usus loquendi non est primum et supremum interpretandi principium; sed nec comparatur et acquiritur ejus notitia nisi jam per ipsam interpretationem, sensusque protractionem, priorque haec sit cognitione usus loquendi; quodnam ergo aliud est primum et supremum principium p)?*" Stupendus homo est, mi Comes, iste Magister tuus! Legit ille psalmum, sed vocum notiones tamquam inutilia putamina nucis nec considerat; post protrahit sensum, perspicit mentem animumque auctoris haud secus ac si ille psalmum scripsisset; demum si vacat et lubet, eum etiam subit laborem, ut quid voces more Hebraeorum significent, obiter circumspiciat.

Mi Comes, omnes docti, si vis, ab Adamo ad Magistrum tuum comparati, lixae sunt atque calones. Minutuli homines tota vita insudant quaerendis vocum notionibus, nec vident, opus non esse hoc insulso stramine; imo si velint, modo legere docti sint, omnium nationum libros intelligent, etsi earum linguas nunquam didicissent. Non mediocriter ergo, mi Comes, profecimus, nec vana spes est, si tertiam adornaverit editionem Magister tuus, ut viam doceat, quomodo nec sermone nec hermeneutica amplius egeamus, qui etiam sine usu loquendi interpretari possimus.

---

n) Instt. V. T. Ed. 2. T. 3. §. I. p. 4. *o)* N. T. T. I. §. 28. p. 115. *p)* ibid. §. 29. p. 122.

Stupui cum haec primum legeram; sed subiit in mentem mysterium hoc non hesternum esse Magistro, qui dudum in utrumque testamentum commentarios sine omni usu loquendi scripserit. In prima tamen Institutionum editione nihil adhuc istorum reperias, sed aperte et simpliciter scribit, ut omnes sani solent. *In hac sensus investigatione, inquit, fere eaedem observationes sunt, quae in alio scriptorum genere, siquidem usisato mori loquendi ipsa etiam conformata sit scriptura. Nec fere aliud hic opus est, quam communium observationum disserendi, verbaque aliorum intelligendi, huc ad Scripturam S. applicatio q).*" Latebat enim adhuc Magistrum principium loquendi et *Jahnius*, cujus aemulatione provectus, modo nobis haec otia fecit: eoque nunc non paulo pluris mihi est *Jahnius*, quod etiam post mortem nobis immortaliter profuit, tibique, mi Comes, de tanto impensius gratulor Magistro, cui ex meritis praecelsis, exactisque in Grammatica et Hermenia 40. annis, summi ingegno Aristarchi dignitas debebatur. §. 6 et 7.

§. 27.

Jam nunc candide dic, mi Comes, an §. 25. relatis Magistri tui argumentis eversum putes principium usus loquendi? Ego, si per te licebit, existimo iis ipsis etiam magis firmari, cum palam sit, illa omnia eo unice dirigi, ut easdem omnino notiones conjungas cum vocibus, et sensum cum sententiis, quem auctor ipse in animo habuit, dum scriberet; id vero est, ut ejus loquendi usum plene assequaris. Sed quia hunc intimum rerum nexum Magister tuus non perspicit, eo fit, ut illa tamquam totidem nova, ac in se absoluta principia sibi imaginetur, ideoque secum ipsis pugnare *Neotericos* putet dum unicum statuunt supremum. — Quo errore detineri Magistrum tuum cernes aperte, si illa etiam contuleris, ubi se miserandum in modum torquet in *modis a)*, quibus extrahi possit sensus auctoris. Varii nempe sunt *modi*, jam per antecedens, jam per consequens etc., et satis esse, si *uno modo extraxeris*, quin opus sit idem fa-

---

q) V. T. Ed. 1. T. I. C. XIX. p. 206.
a) Instt. V. T. Ed. 2. T. 3. §. 18. p. 30. N. T. T. I. §. 28. p. 121. §. 29. p. 122.

cere omnibus *modis*, atque hinc illud etiam extraxit, inter tot *modos*, non posse dari unicum *modum* extrahendi; ut *Neoterici* volunt, per usum loquendi! Quasi vero illi *modi* aliud sint quam totidem media subordinata, quibus devenias ad usum loquendi. Nisi forte putat Magister tuus, si vocabularium edidiciscet, menti continuo praesto futuras omnes veritates, quaecunque in ea lingua unquam fuerunt perscriptae.

Tam misera hallucinatio etiam ea est, dum Jahnium incohaerentiae arguit *b*), qui asserto licet supremo principio, tamen dicat *c*), *usitatam vocum notionem sine gravi ratione exegetica relinquendam non esse; rationem vero illam gravem esse, si contextus orationis, aut alia adjuncta eam respuant.*" Confer *Jahnium*, mi Comes, et videbis sapienter id esse monitum. Praemittit enim, antiquos statuisse sensum proprium deserendum non esse sine necessitate aut causa evidente. Fit autem ut non semper adsit *evidens causa*, et tamen tropum praeferamus proprietati verborum. Quia autem neque *necessitatem* illam antiqui clare exposuerunt, hinc *Jahnius* aptissime monuit: *addere etiam potuissent, usitatam vocum notionem* etc. Quid enim? an Magister tuus mavult sacrum auctorem contextui et adjunctis repugnantia dicere, id vero est insulsa scribere, quam recedere ab *usitata notione?* Annon Exodi 14, 5. notio fugiendi, *discedendi d*) adeo usitata est, ut nullam aliam invenias etiam in optimis lexicis superioris aetatis? Et eam tamen evidenter respuunt contextus et adjuncta. Vid. infra §. 33. Exponas Joannis 1, 1. λογος seu juxta hebraeum, seu juxta graecum usum loquendi sine quadam violentia, si potes.

Ergone talibus locis verba sine sensu usurpavit? minime, sed usurpavit a communi usu remotam, reconditam, et ut subinde fit, in voce priva auctori, notionem quoque sibi uni propriam. Si ergo auctor ipse in similibus obvie usitatam vocis notionem deseruit, obsecro, mi Comes, quid monstri sit, „si eam deserat quoque interpres?" Erit ergo tunc officium interpretis, peculiarem vocis notionem, quam auctor praeter communem morem secutus est, inquirere;

---

b) ibid. §. 6. p. 48. et §. 28. p. 120. *c*) Enchir. §. 35. p. 106. *d*) ברח.

quod quid est nisi usum loquendi auctori peculiarem indagare? Quod si inveneris, recte se habebit; sin minus, dices, *non liquet:* cuius generis, mi Comes, multo plura occurrunt etiam doctissimis viris, quam tuo Magistro, qui si qualecunque commentum sine usu loquendi attulit, continuo addit: *demonstratum* est; quam solam vocem si tolles, ejus opera integro tomo minueris.

§. 28.

Principium supremum Magistri.

Hactenus, mi Comes, de principio *Neotericorum*, nunc audies principium Magistri ex intimis penetralibus Hermeniae extractum. „*Primum, inquit, et supremum quavis in arte principium illud est, quod Caput atque fons est omnium aliorum ejusdem artis et disciplinae; et quo reduci debeant omnia caetera, quae sunt ejusdem artis, ipsum vero nihil habeat, quo reduci ulterius possit a).*" Haec, mi Comes, ita plausibiliter, tamquam unum e *Neotericis* audias loquentem. Ubi dein alia subjunxit pertinentia ad *contextum, parallelismum* etc. postremum ejus capitis §. inscribit: *Primum et summum interpretandi principium;* et definit esse *Ecclesiam*, inclusis una *Patribus b*).

Nunc jam, mi Comes, hoc *principium summum* ex praescriptis a Magistro tuo notis examinabo. Notissimum est, *fidei morumque doctrinam*, tamquam sacrum depositum traditam esse Ecclesiae intemerate servandam, eoque divino praesidio ita ab divino auctore esse communitam, ut nulla vi hostili unquam depellenda sit in devium. Magistri ergo principium 1) ita jejunum, ita mancum est, ut maximam scripturarum partem ne attingat quidem.

Sed 2) idem defectus est etiam in ipso *fidei morumque* argumento. Cum enim Ecclesiae judicium de textibus Scripturarum scire non possis, nisi e Conciliis aut Patrum unanimi consensu; si ad multitudinem locorum moralium et dogmaticorum, qui per omnem Scripturam sunt obvii, animum adverteris,

---

a) Instt. V. T. T. 3. §. 9. p. 13. *b*) ibid. §. 18. p. 30. et Instt. N. T. §. 41. p. 157.

vel invitus fateberis, non centesimam istorum partem lucis aliquid accepisse seu ab Conciliis seu a Patrum unanimi consensu.

Adde 3) jam hoc solo Ecclesiam usurpari non posse pro *Principio supremo*, quod ipsiusmet Ecclesiae judicia et decisiones de sensu Scripturarum, ab usu loquendi dependeant sacrorum auctorum. Nisi enim locis singulis eas omnino notiones cum vocibus, eamque potestatem cum sententiis conjungit, quem S. Sacrae scriptor tunc in animo habuit, praeter promissum et scopum non sacri auctoris, sed suum tibi offeret sensum; id vero est, neglecto usu loquendi ab sensu auctoris aberrabit; quem tamen per continuam traditionem a majoribus se accepisse testatur; quorum primos et rite intellexisse usum loquendi Apostolorum, et quod hac via debite percepissent, fideliter etiam tradidisse posteris, jure supponit. Confer §. 18 et 24.

§. 29.

Non minus insufficiens est 4), mi Comos, si illud ex scopo Hermeniae aestimes. Huius enim officium est, tibi viam, media, legesque indicare, quorum ope, non obscure modo sensum aliquem cum verbis conjungas, quod rudiores etiam solent; sed seu ex universalibus humani sermonis legibus, seu ex peculiari nationis aut ipsius auctoris loquendi usu, aliisque adjunctis, de quibus Hermenia praecipit, eum ipsum ostendere sensum, quem in animo habuit, cum scripsit: praebere criteria, ex quibus, quid inter divergentia commentatorum judicia, aut certum, aut caeteris probabilius sit statuas: docere demum, cum erit necesse, sensum Catholicum contra adversarios ex iis principiis asserere, quae nunquam non extra scripturas tamquam indubitata adhibent ipsi adversarii. Hoc enim, mi Comes, nisi praestat disciplina haec, fructu vacua est, et ipsum humanum sermonem jure incertum dixeris.

Si enim, ut fatetur Magister tuus, nec a quoquam negari potest, scripturarum sermo ut quisque alter, humanus est: neque aliis quam humanis legibus regi potest, ut satis ostendi primis Capitis huius §§., nec eas ecclesia reddit superfluas, aut ipsa subterfugere potest, dum genuinum nobis tradit sensum scripturarum. Si ergo hoc solum noris, quod hac li-

cet infallibili discis magistra, nec hermeneutae nec dogmatici unquam implebis officium, quoniam ad eos spectat, ipsas etiam intrinsecas causas nosse, cur recte, cur merito sic senserit ecclesia. — Neque enim, mi Comes, Hermeneutica mysteria habet, etiam cum maxime docet et asserit mysteria. Non enim in talibus logicam illam et intrinsecam veritatem, quae ex perspecto praedicatorum cum subjectis concentu resultat, perquirit; sed vocum notiones, earumque mutuam relationem, verbo, sensum grammaticum indagat, qui etsi ex non perspecto satis usu loquendi possit esse obscurus, in se tamen, nisi cum fine humani sermonis pugnat, nunquam potest esse mysterium, quamvis id mysterium sit, quod ipsis verbis expressum est.

Ex hoc ergo Magistri tui principio, sensum ab ecclesia traditum pie credere quidem potes ac etiam debes, at, quoniam ecclesia criticas, philologicas, grammaticas, aliasque universim valituras causas nunquam addit, scire illum ex arte, ut tuus praetendit Magister in ipsa definitione principii, nunquam potes; minime autem contra adversarios, sine perpetua petitione principii defendere; quae omnia cum scopo Hermeniae apertam pugnam habent.

§. 30.

Sed 5) Magistri tui principium sic insuper comparatum est, ut inter millenos Scripturarum non plane rudes lectores, vix quemquam reperias, qui possit illo uti. Annon enim, mi Comes, necubi contra ecclesiam unanimesque patres sensum statuas, ut obolum in pera, sic Acta Conciliorum, omniumque Patrum scripta circumferre debebis in cerebro, ut singulo quoque fidei morumque loco totam antiquitatem velut in speculo semper praesentem habeas, semperque dilucide videas, an, ubi et qualiter intelligant, et definiant, consentiant aut dissentiant? Auctor igitur tibi sum, ut e Magistro quaeras, an ille ducentena circiter Volumina grandia possideat? an legendo unquam exhauserit, an demum velut in mantica, praesentissima semper circumferat memoria? Quod nisi est, obstinatissime nego et pernego, ecclesiam ejus sensu unquam esse posse Hermeniae *supremum principium.* Tute videas, tute judica, mi Comes, an tanta legeris, an usque adhuc retineas memoria, ut certo

statuas de aliis, quorum millia invenias in sola Italia, qui ea volumina forte nec viderint quidem in vita sua, tantum abest, ut ea velut alteram cutem ad sepulchrum usque fidelem induerint?

Demum, ne in rebus apertis tempus conteram, hoc unum 6) addam, nec ipsam quidem conciliorum decisionem, aut unanimem patrum consensum ullo tibi fore usui, nisi prius in *Neotericorum* transeas sententiam, usumque loquendi pro *summo* statuas *principio*. Quid enim scies, mi Comes, seu ex conciliis seu e patribus, nisi in eorundem scriptis atque decretis, cum singulis vocibus eas notiones, cum sententiis eam potestatem semper conjunxeris, quas illi mente tenebant cum sua ad posteritatis memoriam in scripta retulerunt? Id vero quid aliud est, quam sequi in omnibus usum loquendi, quem solum si negligis, humanum sermonem funditus sustulisti.

Nunc jam, mi Comes, *definitionem* Magistri tui initio §. 28. positam, cum dictis confer, et vide, an in illa ullum verbum verum sit? confer ipsas Magistri Institutiones utriusque testamenti, et quaere, an quidquam eorum quae Hermeniae sunt propria, ab ecclesia velut supremo principio deductum sit, aut ad eam ulla ratione possit reduci? Mirare Magistri tui tantam incogitantiam, qui in ejusdem capitis initio et fine secum tam pugnet absurde *a*). Te vero, mi Comes, vera laude frustrari, quam praeclaro ingenio tibi peperisti, mihi religio est. Qui enim hanc incohaerentiam videris, retento eodem supremo principio, mirabilem in totam Hermeneuticam concentum induxisti sic scribens: „*Nam ea est conditio linguae sanctae, ut non solum vera intelligentia sacri codicis accipienda sit ex traditione, verum et ipsa lectio; quippe qui sine punctis vocalibus exaratus, recte legi non possit, nisi ab eo, qui jam lectum audiverit, sive ab ecclesia didicerit, quomodo legi debeat b*)!“ confudisti ergo Magistrum tuum, tam turpiter incohaerentem, et sapienter incurristi in *Scyllam* vitaturus *Charybdim*.

---

a) Instt. V. T. T. 3. Cap. 2. pag. 13 — 30. *b*) pag. 111.

§. 31.

De linguis cognatis.

Sed jam aliquid de *linguis cognatis*, quas Magister tuus, quoniam omnibus cupit esse invisas, contra omnium doctorum judicia et experientiam, ad illustrandum hebraeorum loquendi usum, quidquam facere negat, et subdole ridet adversus publicae Institutionis ordinem. In eo autem ejus unice desudat conatus, ut sermonem Arabicum, qui uberrimus fons est, ab hebraeo toto coelo distare persuadeat. minus sollicitus de caeteris. Paucis ergo, mi Comes, ostendam quam haec imperite aut malevole coram Auditoribus quotannis deblateret tuus Magister.

Arabes interioris Arabiae suam originem derivant ex *Jóktan* seu ut vulgata habet *Jektan*. Est hic frater junior *Phalegi* communi patre *Heber a*). Vides ergo duos fratres germanos, quorum alter initium dedit Arabibus, alter in stirpe sua propagavit Hebraeos. De lingua ergo his fratribus communi nullum dubium est. Anteriorem Arabiam insederunt *Ismaelis* posteri, et reliqua progenies Abrahae ex *Ketura b*). Eadem ergo iterum progenies et lingua Ismaelitis et Hebraeis communis. De his, mi Comes, si Arabum cupis sensa cognoscere, et prolixas *Joktanitarum* et *Ismaelitarum* atque etiam *Koreisitarum* genealogias lustrare, non frustra adibis universalem historiam *c*).

Jam ergo haec Arabum Hebraeorumque ex iisdem patribus tracta origo, non minimum praejudicium creat pro linguae conjunctione etiam apud posteros; quod confirmat quoque experientia tardior. Vides enim non tantum in genesi, sed etiam postea, Hebraeos cum nationibus semiticae originis, quae undique Palaestinam accolebant, sine interprete conferre sermonem; atque id obtinuisse usque ad captivitatem babylonicam, cum hoc tempore, eo indicio legamus designari nationes ab Hebraeis procul remotas, quod linguam eorum non intelligant *d*). Et certe hebraeus

---

a) Genes. 10, 24 — 30. 11, 14 — 19. *b*) Genes. 25, 1 — 16. *c*) Allgemeine Welthistorie in England durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertigt, übersetzt von S. G. Baumgarten Tom. 13. p. 335 — 450. *d*) Jerem. 5, 15. Baruch 4. 15.

olim circumire poterat per Syriam usque ad mare caspium, inde usque ad sinum persicum, usque ad extrema Arabiae, atque etiam per Abyssiniam in Africa sine interprete: imo si Phoenicum spectes colonias in Africa superiore, in Hispania aliisque mari mediteraneo adsitis locis, facile intelliges, nullam esse nunc linguam Europae, cuius tam prolixa sit per regionum tractus conjunctio.

Adde ex *Poenulo Plauti* orationem Poeni *Hannonis e)*, ejusque expositionem in Bocharti Phaleg et Canaan *f)* et dicas caecutire Magistrum, nisi agnoscit sororem hebraeae. Sed memorabilior mihi videtur alter consensus huius *Hannonis* cum suis majoribus in terra Chanaan *g)*. Ut enim Hethaei ibi nunquam Abrahamum alloquuntur sine praefamine honoris „*domine, domine mi*“ sic *Hannonis* quoque salutatio est „*Havo, havo donni h)*,“ etsi ab iis distat annis mille septingentis. Qua de conjunctione linguae punicae et hebraeae etiam in Augustino testem habemus; cujus loca collecta vide in *Jahnio i)*. Quantopere autem eodem tempore perficiendae e cognatis hebraeae operam dederint Tiberiadenses Academici, jam supra *Hieronymi* verbis retuli §. 25.

§. 32.

Sed jam nec testibus quidem opus est, cum ipsa id doceat experientia obvia. Mitte igitur Magistrum tuum ad *Castellii Heptaglotton*, ut jam oculis videat et manibus palpet, quanta et quam arcta sit *Chaldaeae*, *Syriacae*, *Samaritanae*, *Aethiopicae* ac inprimis *Arabicae* cum *Hebraea* conjunctio; videat in radice Arabica decem ac etiam viginti superesse notiones, ubi Rabbini unam alteramve nobis e naufragio servarunt. Si ergo pauculae hae notiones non sufficiant omnibus locis intelligendis, in quibus vox hebraea in scripturis recurrit, quis tam superstitiosus sit, ut si in cognatis supersit, quam poscit contextus hebraeus, eam usurpare vereatur, et velut post-

---

e) Act. 5. Scen. 1 et 2. V. 38 et 41. *f)* Libr. 2. Cap. 6. p. 721. *g)* Genes. 23. *h)* Act. 5. Sc. 2. V. 38 et 41. חוה אדוני, חוה, usurpato ו pro י ut in nomine Evae gen. 3. 20. *i)* Introduct. in Vet. Foed. Edit. germ. Part. 1. §. 68. p. 242.

liminio reddere Hebraeis, qui suis expulsi sedibus, palantesque per orbem, et iteratis cladibus ad unam tertiam redacti, eam amiserant?

Inspiciat demum lexica, annon ordine per radices, et non raro etiam in derivatis, appositam leget Chaldaeam, Syriacam, Arabicam et subinde etiam Aethiopicam vocem cognatam ejusdem notionis? Circumferat oculos et videat, quot inde a seculi superioris dimidio difficultates, quae insolubiles videbantur, expeditae; quot obscura illustrata, quot commodis universa res exegetica aucta atque provecta sit praesidio cognatarum? Nec nisi hac via factum est, ut hebraea, quae haetenus ipso fatente Magistro, incerta Rabbinorum auctoritate nixa est, communi nunc nitatur vivarum etiam linguarum fundamento, consentientibus nempe cognatis, inprimis Arabica adhuc viva et omnium uberrima: in quo sane non modicus proventus est.

§. 33.

Legis, mi Comes, in Exodo *a*): nuntiatum esse Pharaoni *quod fugisset populus.* Sed quam incohaerenter! Nosti enim, rege populoque urgente illos egressos *b*), liberrime ire potuisse in Arabiam usque Sinai, ut Deo sacrificarent *c*); novisse probe Pharaonem, in libertatem assertos, nunquam redituros esse *d*); nosti demum, Hebraeos nunquam magis fuisse in potestate Pharaonis ac hoc ipso tempore; quia ab Arabia illos divisit mare, et quo ulterius in litore maris occidentali versus meridiem processissent, tanto certius perituri erant in deserto. Causa incohaerentiae est, quia vocis hebraeae per Rabbinos unica notio *fugiendi*, amissis caeteris, ad nos perlata est, quae tamen huic loco non convenit. Sed inspice *Castellii Heptaglotton*, et sub eadem radice primam notionem leges: *obvertit latus corporis sinistrum, a dextra transiens ad sinistram.* Hinc porro *recessit*, *fugit*; quia recedentes in bello sinistrum latus clypeo tectum hosti obvertunt, dextera gladio armata; est ergo simile latino: *terga vertere* pro *fugere.*

---

a) 14, 5. כי ברח העם. *b*) Ex. 12. 31 — 33. *c*) ibid. 3, 12 — 18. *d*) ib, 8, 25 — 28. 10, 8 — 11. et 24 — 26.

Habes jam nunc locum expeditum. Moses enim ex Aegypto ducturus suos in Arabiam, debuisset extimum sinum maris rubri circumire, adeoque dextrum latus illi obvertere, sed Deus jussit *e*), ut Moses eos deducat juxta litus maris occidentale; quo factum, ut non jam dextrum, sed sinistrum latus mari obverterent. Hoc quoniam non poterat non videri insanum omnibus Aegyptiis, quoniam hac ratione ab Arabia, quo tendebant, mari interjecto excludebantur; hinc ingens haec a via aberratio illico regi significata est, bellicusque apparatus successit; quia nec ut coturnices transvolare poterant Hebraei, nec de futuro prodigio cuiquam in mentem venire poterat. Dic jam modo, mi Comes, quid nuntiatum est Pharaoni? non certe quod *fugerint;* hoc enim circumstantiis repugnat; sed quod res ipsa loquitur, et vox Arabica exprimit: nempe nuntiatum est, quod Hebraei latus sinistrum mari obverterint, id vero est, quod juxta latus occidentale iter instituant, in sana, ut videbatur, prorsus ratione, quoniam sic impossibile fuit devenire in Arabiam; sicque omnia in plena luce sunt *f*).

§. 34.

Simile est illud 1 Sam. *a*) ubi Saul per abruptissima solisque ibicibus pervia, persequens Davidem, speluncam ingreditur: ut *purgaret ventrem b*), id est, serviret naturae, ventrem levaret. Quam hoc incredibile sit, clarum est e subsequis. Latebat enim in eadem spelunca David cum sexcentis viris, quos ficto oraculo Saulis caedem suadentes, *sermonibus confregisse c*) dicitur. Sed etsi a caede abstineret, oram tamen vestimenti praecidit. Dic, mi Comes, quomodo fieri id potuit, cum eo in actu vestes adstringantur corpori et in sinum colligantur? an Saul vigil licet, nihil vidit nihil sensit? Gladio, mi Comes, aut cultro satis magnam vestis partem vigilanti amputare quin sentiat, res supra fidem est *d*).

Idem habes in libro judicum *e*), ubi servi *Eglo-*

---

e) ibid. 14, 2. *f*) Vid. Suppl. J. D. *Michaelis* No. 289.

a) 24, 4. *b*) להסך את רגליו. *c*) 23, 13. *d*) 24, 12. *e*) 3, 24.

nis regis, *Aodo* jam digresso, quoniam clausae erant caenaculi fores, aiunt: *forsitan purgat alvum in aestivo coenaculo f*); et tamdiu expectant, donec Aod ad aliquot milliaria effugeret. Cum ergo nimia jam videretur mora, reseratis foribus reperiunt regem occisum. Est ergo juxta Vulgatam iterum sermo de opere naturae, ut supra in Saule, nec minus incredibilis narratio, ut illa; quia nec illum pudorem in Eglone potes supponere, ut non nisi obseratis exterioris atrii foribus naturae serviat, multo minus ut ea de causa compluribus horis dominum exspectandum servi putent. Sed utraque narratio clara fit, per interpretem Syrum et Arabem, qui pro „*purgare alvum*," seu ut hebraeus presse habet „*tegere pedes*," habent *dormire*. Consonat et *Ephraem* Syrus: *secundum hebraeum inquit, ut tegeret pedes suos, quod nostra versio reddidit dormivit g*).

Jam modo intelliges, quam facile fuerit Davidi vestis partem amputare in Saule, qui fessus persequendo, in subfrigida spelunca profundissime dormiebat. Intelliges etiam, cur una alterave hora expectare potuerint servi Eglonis, donec tandem et somnus ipse incredibilis visus est ex diuturnitate: ut ergo vides, verba singula optime noverunt Tiberiadenses Hieronymi Magistri, sed quid juncta significent, tam parum sciverunt, ac non satis peritus latini sermonis, quid *terga vertere*, etsi optime nosset voces sigillatim. Non mirum ergo si sententiam non bene expressit, et ipse Hieronymus, quam nec ejus Magistri noverunt.

Id genus innumera per ambitum disciplinae huius *Neotericis* debentur, mi Comes; eoque apud Magistrum frustra requires, qui in commentario suo ne difficultatem quidem sensit, nedum medelam attulit. Non miror; est enim eorum e genere, de quibus Hieronymus dicit: *Ingenia velut vinum probant h*), nempe praejudicatae mentis hominum, qui nec in eruditione aliud probant, quam quod vetustum est.

---

f) אך מסיך את רגליו, *g*) Tom. 1. p. 380. Coll. I. D. Sup. No. 1730. *h*) Praef. in Pentateuch.

§. 35.

Respondetur Magistro.

Nunc jam, mi Comes, indoctas Magistri tui lites cum *Jahnio* super linguis cognatis audi. *Jahnius* inquit, tantus arabicae laudator, ultimo loco inter versiones posuit *Arabicam*, praeferens ipsum adeo *Hieronymum* arabicae ignarum *a*). Incohaerens igitur, quod una manu dedit, altera tollit. Ego sic censeo, *Jahnium*, post omnes doctos studio in hoc delirasse, ne tuo Magistro praeriperet novi inventi gloriam: Arabem interpretem caeteris anteponendum esse! Causam interim hanc habuerit, quam omnes periti, nimirum, in rebus facti, caeteris paribus, testes eos anteponendos esse, qui facto sunt viciniores. Cum ergo de facto hic agatur, qualem notionem Hebraei olim cum suis sonis conjunxerint, putabat eos praeferendos, qui vivae linguae erant propiores; ut id ipse, quod mireris, docet Magister tuus *b*). Qua de causa et *Hieronymus* praecedere debuit *Arabem*, quinque seculis tardius natum. Puto ergo bene sibi constare *Jahnium*, secum dissidere Magistrum, qui alteri det vitio, quod ipse probat.

Alterum quod profert *c*) est, ipsummet *Jahnium* fateri *d*) in cognatarum *vocabulis et dictionibus dubias inesse significationes et sensus ambiguos*; etsi ergo omnes dialectos nosset omniumque vocum et dictionum, non etymologicas modo, sed alias etiam significationes teneret *in determinato tamen scripturae loco nihil certi se habiturum:* Hic, mi Comes, resume iterum Magistri tui usum loquendi de quo §. 22. admonui, ut intelligas omnia contraria esse citato *Jahnii* loco. Ait enim, *si copia notionum perplexum reddere posset interpretem, utra deligenda sit; tum penitior hebraeae et cognatarum notitia aggravaret intelligentiam scripturarum, quod nemo rei gnarus somniabit.* In consequentibus autem ostendit, quid in notionum delectu attendere debeas, adeo de ambiguis notionibus et sensibus nullum vestigium est.

---

a) Instt. V. T. T. 2. §. 61. p. 136. *b*) ibid. §. 63. p. 143. *c*) ibid. §. 62. p. 138. *d*) Introd. in V. T. Edit. germ. Part. 1. §. 76.

§. 36.

Hactenus Magister tuus, mi Comes, argumentatus est ex dato, sed non concesso; cognatas nempe esse *promtuarium*: nunc efficiet, ut sine penu vacuus cantet *Jahnius*. Usus loquendi, inquit, testes poscit coaevos, qualis nullus est Chaldaeus, Syrus aut Arabs. Dic ergo illi, mi Comes, ubi nihil nisi panis praesto est, frustra illum suspirare placentulas et crustulas. Quamquam quid illi usus loquendi et testes coaevi, qui, ut vidisti (§. 26.), prius sensum protrahat, quam vocum norit notiones? Tum autem quaere, an ille pro hebraeo habeat testes coaevos? an non meminerit, *Kimchium* primum lexicographum quindecim seculis post emortuam linguam hebraeam vixisse? aut si hebraea post mortem suam, prorsus uti latina, *ex se praebet subsidia ad se intelligendam*, uti alibi fabulatur *), cur idem non valeat de *Chaldaica*, et mortua dudum, et ab scriptis ditiore, ac quod summum est, ab iisdem culta atque servata Rabbinis, qui ipsam Hebraeam ad nos usque pertulerunt? Idem dicas de *Syriaca*, e qua non modo scripturas ex ipsis fontibus, sed alia quoque scripta habemus; ut adeo, quoniam et ista jam mortua est, si Hebraea *ex se praebet subsidia*, tanto magis idem de ista affirmandum sit. Et quoniam de intimo nexu cum Hebraeo ipsa docet experientia, *promtuarium huic* inesse ex ipsis Magistri tui decretis necesse sit; tametsi nullum habet scriptoribus sacris coaevum auctorem. Confer §. 25. Idem autem tanto magis valet de Arabica, uti videre potes §. 31 — 34.

§. 37.

Demum, *mutatas*, aliisque cum linguis *commixtas* ait cognatas, arabicam praeprimis, ubi gens mutata reipublicae forma etiam deum Abrahae abdicavit *a*). Hic, mi Comes, prae omnibus oratum te volo, ut tu roges bonum Magistrum tuum, ea saltem ut esse dignetur modestia, ne millenis sensus mentemque velit eripere, qui quotidie experiuntur, cognatarum universim, imprimis tamen Arabicae, et

---

*) Instt. V. T. Tom. 2. §. 62. p. 142.

a) Instt. V. T. Tom. 2. §. 62. p. 141.

nexum cum hebraea intimum, et summam atque multiplicem hac in disciplina utilitatem. §§. 31. — 34. Adde etiam, ubi Delphicum hoc oraculum toties nos decepit turpiter, Thomae ad instar, nihil illi credendum amplius, nisi quod videndum et palpandum obtulerit.

Quaeres pariter, an Romani, qui Petro et Paulo crediderunt, et mille deos cum unico permutarunt, illico aut sarmatice locuti sint, aut eum sermonem admiscuerint latino. Si factum est, tum ex sarmaticis non explicabimus latina. Idem dicas de novis ritibus, nisi forte doctus Magister tuus ex *palmis*, quas ante Pascha benedicimus, ex *infula*, e *catena* et *cruce* pectorali nostrorum, interpretatur et illustrat palmas Hebraeorum, aut Judaeorum apud Joannem *b*); *laminam* auream in fronte pontificis Hebraeorum *c*); ejusque *Urim et Thumim* in pectore *d*). Suadebis demum, ut si sapere volet, etiam *Semleri* dissertationem consulat super Arabum perpetua independentia *e*).

Nec sane, mi Comes, ulla causa est suspicandi, hos homines suum sermonem unquam miscuisse cum aliis, triplici quippe mari et ingentibus arenarum tractibus segregati, utentes lingua cultissima, et ita exuberante, ut cum hodiedum sit ditissima orbis, tamen non nisi dimidiam superesse dicant, si ad antiquum florem et ubertatem comparetur. De hoc igitur populo numerosissimo, qui non sine causa magnifice semper sensit de suo sermone, quem aliis dedit, nullius in gremium recepto, quam ridicule hariolетur Magister tuus, palam est.

§. 38.

Ut jam dilucide videas, mi Comes, quid in hoc de linguis cognatis non postremo huius disciplinae argumento, tuus sentiat Magister, et subdolas artes ejus intelligas, omnia nunc tibi sub uno offeram conspectu. Laudat is iterato earum utilitatem *a*), adfert

---

b) 12, 13. *c*) Exod. 28, 36 — 39. *d*) ibid. V. 30. *e*) Exstat in Hist. Univers. supra §. 31. citatae, Supplem. Tom. 4. p. 319 — 376.

a) Instt. V. T. Tom. 2. §. 61. Pag. 60. §. 62. p. 138. et 142.

etiam bina exempla *b*), unum etymologicum, alterum ex narratiuncula Thalmudis, qua, si maxime vera sit, uti non possis *c*). Sed considera etiam, quam ille manibus pedibusque nitatur adversum.

Vidisti §. 23. insignem recentioribus impactam esse calumniam de absoluta necessitate, cum injuria ecclesiae, quo illis atque linguae tanto certius conflaret invidiam. Vidisti turpiter corrumpi et contorqueri *Jahnium*, §. 2' — 27 et 35. quo felicius inimicum succedat inceptum. Vidisti allatum inauditum assertum §. 35.. nihil adhuc certi fore in determinato quodam loco, etiam si omnium cognatarum, non etymologicas modo, sed alias quoque nosset *vocabulorum dictionumque* significationes: quod casu prorsus fortuito explosum habes §§. 33. et 34. Vidisti asseri a Magistro, hebraeam haud secus ac latinam *ex se ipsa praebere subsidia ad se intelligendam* sine cognatarum ope; esse demum omnes peregrinis vocibus ita mixtas atque corruptas, ut non minus ridendus sit, qui ex illis illustrare atque perficere cupiat hebraeam, ac *qui idiotismos latinae linguae vellet explicare ex Italica et Gallica lingua d*).

Et tamen post tanta haec audias admirabilem totius disputationis conclusionem: *Quae cum ita se habent, utiles has linguas, et interpreti comparandas semper judicabimus: illam vero tantam necessitatem injuriosam omnibus, qui ad hoc tempus scripturas tractarunt sola hebraea et graeca lingua, sine his Hebraeae appendicibus linguis; ut absque his nequidem interpretatio fieri possit, nec facta ad hoc tempus sit, non dabimus e*)."

Obsecro, mi Comes, quid id est, si non impostura est? Quis enim tantopere deliret, ut vel horulae laborem cognatis impendat, si ad Hebraeam non plus conferant, quam Italica aut Gallica ad illustranda latina? Non puto, mi Comes, quoniam ultro fatetur Magister tuus, sermonem latinum ex se ipso praebere intelligentiam sui, in omni genere humanae stultitiae eam etiam in quoquam unquam fuisse repertam, ut Gallicam et Italicam sibi ediscendam pu-

---

b) ibid. §. 60. pag. 134. *c*) J. D. Michaelis Suppl. No. 968. adde similem Rabbinorum fabellam No. 897.
d) Instt. V. T. T. 2. §. 62. p. 141. *e*) ibid. p. 142.

taverit, quo idiotismos illustret ex se sufficientis latinae. Dic quaeso, in tanta dictorum absurditate, qua fronte Magister tuus et scribere palam potuit, et dicere audet quotannis auditoribus, cognatas nihilominus praebere lumen, esse utiles, esse comparandas?

Si non subdole laudat, si non tacite irridet, cur argumenta in contrarium protulit, nec tamen dissolvit? cur non alia manifesta maximique usus exempla attulit, quae earum commoda commendarent tironibus? Palpare jam possis, mi Comes, non aliud esse in his studium Magistri, quam ut cognatarum mordeat patronum *Jahnium*, et tam hunc, quam linguas ipsas, apud auditores in odium adducat atque contemtum. Dum id obtineat, ferrea frons est, flocci facit, si quis inspecto *Jahnio*, in manifestis teneat mendaciis; nec contradictionibus quantumlibet absurdis implicare se refugit.

§. 39.

Quorsum tandem, mi Comes, vestra haec corrumpendi et calumniandi pravitas evadet? quaenam tandem scriptis fides, quaenam auctoribus existimatio apud homines remanebunt, si vestro exemplo haec liceant impune? Quid etiam fiet institutione publica, si nec sacratiorum dignitas et veneratio literarum, nec honor suus, nec vacui pravitate vestra animi tironum, ad veracitatem honestatemque tuum revocant in cathedra Magistrum?

Sed istoc gravius, mi Comes. Non jam injurias conquerar doctorum virorum, de quibus inferius erit uberrimus campus dicendi; sed hoc quaero, ubi pudor, ubi officium, ubi conscientia Magistri? Nosti enim, obtentu usus loquendi orientalibus linguis proprio, nec pauca, nec levia ab adversariis mutata esse in theologia et religione; quod tuus quoque fatetur Magister et improbat. Ne igitur ab institutione publica utile religioni praesidium abesset; neve delectiori juventuti deesset occasio discendi, quod totius Europae consensu probaretur; Rex religiosissimus cognatarum hebraeae linguarum cathedram in hoc quoque instituto jam VII abhinc anno liberaliter constituit. Dubitabisne ergo ad Magistri cuiusque, cui literae, religio, suorumque profectus cordi sint, officium pertinere, principis optimi sanctissimos fines

omni studio adjuvare atque provehere? Id certe poscit et honestas et gratus animus in principem clementissimum.

Sed tu vide, quibus artibus et fallâciis agat Magister, ut inexpertos adhuc suorum animos ab utilissimo avertat praesidio; ut in ipso theologiae limine earum linguarum inutilitatem persuadeat, unaque opera. et disciplinae huius incrementa et suorum commoda auditorum frustretur. Si nosti, quid in theologiae aditu apud auditores judicia valeant veterani Magistri, intelliges, quid ambitiosa haec, sed catholicitatis fuco illita in omnes aemulatio, haustaque medullitus praejudicia, detrimenti attulerint institutioni hactenus, et quid parent etiam in posterum. Neque enim hoc nostro aevo doctorum studiis quidquam tam firmum, tam religioni salutare inventum est, quod temporis praejudicio non despiciat, eoque solo quod novum est, illi non velut sus Judaeo, impurum sit et execrabile.

Vide ergo, mi Comes, ne qui Magistri esse vultis caeterorum, vobis conveniat illud Hieronymi: „*faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant; et dum alienam imperitiam volunt coarguere, suam produnt* a)." Cur autem a principio usus loquendi nihil periculi sit sanae doctrinae, inferius aperte vobis explicabo.

§. 40.

Principium commilitonis.

Jam nunc, mi Comes, ad commilitonem tuum venio, *legis supremae et catholicae* auctorem: quocum implicatius negotium est, quod non ita aperte ejus videbis sensum, ut in Magistro tuo legere consuevisti. Causam puto, quod alter erat eorum scopus scribendi, e quibus sua sumsit; eoque tractatio evasit obscurior, nec prorsus sibi undique nexa.

Lex suprema, si satis auctorem intelligo, pro *supremo* Hermeniae *principio* usurpata est. Id colligo e §. II. ubi integram paginam retulit ex *Jahnio*; et quia duobus §§. proximis reprobatur *usus loquendi*,

---

a) Epistol. ad Pammach. de opt. Gen. interpr. T. 4. Part. 2. p. 250. Ed. M.

qui *Jahnio supremum principium* est. Tractationem incipit e triplici *ratione*, qua Hermeneutae utantur in interpretando: *prima* eorum est, qui ex *usu loquendi, antiquitatibus et regulis hermeneuticis sensum determinent, constante Ecclesiae sensu, ac unanimi patrum consensu despectis, aut certe insuper habitis a*). Quoniam de Catholicis sermo est, fateor, mi Comes, ignorare me penitus, quosnam potissimum prae oculis habuerit auctor. Dolerem autem vehementer, si ad *Jahnium* retulisset, ut indicare videtur contextus: tum enim, ut maxime cupiam, tamen ab inscitia aut insigni calumnia commilitonem tuum nemo excusaverit. Quam enim ille magnifice de Ecclesia et patribus sentiat palam fecit in *Enchiridio b*) et *Introductione c*) in V. T. et proximo capite dicetur uberius. Quinam igitur ilii Catholici sint, certius ex ipso auctore intelliges. Mihi, si id sequuntur, quod de iis retulit, non Catholici, nec Haeretici, sed Rationalistae sunt.

§. 41.

Altera ratio eorum est, qui sensum e traditione unice petunt, *quibusvis grammaticis et archaeologicis subsidiis neglectis, aut remisse adhibitis a*). De traditione adhibenda quadantenus mihi cum auctore convenit, etsi non intelligo, quomodo quisquam ut *supremam legem* adhibere possit, cum in longe maxime scripturarum parte nec habeatur quidem traditio, et veterum quisque suo in iis illustrandis ingenio usus sit et eruditione; eoque et hic locum habeant quae supra §. 28 — 30. allata sunt. De caeteris ad grammaticam (haud dubie fontes intelligit) et archaeologiam pertinentibus, difficile est dicere, cum illud *remisse* indefinitum sit, multos admittens gradus, de quibus non idem omnium judicium est. Sed neque ista huc pertinent; ubi de lege suprema, non de industria quaeritur, qua suam quisque in usum deduxerit.

Tertia, mi Comes, commilitonis tui est sic expressa: *sunt et qui proprium verborum sensum, quibus-*

---

a) §. III. *b*) §. 13. et 32. *c*) Part. 1. §. 91. Edit. lat.

a) Lex supr. §. III.

vis communibus et singularibus logices regulis adhibitis, se ad liquidum adduxisse non adquiescunt, ni illius certitudo ipso ecclesiae sensu ac patrum unanimi sententia quoque inclarescat. Hi operam, quam logica et traditio exposcunt, amico jungunt foedere b). Non dubito, mi Comes, quin haec multam considerationem apud te excitaverint; ego pauca quae ultro se offerunt, commemorabo.

§. 42.

Si rei novitas laudem habet, hanc commilitoni tuo, mi Comes, negare non potes, quoniam principii huius tam nova, tam insolens facies est, ut quod sciam, nemo hermeneutarum eam per omnia lineamenta sic expresserit hactenus. Magister tuus tantum dimidiam ejus partem signavit §. 28, in sola consistens ecclesia; ubi autem nunc *Logica* etiam accessit, altera parte vultus evasit plenior nec paulo formosior, quia auctoritati etiam ratio conjuncta est. — Sed tamen, mi Comes, si hunc vultum attentius consideres, fucatus videbitur magis, quam native venustus; atque hoc, si conjecturae locus est, retraxisse videtur alios, ut ab describenda simili forma abstinerent.

Intellexerunt nempe, *logices* leges a natura nobis insitas, ita ad omnem vitae usum pertinere, ut sine ea nemo prudenter cogitare possit aut loqui. Ex naturali autem hac, artificialis illa et scholae propria manavit, eadem tamen manente natura, eoque fit, ut disciplinae huius non nisi minima pars huc pertineat, ubi de solo Hermeniae principio agitur: ut adeo *Logica* huc inducta, in ipsam peccetur *Logicam*, dum vocabulum adhibitum est, quod usu recepto multo latius patet, quam argumentum, cui explicando assumtum est. Neque enim, mi Comes, ubi de determinanda lege suprema unice agitur, claram ideam sibi comparabit lector, si nomen illi objicias ejus disciplinae, quae leges recte cogitandi, perspicue et definite dicendi, universim complectatur. Ideo, mi Comes, non puto bonis literis consuli, ubi claros aptosque terminos jam consecravit usus, sine necessitate inducere alios, ea in re nec perspicuos, nec definitos

---

b) ibid.

satis; quod *Logica* in vocabulorum usu vitandum maxime jubet.

Idem vitium videas etiam in vocibus: „*proprium verborum sensum.*“ Nisi enim ridicule dicas, commilitonem tuum principium statuere tantummodo pro *verbis propriis*, vocabula: *proprium verborum*, tamquam non scripta penitus negliges; quia in arte, quam hoc ipso scripto profitetur etiam hic socius tuus; *proprius verborum sensus* opponitur *metaphorico*, quem, quoniam aeque literalis est, a principio suo haud dubie nec excludere voluit, nec sine summa incohaerentia excludere potuit, cum in aperto sit, plurima esse fidei morumque objecta, improprio sensu expressa.

Adde: Si auctor in *prima* interpretandi ratione supra §. 40. relata, *usum loquendi* in se spectatum reprobat, scire non possis, quomodo ejus loco inducta sit *Logica*, cum haec quoque in interpretando non aliud statuat principium, quam *usum loquendi a*). Sed fateor, mi Comes, verba auctoris etiam sic sumi posse, ut usus ille improbetur, quatenus nec ecclesiam in consortium et velut normam admittit, nec patres: et sic malim sumere, tametsi nemo eorum, contra quos libellus scriptus est *b*), sic unquam senserit; et qui sic sentiat, mihi jam non Catholicus, nec Haereticus, sed Rationalista sit, qualem, ut ego puto, nec *Jahnium*, nec alios, qui *Neotericorum* vobis veniunt nomine, intellexerit hic commilito tuus, quia sine summa iniquitate apertaque calumnia nec intelligere potuit, ut proximo capite vobis faciam manifestum.

§. 43.

Sed gravior adhuc, mi Comes, sequela est. Ex commilitonis enim tui sententia supra §. 41. relata vides, eum, etiam dum logices regulis ad liquidum adductum est negotium, non tamen acquiescere, nisi *ejus certitudo ipso ecclesiae sensu ac patrum unanimi*

---

a) Vid. Instt. Log. *Ivantsitii* Part. 1. Cap. 6. §. II. No. 171. *Anton Genuens.* Elem. Art. Log. Libr. 2, cap. 4. §. 10. et L. 4. c. 7. et cuius nunc celebrior fama est. *W. T. Krugii* Denklehre Part. 2. Sect. 2. §. 179. pag. 658. *b*) §. IV.

sententia clarescat. Non negat ergo, quod bene advertas velim, ei sensui, qui logices regulis deductus sit, inesse posse veritatem objectivam, sed huic acquiescere non possis, nisi per ecclesiam et unanimes patres ea certitudo tibi perspicua fiat. Quam vos subdoli estis homines! Nos perpetuo arguitis, qui ad nescio quos Haereticos, Rationalistas, Naturalistas, (neque enim in his honorum titulis parci estis) transierimus, ecclesia spreta atque contemta. Sed an tu non vides, ut iste commilito tuus omni vi repagula infringere, et ex ecclesia erumpere satagat, ut nos consequatur? Rem paucis accipe. In libris historicis, ut res ipsa loquitur, interpres solo nititur usu loquendi, vel si cum socio dicere mavis, solis logicae regulis. Non ergo hic tibi per ecclesiam et unanimes patres *clarescet sensus*, ideoque nec tuto acquiesces argumento, quod solius logices ope eruisti. Sepones ergo tamquam minus tutum, quidquid in *Moyse*, *Josua*, *Judicum*, *Regum* etc., quidquid in *Evangeliis Actibusque Apostolorum* historicum est. Sepones tanto magis prodigia, quod in his a naturae cursu receditur; nec si sapis, ea credere possis, nisi fides atque sensus scribentis hic magis ac usquam *clarescat.* Mittes denique quidquid in *Moyse* et *Jesu* supra *Lycurgum* et *Socratem* est; simulque valere jubebis quidquid mysteriorum hactenus in religione fuit. Nunc tu mihi narra de divino praesidio ecclesiae dato. aut promisso; de inerrantia et indefectibilitate; de traditione; de patrum consensu; de hierarchia, et quidquid jurium aut potestatis repereris! Addere huc possis quae in gratiam tui Magistri supra §§. 28 — 36 allata sunt. Caeterum, mi Comes, cum ad pulchritudinem huius mundi maximopere faciat rebus ipsis insitus ordo, puto et vobis id fore ornamento, discere prius, quod doceatis alios; aut si mavis, dedere se ei sententiae non prorsus ineptae; *quam quisque norit artem, in ea se exerceat.*

§. 44.

Respondetur commilitoni.

Nunc, mi Comes, commilitonis argumenta audies. Ait *a*), Christum ipsum interpretatum esse:

---

a) §. V.

Spiritus domini super me b): Ego sum Deus Abraham c): Dixit Dominus Domino meo d): relinquet homo patrem suum e): a Christo discipulis declaratas scripturas *f*): demum datum illis etiam Spiritum S. *g*): et quaedam alia confuse citata, quae nec exstant quidem in Novo Testamento, ut illud: *memento, diem sabbati sanctifices.* Consequentiam istorum, mi Comes, peropto, ut is ipse intulisset; ego enim nullam, quae huc pertineat video. Quid enim obsecro, his commune est cum principio Hermeniae? aut quis unquam haec a Christo dicta aut facta negavit?

Sed adverte etiam diversissimarum rerum confusionem. *Interpretatus* est, ait, illa loca, cum dicere debuisset, Christum ad *ea provocasse.* Si enim interpretatus est, cur veteres et hodierni de eorum sensu adhuc litigant? Quis enim, te oro, sine docta institutione illam Christi allegationem intelligat: *Ego sum Deus Abraham,* in quibus nullum de resurrectione vestigium est, de quo tamen maxime agebatur cum Pharisaeis? Idem prorsus videas in caeteris, quorum cuique sua propria inest difficultas, quam tamen frustra in Christi interpretatione requires, quae nulla est. Imo in iis: *relinquet homo patrem et matrem* — una difficultate minus esset, si Christus non allegasset, adeo per solam allegationem sublata non est obscuritas. Hoc utique videre est, adversarios vim sententiarum perspexisse, quas Christus opposuit: sed numquid nobis ex sola allegatione perspectae sunt opiniones, praejudicia, errores illorum hominum, contra quos Christus argumentatus est? Et tamen si haec nescias, dicta manebunt obscura; si nota habeas, lucebunt.

Quod vero scripturas suis declaraverit, non magis huc pertinet, cum ex eodem capite Lucae manifestum sit, actum unice fuisse de locis, quae ostenderent Messiam *passurum.* Spiritum sanctum autem

---

b) Luc. 4, 18. Isaj. 61, 1. *c*) Matth. 22, 32. Exod. 3, 6. *d*) Matth. 22, 44. Psal. 109, 1. *e*) Matth. 19, 4. 5. Gen. 1, 27. 2, 24. *f*) Luc. 24, 25 — 27. 44 — 46. g) Joan. 14, 26. 16, 13.

promissum et datum discipulis, adeo firmiter tenent etiam *Neoterici*, ut persuasi quoque sint, neminem fore hodie Christianum in orbe, nisi hoc fuisset factum; quoniam videmus post trium annorum institutionem tam rude adhuc fuisse Apostolorum collegium, ut ne id quidem scirent ipso ascensionis momento, spiritale fore magistri imperium *h*): una tam timidum, ut intra clausas januas delitescerent metu Iudaeorum *i*). Satis ergo videmus, mi Comes, quam ille dies Pentecostes et necessarius et munificus et fructuosus fuerit rei Christianae. Sed haec in causa ista prorsus superflua sunt, cum de ecclesiae doctrina velut norma interpretationis, nemo dubitet vel eorum, contra quos suscepta est tractatio, nec quaestio sit, an Apostoli vera scripserint, sed quid scripserint?

§. 45.

Neque aptiora sunt ea, quae ab discipulis sumsit exempla; quaedam autem a proposito longissime distant, uti *Philippi a*) et *Petri b*). Legitur nempe in priori exemplo Aethiopem *Candacis* reginae non ultimum ministrum quaesiisse ex *Philippo* Evangelista *c*), Isajiae quae legerat *d*), ad ipsumne prophetam pertinerent, an ad alium? idque *Philippum* indicasse. Hinc vero quomodo sequatur certum non esse sensum, nisi ecclesiae patrumque unanimi consensu clarescat, ego sane non video. Imo, mi Comes, cum probe scias, nimiam humilitatem non esse vestrum vitium, miratus sum commilitonem tuum, qui se aequiparare voluerit *Aethiopi*. Vir hic, mi Comes, proselytus erat Judaeorum, in christianismo autem ne catechumenus quidem, taceo presbyter aut doctor theologiae. Qui ergo hinc inferre volet Ecclesiae in interpretando necessitatem, is conditionem suam cum Aethiope commutaverit necesse est. Annon autem insultari sibi existimaret hic commilito tuus, si quis tam ineptum diceret, ut quamvis nihil unquam de Philippo legisset, non continuo videat, quod apertissimum est, Isajam non de sua, sed aliena persona

---

h) Act. 1, 6. *i*) Joan. 20, 19.

a) Actor 8, 26. *b*) 2 Petr. 1, 15 — 21. *c*) Act. 8, 1. 5. 26. 21, 8. *d*) Isaj. 53, 7. 8. Coll. Act. 8, 30 — 35.

esse locutum? Quod si autem vitam Christi et gentis hebraeae scias historiam, non diu haerebis anceps ad quemnam illa pertineant, cum plura insint, quae in nullo quam Messia invenerunt exitum. Aliis argumentis pugnandum est, mi Comes, si vultis contra Rationalistas pugnare. Talia enim jure ridemus Catholici, quanto magis adversarii?

§. 46.

Aeque distat, quem ibidem *a*) adfert pro extraordinariis interpretibus locus Petri *b*). *Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit.* Lege contextum, et videbis, metu persecutionis Neronianae, quae Romae eruperat, Judaeis Asiae minoris trepidantibus *c*), Petrum messianam Jesu dignitatem his argumentis suasisse. 1. ab experientia propria, qui gloriam illius in transfiguratione spectaverit *d*); 2. a voce coelesti, qua illum pater ea occasione commendaverat. 3. a prophetiis, quas ait nunc esse firmiores. Credo, tute vides comparationem hanc non institui inter prophetias et priorem experientiam apostoli, sed comparari prophetias relate ad statum, quo erant ante et post implementum. In priori erant sicut lucerna in caliginoso loco, adeoque modico usui. Causam reddit, quia non sint *propriae interpretationis*, idque ideo, quia allatae non sint humano ingenio, sed Deo suggerente. Clarum est ergo, quod ante implementum, dum modicam lucem praebent in obscuro, intelligi non possint, sicut nec Dei arcana consilia, qui eas revelavit, et quidem non tam pro coaevis quam pro posteris; eoque jam praemisit *e*), ne ipsos quidem prophetas perspexisse quod vaticinati sunt. At aliam esse earum conditionem post implementum, ubi eventus commentarium addidit.

Hunc esse sensum vel inde intelliges, quod suos moneat, ut iis diligenter intendant. Non dubito, mi Comes, quin Petrus, cum apud eos esset, exemplo divini Magistri eas praecipue declaraverit, quae ad tollendam offensam valebant, quae ex humili Christi

---

a) §. V. conf. Krommeri Instt. hist. lit. Libr. 3. §. 5. p. 246. *b*) 2 Petr. 1, 20. 21. *c*) 1 Petr, 1, 6. 7. 2, 11. 12. 20. 21. 3; 13—18. 4, 12—16. 2 Petr. 3, 1. *d*) Matth. 17, 1. *e*) 1 Petr. 1, 10. 11.

conditione enasci poterat *f*). Est ergo hic simile exemplum quod de Beroeensibus legimus *g*), qui diligenter scrutati sunt, an sic se haberent, quae a Paulo audivissent, Demum ex ccmmilitonis tui sententia sequeretur, quod etiam post eventum nullam prophetiam intelligere possimus sine apostolo et ecclesia: in quo te omnes ridebunt interpretes antiqui et novi. Ut enim e multis unicam tibi proferam; dic, quis apostolorum, aut ubi ecclesia interpretata est, quae Isajias praedixit de *Babylone*? *h*) ubi, quae de Cyro *i*)? Et tamen, mi Comes, ista probe norunt *Neoterici*. Frustra ergo commilito tuus ex hoc Petri loco nescio quos diuinos interpretes deduxit, sine quibus scire nihil possis.

§. 47.

Transeo ad *legem catholicam*, quam ipse auctor *a*) agnoscit non esse principium universale: neque ergo ut tale considerabitur. In potestate erat auctoris scriptionis suae limites definire, et aequitas postulat, nihil ultra exigere quam professus est. Sed jam paucis dicam, quid adversus usum loquendi adferat.

Ubi praemisit *b*), religionem revelatam et numinis decreta de nostra erga se relatione, arbitrio humanae rationis relinqui non potuisse; ubi de huius imbecillitate, de affectibus et cupiditate praemonuit, fieri ait: *ut Principium ad rem haud oportunum adsciscat;* citans in rem suam Isajiam: *non enim cogitationes meae cogitationes vestrae neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae, a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris c*)." et dictum Christi: „*sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus: et servo sicut Dominus ejus. Si patrem familias Beelzebul vocaver, quanto magis domesticos ejus d*)?" Haec, mi Comes, quomodo ad *Jahnium*, aut usum loquendi, in ratione seu directa seu inversa pertineant, tibi dispiciendum relinquo.

---

f) Luc. 24, 25—27. 44—46. *g*) Act. 17, 11. *h*) Isaj. 13 et 21. *i*) ibid. 45.

a) §. XV. *b*) §. II. *c*) Isaj. 55, 8. 9. *d*) Matth. 11, 25.

Ego id *primum* adverto: ubi *Jahnius* aperte et iterato professus est, omnem sensum esse devium, qui ecclesiae doctrinae ulla ratione adversetur, omne hoc de imbecillitate humanae rationis praeambulum extra oleas esse. *Jahnius* enim, sicut omnes commentatores et hermeneutae, doctrinam ecclesiae hausit ex institutione; indagare autem eam in scripturis, et contra adversarios defendere, non alia ratione possunt, quam ea, quae in omnibus libris obtinet, per usum scilicet loquendi, generalem nationis et particularem ipsius auctoris. Si ergo hoc non sufficit, vel negare debet commilito tuus scripturarum sermonem esse humanum, adeoque nec humanis regi legibus; vel fateri, totum orbem delirare, qui persuasus sit in praesens, se aliorum sensa percipere, si eorum verba et sententias, seu scripta, seu vivae vocis, usurpet more recepto, inclusis, quod suapte intelligitur, caeteris, quae de occasione, scopo, contextu, substrata materia, aliisque hermeneutica praecipit. Hic ordo, quem nostra praesens conditio postulat, ita fixus est, ut mihi non persuadeam, mi Comes, eum in gratiam commilitonis tui deinceps a Deo mutandum esse.

§. 48.

Alterum quod adverto, illud est: commilito hic tuus, mi Comes, praeter ecclesiam et unanimes patres assumsit ad suum principium etiam *logicam* (supra § 42.). Credo autem ejus nomine non intelligi leges perceptionum, nec doctrinam de ideis, judiciis, ratiocinationum generibus et speciebus, et quae in ea tractantur alia, quae apud hermeniae auditorem jam supponuntur; sed eam partem logicae quae cum hermenia nectitur, usum scilicet loquendi. Si ergo ratio tam imbecilla est ibi etiam, ubi per voces et sententias expressum aliorum sensum indagamus (vid. §. priorem), quaeram, ex quonam ecclesiae decreto commilito tuus, aut qua ex revelatione suum sumserit principium? Id certe nec scriptura, nec patres, nec concilia ac ne privatus quidem quisquam, quod sciam, praeivit. Sumsit ergo ex imbecilla ratione et quidem ea confidentia, ut dissidentes non dubitet tamquam Rationalistas proscindere!

Si dices, in consortium assumi etiam ecclesiam et patres, nihil ages: quaeram enim, si generale concilium definiverit verba *diliges dominum Deum tuum ex*

toto corde tuo etc. a), continere praeceptum diligendi Dei, an cuiquam id certius futurum sit, ac dum suo loco legit, ex et usu loquendi unice intelligit? Affirmare id non potes nisi repugnes intimo sensui. Non quaero hic de tempore aliisque circumstantiis ejus praecepti, sed de simplici sensu, ejusque certitudine: alioqui si argutari velis, citius quamlibet ecclesiae hac in re definitionem torquebis in sensum devium, quam haec verba, quae nulla explicatione magis clarescere, nulla auctoritate certiora fieri possunt.

Viden' tu, mi Comes, quam istoc particulare licet commilitonis tui principium. arbitrarium sit? et quam solus usus loquendi in morum praesertim plurimis praeceptis ad claritatem et certitudinem ita sufficiat, ut nihil desiderare possis amplius? Si ille, quod docti omnes solent, dixisset, supremum principium hermeniae esse usum loquendi; pro catholicis autem tamquam normam adjunxisset sensum ecclesiae et consensum patrum, quibus repugnare non liceat, uti tam aperte fatetur *Jahnius*; principium ex ipsa rerum natura sumsisset, nimirum, pro sermone scripturarum humano, legem supremam omnis humani sermonis; pro objectis revelationis, in quibus ratio judicium non habet, auctoritatem ecclesiae divinam, sicque quod philosophi et hermeneutae catholici foret, satisfecisset postulatis rationis et fidei. Nunc aemulandi studio novum peperit, quod ne quidem tuus, mi Comes, admittit Magister *b*).

§. 49.

Pergit porro: *adversus hunc humanae perspicaciae defectum, verborum, quibus oracula fusa sunt, usus solus sufficienti praesidio, ne iis alienus substituatur sensus, quod interpretationis legitimae est, esse nequit a*)." Quorsum, mi Comes, hae tenebrae? quorsum perpetuum illud *vitium elenchi*, apertius hic quam alias expressum, neque id adeo ipsarum ignoratione rerum, sed data opera et voluntate? *Oracula* commemorat: dixisset *oracula divina*, intelligeres de S. Scripturis esse sermonem: nunc nude commemorans *oracula*, si theologorum sequeris usum loquendi, de *vaticiniis* intelliges, quod minime voluit auctor. Quis autem

---

a) Deuter. 6, 5. *b*) Instt. V. T. Tom. 1. Cap. 19. pag. 206. Edit. prim.

a) §. 3.

unquam existimavit, usu loquendi, *humanae perspicaciae defectum*, quem in dijudicanda revelatione divinisque de nobis decretis (supra §. 47.) omnes experimur, tollendum esse vel etiam minuendum? Id ne Rationalista quidem facit, sed rationis circumspiciens limites, sepositaque fide, majori consequentia negat impervia rationi fuisse revelata, aut posse revelari.

Sensus, mi Comes, quaeritur dictorum per usum loquendi, non logica veritas mysteriorum revelationis, eoque fit, ut nisi usu exuis suo humanum sermonem, hermeneutica, ipseque usus loquendi non possit esse mysterium etiam cum maxime docet, verbis ac sententiis tradi mysteria. Multum haec inter se differunt, ideoque jure abjicies humanum sermonem, si ratio tam imbecilla est, ut ne in eruendo quidem grammatico sensu adsciscere possit opportunum principium, aut declarare mentem scriptoris, independenter ab logica veritate dictorum, quae natura sua ad criticam, non hermeneuticam pertinet (Vid. etiam §. 29.).

§. 50.

Demum male, mi Comes, et existimationi et causae vestrae consulitis, cum tam aperte impietatem tribuitis aliis, quam illi apertissima declaratione abnuunt, et a se procul repellunt. Facitis autem id tanto indignius, et cum offensa multorum, quod eam impietatis detestationem ipsi refertis; et tamen plagula proxima eandem insigni inhumanitate atque injuria iisdem adscribitis. Dum enim commilito tuus ait: *adversus hunc humanae perspicaciae* (in religione revelata et numinis decretis) *defectum, verborum-usus solus sufficienti praesidio esse nequit* data opera eam lectoribus ingerit opinionem, *Jahnium* ita statuere usum loquendi, ut nec ecclesiae nec patrum ullam rationem habendam esse putet. At vero quid ipse *Jahnius* sentiat, jam ex ipso *Jahnio* audias: „*Scribis in tua dissertatione, ac si Jahnius nullam prorsus mentionem de traditione fecisset; satis mirari non possum tuam malam fidem vel negligentiam; annon legisti, quae in Enchirid. Herm. pag.* 89 — 100. *scripta sunt? Si autem legisti, quare non commemoras? Profecto candorem tuum valde desidero. Sed parco a*).“ Haec *Jahnius*

---

a) Pag. VII.

in epistola ad commilitonem tuum, quam is suae *catholicae legi*, quod sane mireris, praemittendam duxit. Haec interim, mi Comes, alia enim recurrent inferius.

§. 51.

Nunc jam e scripturis momenta audies. Discipuli, inquit, aliique *a*) *pro omni idiomatis sui notitia*, multa tamen non intellexerant, interpretationem a magistro requirentes; inferendum ergo, non sufficere *solum usum loquendi*. Elumbe esse hoc argumentum *ex vitio elenchi*, jam vidisti, mi Comes, animi tamen causa lustrabo auctoris exempla, ordine dissertationis servato, donec duraverit patientia. Igitur:

a) *Apud Lucam b*) quaerunt discipuli sensum parabolae de homine seminante.

b) In Marco *c*), *ignorabant verbum*, *et timebant interrogare eum* super iis, quae prius de sua passione Christus loquebatur.

Absolutis sic discipulis, nunc sequentur alii.

c) Apud Joannem litigant Judaei: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum d*)?).

d) Apud Matthaeum quaerunt *discipuli: edissere nobis parabolam zizaniorum agri e*). Pertinet ergo hoc ad superiorem ordinem, nec nisi errore calami hic obrepsit commilitoni.

e) Alias: *Non intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcoecatum f*). Iterum error calami; sonant enim de solis *discipulis g*).

f) De parentibus Jesu: *et ipsi non intellexerunt verbum*, *quod locutus est ad eos h*).

Nunc tibi ostendet, mi Comes, quam multiplicem operam obscuris illustrandis Christus impenderit, non obstante usu loquendi.

g) Repetitio ejus quod sub (*a*).

h) Declaratio ejus: *non quod intrat in os*, *coinquinat hominem i*).

i) Repetitio ejus quod sub (*e*), sed probe notes, quod ibi nec vestigium quidem sit alicujus declarationis.

---

a) §. III. *b*) 8, 9. *c*) 9, 30. *d*) 6, 53. *e*) 13, 36. *f*) Mr. 6, 52. *g*) ibid. v. 45. *h*) Luc. 2, 50. *i*) Matth. 15, 11. *k*) Joan. 12, 34.

k) Turbae quaerunt: *quis est ille filius hominis k)*? Tota autem declaratio est, ut *credant in lucem*; quod haud dubie nihilo magis his carnalibus, quaesito lucebat.

Sed jam taedet reliqua aliquot exempla addere, de quibus facile statues ex praesentibus.

§. 52.

Jam, mi Comes, si discipuli aliique, *pro omni idiomatis sui notitia* Christum non intellexerunt, nervose non minus ac acute intuleris, parum aut nihil praesidii esse in usu loquendi! Mihi tamen unicus scrupulus superest, an commilito tuus sit aeque hebes et stupidus, ac fuerant, a quibus sua sumserat sub *b. e. h. i.* et *k* exempla. Praevie unicum te monitum volo, agi de discipulis ut erant ante illustrationem Spiritus S., eoque divinam virtutem in iis relucere magis, quo ex se ineptiores erant operi et doctrinae quam hodiedum demiramur, et tamquam salutis anchoram retinemus. Putasne ergo, mi Comes, commilitonem tuum adeo esse vecordem, ut si Evangelium Matthaei non exstaret, sententiam: *non quod intrat in os coinquinat hominem*, non intelligat, sed Judaeorum more existimet, animam coinquinandam, si suillae, aut quae nobis non minus ac Judaeis immunda est, carnis equinae bolum glutiret? Ego, mi Comes, illum multo puto prudentiorem, quam ut ille in convivio detrectet cum Protestante aut Rationalista ex eadem placenta sumere, etsi amicus moneret, cavendum esse ab eorum fermento. Est ergo argumentum illi Aethiopico simile, quod §. 45. relatum est.

Forte et illud possis addere, jam non in eo solum, quod revelatae religionis est (§. 47.), sed in minima quoque historica narratione, ut sunt adducta exempla, opus fore non logica tantum, sed ecclesia quoque et unanimibus patribus, quo aliquid nobis clarescat, juxta §. 41. Quo religionis, quod sciam, ante tuum commilitonem adhuc nemo pervenit.

Non erit alienum et illud advertere, discipulos usum loquendi in omnibus illis exemplis et recte tenuisse et fuisse secutos, quod nisi esset, vel linguae vernaculae notitia illis negari deberet, vel dici, Christum peregrino sermone ad illos fuisse locutum, quorum utrum magis ineptum foret, tu videris. Vitium

commilitonis tui in eo est, quod ista omnia sine consideratione chartae illinens, non observaverit, quod jacebat pro pedibus. Discipuli nempe homines erant de plebe rudes, pleni praejudiciis Judaicis, simul autem a teneris longe alteri vitae generi, aliisque judiciis legis mosaicae ductu assueti. Utut ergo usum loquendi optime tenuerint, ac intellexerint etiam grammatice quid Christus velit; tamen quoniam eas veritates cum receptae seu religionis seu superstitionis judiciis atque decretis in concordiam adducere non poterant, ideo iterato dicuntur nihil eorum intellexisse, quae dicebantur.

Hanc esse causam, poterat videre e proprio exemplo sub *b* ubi nec difficultatem habere potuissent, de qua ex Christo quaererent, si verba ex usu loquendi non intellexissent. Aut quod clarius et ab auctore pariter allatum est sub *k*. Cum enim Christus dixisset: *si exaltatus fuero a terra, — Turba respondit: nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum: et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? quis est ille filius hominis?* Confer simile exemplum in Actis, ubi voci divinae, ut manducet ex mundis et immundis, Petrus strenue opponit in visione: *absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum a*). Vides ergo, mi Comes, Mosaicam religionem, et vigentem tum superstitionem obstitisse, et tenebras offudisse hominibus; utraque quoniam caremus, intelliges, quanta eruditione et judicio illi pro cynosura, aut argumento allati sint.

Demum, cur commilito tuus non observavit, eam tarditatem intelligendi et credendi magnopere improbari in discipulis a Magistro? certe cum Petrus sententiam: *non quod intrat in os coinquinat hominem b*) tamquam parabolam, sibi edisseri peteret, Christus super eorum ruditate cum quadam admiratione et indignatione reposuit: *adhuc et vos sine intellectu estis? non intelligitis c*)? Sic etiam *Marcus* ipse, cum dixisset: *non intellexer de panibus*, continuo addit: *erat enim cor eorum obcoecatum d*). Et certe magna erat horum hominum vecordia, quando de ambulatione super aquas, et turbine sedato, tantopere stu-

---

a) Act. 10, 10—16. *b*) Matth. 15, 11. *c*) ibid. V. 16. 17. *d*) Marc. 6, 52.

puerunt, tamquam prima haec essent virtutis ejus opera.

Nulla ergo in his hominibus post tanta Christi prodigia animi attentio aut consideratio fuit, e qua concluderent, haec eadem prorsus virtute evenisse, uti caetera, quae hactenus nullo prope fructu spectarunt. Qui autem apud *Joannem* quaerunt: *quis est iste filius hominis e)*? illi etiam inimici erant, ideo enim *abscondit se ab eis f)*. Non ergo ubique rerum quaedam sublimitas obfuit, ut commilito tuus existimat, sed inconsiderantia et animi levitas; quas virtutes utcunque imitatus est hic auctor, quia modica attentione adhibita continuo vidisset, quantopere haec a proposito aliena sint.

§. 53.

Superest exemplum §. 51. sub (*a*), ubi *parabolae seminantis* sensum non intelligunt discipuli. Sed, mi Comes, in parabolis sensus non exprimitur *immediate* per verba, sed per rerum imagines, quas loquens adhibet ad res alias indicandas. Nisi ergo imagines perspicuae sint, intimumque nexum habeant cum objecto, ad quod referuntur ex intentione loquentis (quod ne fieri quidem semper potest), continget saepius, ut noscas, licet optime sensum narrationis grammaticum, non tamen imaginum relationem et nexum cum objectis repraesentandis intelligas; quia imagines et symbola non aeque ad certas ideas excitandas usu loquendi determinata sunt, ut vocum notiones, et potestas sententiarum. Commilito ergo tuus iterum toto, ut ajunt, coelo aberravit, dum ex imaginum et symbolorum indefinito sensu, contra usum loquendi e vocum notionibus resultantem, argumentatus est. Huc refer etiam exemplum sub (*d*).

Simile est eodem §. 51. exemplum sub (*c*) *de carne manducanda*. Hic enim prophetia est rei futurae, et simul mysterium; quod unum satis est, ut inconsiderate adductum dicas.

Tale est etiam sanctissimorum *Jesu parentum* exemplum §. 51. sub (*f*). Quale enim sit munus Messiae, id non est objectum usus loquendi donec non fuerit revelatum. Dices ergo hoc adhuc tunc

---

e) Joan. 12, 34. *f*) ibid. V. 36.

latuisse parentes, sicut discipulos adhuc latuit spiritale regnum magistri ipso momento ascensionis. Act. 1, 6.

Quod autem adjungit de *inspiratione* apostolorum, extra oleas est; quia nec *Jahnius* nec alter negavit. Sic quoque *analogia fidei* ex epistola ad Romanos *a*), de qua commilito tuus, mi Comes, *paralipomenorum* auctor, eleganter scribit: „*Regulas Hermeneuticae S. quas ipsa recta ratio sufficienter docet, ex S. Scriptura demonstrare non est necessarium, inter quas conceptus analogiae fidei — ut in se verissimus esse supponitur: ita in epist. ad Rom.* 12, 6. *non continetur b*).“ Quod assertum in consequentibus plane demonstrat.

Quod vero §. IV. monet, patres etiam *contextum* sermonis contulisse, sane memorabile est: illud etiam memorabilius, quod *oraculorum divinorum, in dogmatibus fidei et morum, sensum legitimum, ex ore doctorum divinitus constituorum requirendum sibi duxerint.* Haud dubie una mecum optabis nosse ex nomine illos *divinitus constitutos doctores*, scripturarum interpretes: In *Origene, Hieronymo*, aut *Theodoreto* Cyri, mihi nondum occurrerunt, imo video unumquemque servata norma ecclesiasticae doctrinae, pro modulo eruditionis suae versatum esse in exponendo; eoque fieri, ut pro vario eruditionis gradu aestimentur: quod futurum vix erat, si omnes iisdem divinitus constitutis doctoribus in ipso eruendo sensu fuissent usi. *Hieronymus*, ut nosti, *Gregorium* Naz. *Apollinarium* Laod. *Paulinum* Antioch. *Didymum* Alex. coluit magistros: de divinis illis doctoribus non memini me legere; at tanto diligentior auditor Tiberiadensium Rabbinorum fuit. Audi illum in argumento prophetico: *Testis est mihi Dominus, me omnia quae secundum hebraicum dissero, non de proprio sensu loqui — sed Hebraeorum sequi expositionem, a quibus non modico tempore eruditus sum.* Alias loquens de magistro hebraeo non paucis nummis redemto, ut Jobum intelligat, subjungit: *Cuius doctrina an aliquid*

---

a) Rom. 12, 6. *b*) Paral. pag. 476. primo loco, nam vitio typographi post 484. idem numerus denuo recurrit. *c*) Comment. in Naum Cap. 2. Tom. 3. p. 1568. Ed. M.

profecerim nescio (hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram d).

Est illi utique normae loco ecclesiae doctrina, ne feratur in devia, sed in sensu ipso eruendo, omnis illi carus qui doctus, ne haereticis quidem demtis: indoctum etsi sanctum, etsi disertum, sine laude seponit, et dissuadet aliis, ut exempla habes in *Rheticio e*). Audi igitur: ubi ejus libri contra *Jovinianum* plures offenderunt Romae etiam, in apologia sua ait: *ex quibus universis perspicuum est, me nihil novi de virginibus, nuptiisque dixisse: sed Majorum in omnibus secutum esse sententiam — qui de ecclesiasticis dogmatibus disputarunt f*). Quodsi vero commilito tuus per *Doctores divinitus constitutos*, ecclesiam intelligit aut Patres, tum ille nova hac terminologia ignaris forte illudet, qui nescio quos inspiratos interpretes somniabunt scripturarum, caeteris est derisui.

Ut demum omnimode tibi illudat, mi Comes, etiam *Vincentium* Lir. adfert, sed quin advertat, in caput suum §. V. Addit Patres pro traditione dogmatica; quasi *Jahnius* omnia pernegasset dogmata. Non sufficio, mi Comes, mirari commilitonis tui artes tam indecoras nec commendare satis gravitatem atque candorem; ubi ergo frustra monuit *Jahnius* (supra §. 50.), pro me jam illum commoneat Hieronymus: „*Noli ex obliquo et unde non putarim, vulnus inferre. Directo percute gladio. Turpe tibi est, hostem dolis ferire, non viribus g*). Non heroum fortium, sed vilium Assassinorum id negotii est, vestra indignum viri virtute juxta atque sapientia!

* Quoniam commilito hic tuus, mi Comes, *legis* hujus Catholicae auctor, §. IX. in *nota* de *Sandbichlero* ait: „*Opus utrumque castigatum, praestantissimus noster interpres, Sandbichlerus idiomate germanico ediderat*;“ *Jahni* videlicet *introductionem* in V. T. et *Enchiridion Hermeneuticae*; non fuerit abs re quaedam ex illo ponere, ut tu, commilitoque tuus intelligatis, quid iste mea quoque sententia praestantissimus *Sandbichlerus*, de

---

d) Comment. in Naum Cap. 2. Tom. 3. p. 1568. Praef. in Job. *e*) Epist. ad Marcellam Tom. 2. Part. 1. p. 622. *f*) Epistola XXX. ad Pammach. T. 4. p. 238. *g*) ibid. pag. 236.

usu loquendi sentiat. Sic autem habet. „Die heiligen Schriftsteller schrieben eben so gut, wie die anderen in der Sprache ihres Zeitalters, und suchten von ihren Zeitgenossen verstanden zu werden. Sie waren also gezwungen, wie jene, die Redegesetze ihrer Zeit zu beobachten, und den Worten die Begriffe beizulegen, welche der Sprachgebrauch ihres Zeitalters und Volkes in Gang gebracht hatte."

„Es steht also einem Ausleger vor allem zu, dass er sich den Sprachgebrauch der dem Verfasser gleichzeitigen Leser eines Buches, und des Verfassers selbst, eigen mache; *denn dieses ist in der Hermeneutik das Hauptgesetz, von welchem alle Regeln abgeleitet werden.*" Darstellung der Regeln — — nach Jahn Cap. 1. §. 2. pag. 14. confer pag. 15. et 25. Persuasumne ergo erit commilitoni tuo de usu loquendi? Minime gentium; mavolet sibi repugnare et abdicare *Sandbichlerum*, quam cuiquam *Ave* dicere, qui usum loquendi pro supremo principio habeat: verbo, *Sandbichlerus* ab hoc momento *Neotericus* erit.

De usu Ecclesiae in Hermenia.

§. 54.

Ubi *de usu loquendi* exposui, iam planius atque certius de praesenti etiam argumento dicetur. Quo autem tibi magis satisfaciam, mi Comes, ubicunque licebit, sensa sequar, vestra meaque sententia *praestantissimi nostri interpretis*, viri intemerate catholici *Sandbichleri a*). Neque autem eo id faciam, tamquam fidem praestare non possim meorum dictorum, si sine vade aut interprete vos libeat affari, sed ne tenelli sensus vestri hominis haeretici irritentur sermone!

Omnis labor, mi Comes, Hermeneutarum atque Interpretum in eo desudat, ut literas sacras rite intelligant. Quid autem sit *intelligere*, sic exponit *Sandbichlerus*. „Qui librum legit, cupit scire, quid senserit, quid verbis expresserit auctor, quo et ipse,

---

a) Vid. §. 53. sub *.

qui legit, idem percipiat *b*). Consentit *Hieronymus*, qui ait, officium esse interpretis: „*quo eum, qui lecturus est, sic faciat intelligere, quomodo ipse intellexit, qui scripsit c*).“ Hinc vides recte definiri *sensum*, quod sit: *determinatus animi conceptus, e junctis vocum notionibus resultans, quem loquens aut scribens exprimit, et in aliis pariter excitare cupit.*

Intelligentiam igitur scripturarum ut assequaris, recte monet *Sandbichlerus d*), opus esse regulis; hae autem, inquit, non aliae sunt, nec aliae esse possunt, quam quae in quocunque libro vetusto intelligendo et explicando adhibentur *e*). Quam vereor, mi Comes, ne ex hoc solo iam vobis *praestantissimus Sandbichlerus* haereticus aut etiam Rationalista sit. Anne enim in scripturis intelligendis adeo nullae partes sint ecclesiae, uti nullae sunt in *Plauto*, *Terentio*, aut *Ovidio*? Sed dixi tibi, mi Comes, non mea, sed Sandbichleri sensa relaturum esse me, eoque nec a me praestanda, sed a commilitone tuo, qui illum usu et experientia *praestantissimum* cognovit. Huius ergo *Sandbichleri* vobis et invitis ferenda est auctoritas, etiam cum in subsequis *f*) idem de usu loquendi statuit, quod Jahnius. Ut enim apertius tibi dicat quod sentit, ex *Ernesto*, homine haeretico, tibi adfert sententiam *g*): *in hoc maxime docentes peccare, et legentes Ciceronem errare, cum saepe se vim verborum illi explicasse, hi assecutos esse sibi temere persuadent, quod latina verba totidem germanicis interpretati sunt, aut interpretari possunt h*).“

§. 55.

Et sane, mi Comes, oppido distant vocabulorum significationes ab usu loquendi: ex iis enim scies unice quid auctor potuerit dicere, non autem quid reapse dixerit. Ita scias licet singula vocabula sententiae: „*Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei a*).“ non magis tenebis sensum, ac *Cicero* jam Consularis novit, quid sit „*inhibere remis*“ donec ca-

---

b) pag. 1. §. 1. *c*) Epist. ad Marcellam Tom. 2. Part. I. pag. 623. Ed. M. *d*) pag. 6. §. 4. *e*) ibid. *f*) §. priore sub *. *g*) §. 4. pag. 6. *h*) e Dedicat. Tom. 1. Opp. Cicer. pag. LXXVI.

a) Isaj. 5, 1.

sus errorem dedocuit, quem jam prius scriptis suis intulerat *b*). Vides ergo praestantissimum *Sandbichlerum*, ut ovum ovo, *Jahnio* similem esse. Nunc autem docebo *Hieronymum* simillimum esse utrique, ut commilito tuus, cui volupe est Rationalistam facere *Jahnium* (§. 53.), habeat, quem illi adjungat socium.

Hieronymo in Exegesi supremum est *Veritas hebraica et graeca*, ut exegeticorum operum vix paucas legere possis paginas, quin hoc tibi identidem ingerat *c*). Hinc fluxit principium illius criticum: providendum esse de textu correctissimo fontium, ad quem omnes versiones tamquam ad lapidem Lydium exigerentur. Hinc ait: *Novum Testamentum graecae reddidi auctoritati, Ut enim veterum librorum fides de hebraeis voluminibus examinanda est, ita novorum graeci sermonis normam desiderat.* Quod juri quoque Canonico illatum est *d*); et alibi: „*Sicut in novo Testamento, si quando apud Latinos quaestio exoritur, et est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem graeci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in veteri Testamento, si quando inter Graecos Latinosque diversitas est, ad hebraicam confugimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis e*).“

§. 56.

Consentanee ad hoc Critices principium, quoniam in ecclesia hebraeum codicem non reperit, itur ad Rabbinum, qui non sine fraude tamquam ipse lecturus, acceptum e synagoga codicem ad Hieronymum detulit: „*habes, inquit, quod postulaveras: meque dubium, et quid facerem nescientem, ita festinus exter-*

---

b) Vid. Breviar. Act. et Script. Edit. Bipont. T. 1. p. LXXIII. Coll. *de Oratore* Libr. 1. § 33. pag. 48. Tom. 2. et Epistolarum ad Atticum Libr. 13. Epist. 21. Tom. 9. pag. 16. et Libr. 1. Epp. ad Att. Tom. 8. pag. 79. *c*) Epistola LXXIV. ad Aug. T. 4. P. 2. pag. 627. ubi Augustinum mittit ad Hebraeos et hebraicam veritatem. Advers. Jovin. Libr. 1. p. 161. ibid. et eodem T. 4. P. 2. pag. 173. 208. 241. 252. 254. 337. 737. etc. *d*) ad *Lucinium* Ep. 52. pag. 579. T. 4. P. 2. *e*) Ep. ad Sunniam et Fret. T. 2. P. 1. pag. 627.

ruit, ut omnibus praetermissis ad scribendum transvolarem, quod quidem usque ad praesens facio a)." Celeritate autem operis tam minuto charactere est usus, ut alibi de molestia queratur: „*Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis senectute, et aliquid sustinentibus beati Isaiae, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus hebraeorum volumina relegere, quae etiam ad solis dieique fulgorem, literarum nobis parvitate coecantur b).*" Hinc audias illum centies in hunc sensum loquentem: „*Pro quo scriptum est juxta hebraicam veritatem; quod in graecis et latinis codicibus non habetur c).*"

Nunc audias, mi Comes, de illius *exegeticis studiis. Nulla ars, inquit, absque magistro discitur. Etiam muta animalia et ferarum greges, ductores sequuntur suos d).*" Et quia noverat, primum ardorem discendi esse nobilitatem magistri: Hinc *de Paula* ait: *propter assiduitatem et crebras postulationes ejus praestiti, ut docerem quod didiceram, non a me ipso sed ab illustribus ecclesiae viris e)*; quorum praecipuos jam tibi supra retuli §. 53. Ne tu tamen putes horum auctoritate ita fuisse devinctum, ut nihil auderet e proprio. Mature ille sensit, viditque *Origenis* exemplo, esse quiddam summi commodi, quod frustra quaereret etiam apud illustres viros. Invaluit enim vetus error in LXX. Interpretibus „*quorum si pura, inquit, et ut ab eis in graecum versa est, editio permaneret, superflue me Chromati impelleres, ut hebraea tibi volumina latino sermone transferrem f).*" Idem malum in occidente: „*maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria quot codices: et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est g)*;" eoque factum sit, ut plura legerentur in novo Testamento, quorum nullum vestigium erat in veteri,

---

a) Epist. ad Damas. Pfic. T. 2. P. 1. p. 563. *b*) Comment. in Ezech. praefat. Libr. VII. T. 3. p. 841. *c*) Epist. ad Rustic. de poenit. XC. T. 4. P. 2. pag. 737. *d*) Epist. XCV. ad Rustic. Monach. T. 4. P. 2. p. 775. Coll. Epist. L. ad Paulin. T. 4. P. 2. pag. 571. *e*) Epist. LXXXVI. ad Eustoch. Virg. Epitaph. Paulae. T. 4. P. 2. pag. 686. *f*) Praef. in Paralip. 1. *g*) Praef. in Josue.

unde citabantur *h*). Frustra ille latina hexaplari textui tentavit adstringere, confusione identidem redeunte; toto orbe in ipsis LXX interpr. trifaria varietate compugnante *i*); et demum majore etiam laboris parte, fraude cuiuspiam amissa *k*).

§. 57.

De S. Hieronymo ut interprete.

Nunc videbis, mi Comes, Hieronymum *Philologum*, eo unice, ut germanum certumque disceret Hebraeorum *usum loquendi*, eadem que opera incentiva vitiorum, ardorem naturae, mentemque aestuantem sopiret, quae crebris jejuniis frangere non satis poterat. Itaque „*cuidam fratri*, *ait*, *qui ex hebraeis crediderat*, *me in disciplinam dedi*, *ut post Quintiliani acumina*, *Ciceronis fluvios*, *gravitatemque Frontonis*, *et lenitatem Plinii*, *alphabetum discerem*, *et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim*, *quid sustinuerim difficultatis*, *quoties desperaverim*, *quotiesque cessaverim*, *et contentione discendi rursus inceperim*, *testis est conscientia*, *tam mea qui passus sum*, *quam eorum*, *qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago domino*, *quod de amaro semine literarum dulces fruces carpo a*).“ Audias illum de sermone Chaldaeo. *Denique inquit*, *et ego adolescens*, *post Quintiliani — — cum me linguae hujus pistrinum reclusissem — et quasi per cryptam ambulans rarum desuper lumen aspicerem*, *impegi novissime in Danielem: et tanto taedio affectus sum*, *ut desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me Hebraeo*, *et illud crebrius mihi in sua lingua ingerente*, *labor improbus omnia vincit: et qui mihi videbar sciolus inter Hebraeos*, *coepi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et ut verum fatear*, *utque ad*

---

h) Praef. in Pentat. ad Desider. et Praef. in Paral. 1. ac Contr Rufin. Libr. 2. Tom. 4. P. 2 p. 427 et 433. nbi adducuntur exempla. *i*) Praef. in Paral. 1. et Comment. in Eplam ad Titum C. 3, 9. Tom. 4. Part. 1. p. 437. *k*) Epist. ad August LXXIX. T. 4. P. 2. p. 644.

a) Epist. XCV. ad Rust. Monach. T. 4. P. 2. p. 774.

praesentem diem magis possum sermonem chaldaicum legere et intelligere, quam sonare b).“

Ut autem intelligas, quam ille perpetuo huic disciplinae institerit, audi alibi dicentem: „*Hebraeam linguam quam ab adolescentia multo labore ac sudore ex parte didici, et infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar c).* — — Et alibi: „*Nos ut scis, Hebraeorum lectione detenti, in latina lingua rubiginem obduximus, in tantum, ut loquentibus quoque nobis stridor quidam non latinus interstrepat d).*“ Et alibi: *obsecro te lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti; nec requiras eloquii venustatem, quam multo tempore hebraeae linguae studio perdidi e).*“ Audi aliud genus patientiae: „*Si igitur, inquit, a nobis haec nominum et linguae idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebraeis, solent cachinnum attollere, et jurare se penitus nescire quod dicimus f).*“

§. 58.

Vir igitur hic summus, exercitatissimus in profanis non minus ac ecclesiasticis scriptoribus, quos *Augustino* teste paene omnes legerat, *Philosophus*, *Rhetor*, *Grammaticus*, *Dialecticus*, *Hebraeus*, *Graecus*, *Latinus trilinguis a)*, addere poterat et *Chaldaeus*; nullo hactenus exemplo, de novo ex ipsis hebraeis fontibus derivato fidei instrumento, providit ecclesiae. Tune ergo infitiaberis, *usum loquendi* supremum fuisse Hieronymo interpretandi principium? Quorsum enim doctus ille sudor, tanti labores, toties repetita desperatio, nisi ut te doceret latine, quidquid usus haberet hebraeus? Vel forte traditio apostolica hic quoque suppetebat, quomodo unaquaeque sententia vertenda esset? Quod quidem persuasum tibi non dubito, qui ecclesiam facias magistram *Grammaticae hebraeae b)*! Verum recole quae supra §. 53. ex Hie-

---

b) Praef. in Dan. *c)* Epist. LXXXVI. ad Eustoch. T. 4. P. 2. p. 686. *d)* Epist. ad Marcellam T. 2. P. 1. p. 616. *e)* Comment. in Aggaei C. 2. T. 3. p. 1704. *f)* Comment. in Epist. ad Tit. C. 3. Tom. 4. P. 1. p. 437. et pag. anteced.

a) Adv. Ruf. Libr. 3. Tom. 4. Part. 2. pag. 443. *b)* pag. 111.

ronymo loca attuli, et quibus quaedam placet addere, ut intelligas, quam in his praeter *usum loquendi* nihil fuerit praesidio.

„*Fateor enim, inquit, nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de his super quibus anceps eram c).*“ Quos autem? eos qui haec antecedunt et sequuntur, Tiberiadenses Rabbinos. Alias: „*Est vir quidam, a quo ego plura didicisse me gaudeo, et qui hebraeum sermonem ita elimarit, ut inter scribas eorum Chaldaeus existimetur. Is longe alia via ingressus est d).*“ Iterum (de Isaj. 6, 9. 10.) „*Audivi ego in hoc loco non parvam hebraei mei disputationem, cuius pauca ponam, ut sensum hominis advertas e).*“ Alias „*quid enim necesse est, dubia et non scripta disserere: quum in ea, quae Hebraeorum tenentur libris, debeamus incumbere f).*“ Alibi „*multum in hoc loco translatio nostra discrepat ab editione vulgata: unde debemus in expositione historiae, hebraicam veritatem sequi g).*“

Similiter in epistola ad *Vitalem:* „*Et si quidem in historiis aliter haberent LXX. Interpr., aliter hebraica veritas, confugere poteramus ad solita praesidia, et arcem linguae tenerae vernaculae (hebraeae): nunc autem cum et ipsum authenticum h).*“ — Ad Marcellam vero: *haec nos de intimo Hebraeorum fonte libavimus non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus est, varietate perterriti: sed cupientes et scire et docere quae vera sunt i).*“ Adversus Rufinum autem: „*Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil, duntaxat scientem, de hebraica veritate mutasse: sicubi ergo editio mea a veteribus discrepat: interroga quemlibet Hebraeorum, et liquido pervidebis, me ab aemulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri praeclara, quam discere k).*“

Adeo denique pertinaciter hebraea unice sectatur, ut rogatus licet, latina unice ut vellet interpretari, tamen scribat: *Nobis autem quia sic voluistis, et semel*

---

c) Praef. in Paral. II. *d*) Epist. ad Damas. T. 3. p. 520. *e*) ibid. p. 522. *f*) In Ezech. Cap. 41. T. 3. p. 998. *g*) Comment. in Abd. C. 1. T. 3. p. 1467. *h*) T. 2. P. 1. p. 620. *i*) T. 2. p. 707. *k*) Libr. 2. pag. 429.

susceptimus, incumbit necessitas ita interpretari scripturas, quomodo leguntur in ecclesia, et nihilominus hebraicam non omittere veritatem l)."

§. 59.

Si hactenus perspicere potuisti, mi Comes, viro doctissimo et sanctissimo supremum principium fuisse Hebraeorum usum loquendi; nunc etiam apertius intelliges, illum in libris integris ita pependisse ex ore Judaei, ut hebraei sermonis ne usum quidem capere posset ad dignoscendam veritatem. „*Arguunt*, inquit, *et nos Hebraeorum studia, et imputant nobis contra suum canonem, latinis auribus ista transferre. — Et quia vicina est Chaldaeorum lingua sermoni hebraico; utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: et quidquid ille mihi hebraicis verbis expressit, hoc ego, accito notario, sermonibus latinis exposui a).*" Cum igitur in libro Chaldaeo sermone conscripto, quem ille tum adhuc ignorabat, ne usum quidem loquendi sequi potuerit, sed id unice intellexerit, quod crucis Christi inimico dicere placuit invito, ut e primis verbis intelligis: scire ex te velim, quemnam mihi hic vadem offeres, nihil aut imperite, aut subdole egisse Judaeum?

Nec mihi dicas, quod quidam inepte mihi olim reposuit, per Hieronymum hanc novam versionem collatam fuisse cum LXX. Interpretibus. Quomodo enim conferret, quod jam amplius non erat in manibus? aut si prius contulit, obsecro, quid commodi expectes, si e rauco Judaei ore defluentem cum saliva versionem, graeco conferas textui impuriori, quem putidis scatere additamentis nec ipse diffitetur Calmetus b)? Prudentior fuit, mi Comes, Hieronymus, quam ut ille recens natam magistri sui sobolem in faeculento abluat rivulo Graecorum.

Simili prorsus ratione et versio *Judith* nata videtur, cum et exactores et alia cum priori consentiant. Addam *Danielis* graecam versionem ab *Theodotione* Judaeo, qua in praesens graeca utitur ecclesia. Vide

---

l) Com. in Mich. Cap. 1. T. 3. pag. 1505.

a) Praef. Tobiae. b) Praef. in Comment. Tobiae p. 253.

jam, mi Comes, quorsum cum suis *principiis supremis* evaserint et Magister et Commilito tuus, quorum alter solam cum patribus ecclesiam (§. 28.) alter admittit et logicam §. 41., ut ductu prioris de universo judices argumento scripturarum; posterioris vero de singulis quae fidei aut morum sunt; cum tamen in *Tobiae*, *Judith* et *Danielis* graeca latinaque versione, nec ecclesiae, nec Patrum ac ne Hieronymi quidem intervenerit auctoritas, sed solius Judaei, Christi atque ecclesiae inimici incerta fides. Qui igitur negare non possitis, opera haec solo usui loquendi suos debere natales; quomodo vobis constetis, dum plus exigitis ad intelligentiam versionum istarum, quam ii in ipsis fontibus intelligendis adhibuerunt, quibus has ipsas debetis versiones, judicio ecclesiae et usu seculorum probatas atque receptas? Nisi enim Judaeos illos inspiratos creditis, necesse est, ut media quae primis suffecerunt versoribus, sufficiant subsequis etiam interpretibus versionum, ea sola extrinsecae auctoritatis norma servata, quae Tridentini concilii sessione IV., non tam ad eruendum sensum verum, quam ad devitandum perversum, praescripta est.

§. 60.

Hucusque de *Philologia*, nunc caetera paucis praesidia, quae ille ad interpretationem attulit, commemorabo. Docte jam supra §. 53. monuit commilito tuus, mi Comes, *Contextum* quoque a veteribus fuisse consultum. Cui invento parem relaturus gratiam, moneo, *logicam* quoque, quam ille suo adjunxit principio §. 41., Hieronymo non plane fuisse ignotam. Ridens enim quemdam runigerulum, rabulam, vafrum tantum ad detrahendum ait: „*nequidquam ergo me doctus Magister per Isagogen Porphyrii introduxit ad logicam a).*“ Quantus autem fuit, mi Comes, in *Archaeologicis?* *Italiam* enim, *Graeciam*, *Asiam minorem*, *Syriam*, *Palaestinam* et *Aegyptum* perlustrans, et a morte Damasi 35 annos exigens in Bethlehem, quid putas, quantos vir hic scientiae thesauros sua experientia collegit, suoque ingenio complexus est, quos

a) Epist. ad Domnion. XXXII. Tom. 4. parte 2. p. 245. Coll. Libr. 2. Ruf. ibid. p. 418. et Epist. ad Paulam T. 2. p. 708. 709.

frustra post tot secula nos suspiramus? Quidquid enim ad geographiam physicam, ad situm locorum, ad mores et consuetudines pertinet, usu et experientia ita habuit compertum, ut non dubitem, quin doctissimus quisque aetatis nostrae, in hoc genere rerum, si liceret, saepe ac libenter illum consuleret, demto solo Magistro tuo, mi Comes, qui in tanta exuberantia scientiae, quod doceat alios, non quod ipse discat, reliquum habet.

Unicum tibi, mi Comes, in hoc genere e multis exemplum adferam. „*Quomodo, inquit, Graecorum historiam magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigaverint; ita sanctam scripturam lucidius intuebitur, qui Judaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire: ut circuiremus provinciam, quam universae ecclesiae Christi sonant.*“ *Adde peregrinationem in Aegypto:* „*Nuper, inquit, de Aegypto egressi sumus, et in Osee Pharaone submerso, rubrum transivimus mare b).*“

His adde non ultimum praesidium, quod in *versionibus* positum est. De his audi dicentem: *Unde et nobis curae fuit, omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Caesariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus et ipsa Hebraea propriis sunt characteribus verba descripta; et graecis literis tramite expressa vicino. Aquila etiam et Symmachus, Septuaginta quoque et Theodotion suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri et maxime hi qui apud Hebraeos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent: quam quintam et sextam et septimam translationem vocant: auctoritatem sine nominibus interpretum consecutas. — Haec immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judaeorum solutis labiis, et obtorta lingua, et stridente saliva, et rasa fauce gaudentium c).*“

Opportune haec, mi Comes, quam quod maxime. Vidit enim doctus *Hieronymus*, ubi *testes directi* §. 25.

---

b) Praefat. Comment. in Joel. Cap, 1. T. 3. p. 1338. et Praef. in Paral. 2. *c*) Comment, in Tit. Cap. 3. Tom. 4. Par. 1. p. 437.

desunt, eundum esse *ad indirectos*; in his autem, caeteris paribus, praeponendos esse, qui facto, ut est *usus loquendi*, viciniores erant. § 35. Hos inter vero omnium confessione, nec diffitente Magistro tuo *d*), summo loco sunt LXX. interpr. *Origenis* opera in iisdem *Hexaplis* critice emendati: hos consequuntur *Aquila. Symmachus*, *Theodotion* etc. Rabbinis illis, Hieronymi Magistris, duobus seculis antiquiores. Horum igitur non modo in critica textus, sed etiam ad reperiendum usum loquendi, atque etiam in Polemica adversus Judaeos non plane nullus usus fuit, uti obvie in ejus commentariis videre potes. Unicum ponam exemplum. Excusans epistolae brevitatem Marcellae ait: „*iam pridem cum voluminibus Hebraeorum editionem Aquilae confero, ne quid forsitan propter odium Christi Synagoga mutaverit: et ut amicae menti fatear, quae ad nostram fidem pertinent roborandam plura reperio e).*"

§. 61.

Hactenus, mi Comes, paucis tibi adumbravi *Hieronymum* ut *Interpretem* et *Exegetam*; ductu eorum praesidiorum, quae ille in utroque illo docto labore adhibuit, et quae paucis huc redeunt. Si illum peritum concedis historiae, de quo dubitare non potes, reliqua nituntur *Critica*, *Philologia*, et *Archaeologia*. *Introductionem*, aut ut modo dici solet, *Apologiam*, frustra apud illum quaeres nostrae ad modum, quia nondum erat opus, et veteres hostes *Celsus*, *Porphyrius*, *Hierocles*, *Julianus*, quorum arma adversus historicam fidem librorum potissimum dirigebantur, disparuerunt. Idem de *Hermeneutica systematica* statues. Etsi enim id genus observationes sparsae sunt in ejus operibus, et in Epistola XXXIII. ad *Pammachium a*), plura contineantur egregia, nondum tamen hodiernum ad modum illa culta aut tradita fuit; nec quisquam ea facilius caruit, ac ille, qui summo esset ingenio, disciplinis profanis cultissimus, et exercitatissimus in graecis latinisque scriptoribus: ut adeo vix alia re fuerit opus, quam ut ad sacros scriptores

---

d) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 2. §. 63. p. 143. *e*) Epist. XXIV. T. 4. Part. 2. p. 61.

a) Tom. 4. P. 2. pag. 248.

transferret, quae multo usu et exercitio comperisset in profanis.

Jam nunc mi Comes, liceat ex te quaerere, ubinam *Criticam*, *Philologiam*, *Archaeologiam*, aut etiam *Hermeneuticam* ex humano sermone universim, usuque loquendi nationis et peculiari auctoris sumtam, tradit ecclesia? Ego, mi Comes, etsi conciliorum canones tibi enumerare non possum in digitis, multa tamen et istorum, etsi alio ex fine percucurri, quin unquam quidquam istorum repererim. Tu quidem pro tuo acumine recte vidisti, ut ecclesiae in Hermenia locus sit, ab grammatica hebraea sumendum esse exordium, eoque ad eam nos remittis *b*), ut discamus quaenam puncta vocalia cum singulis vocibus jungenda sint: at mature coepi tibi, mi Comes, diffidere, quoniam nihil istorum in tuo invenissem Magistro, compertumque haberem, turpiter semper te esse prolapsum, quotiescunque praeter aut supra Magistrum sapere tentasses.

Forte ergo jam ex his intelliges, aut imperitam aut malevolam esse vociferationem vestram, dum *Jahnio* et *Neotericis* crimini datis, cum asserunt: „*longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae catholicae, de qua, ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus c*).“ Quid enim, an Hermeniam *Hieronymus* didicit ab ecclesia? Magistri illius, mi Comes, erant *Donatus* et *Severinus*, qui illum in interpretandis profanis non obiter exercuerunt. „*In Latino, inquit, paene ab ipsis cunabulis inter Grammaticos et Rhetores et Philosophos detriti sumus.*“ Praefat. in Jobum 1.; usum autem loquendi hebraeum Tiberiadenses Rabbini docuerunt. Sume exemplum: professionem trium *hypostaseon* ab illo exegerunt Ariani, et ille continuo ad *Damasum*: „*tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi usiam novit d*).“ Alterius habes supra §. 53. 57. 58. Tu ergo in similibus quaestionibus, mi Comes, in posterum cautior esto; hodegum obscurum, et indoctum mitte Magistrum; te audi, te sequere; naturae ausculta, quae voce puerorum clamat: non est magister, quin antea discipulus; demum *Hieronymum* intuere, qui jam semicanus *Didymum* coluerit

---

b) Pag. 111. *c*) Enchir. Herm. §. 32. p. 98. *d*) Epist. XIV. Tom. 4. Part. 2. pag. 20.

praeceptorem. Alioqui ut ille monet: „*incidunt in arrogantiam, qui in puncto horae necdum discipuli, jam magistri sunt e*).“ Caeterum de his, post pluribus dicetur.

§. 62.

Erat autem, mi Comes, docta haec *Hieronymi* ratio interpretandi ita probata coaevis, ut etiam qui eandem tenere non poterant, quantum licuisset sequerentur. Cum enim Aquila Judaeus, ut nosti, hebraea ad verbum et apices redderet, non deerant e latinis et graecis, qui ab hebraeo imparati, hac via se adjuvandos in usu loquendi hebraeo existimarent. De Rufino id expresse habet *Hieronymus. Magnis, inquit, ut scio sumtibus redemisti Aquilae et Symmachi et Theodotionis, quintaeque et sextae Editionis Judaicos translatores a*).“ Suam autem commendans Latinis versionem, aut potius irridens laboris sui contemtores ait: „*fastidiosis lectoribus hoc precor: ut quomodo graeci post LXX. translatores, Aquilam, Symmachum et Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinae suae, vel ut LXX. magis ex collatione eorum intelligant, sic et isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem b*).“ Sed bene observat, his exspectata non inesse commoda. *Primum enim magnorum sumtuum est, et infinitae difficultatis, exemplaria habere omnia. Denique et qui habuerint, et hebraei sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis e multis verius dixerit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Graecos accidit, ut interdum scripturae sensum relinquens, uniuscuiusque interpretis sequeretur errorem c*).“

Vide, mi Comes, quantopere jam olim in *Neotericorum* haeresim propensi fuerint doctissimi quique scripturarum tractatores, qui nulli fatigio, nullis sumtibus parcentes usum loquendi tamquam supremam rectae interpretationis laudem praemiumque quaerebant; suspirante hodie atque illachrymante commilitone tuo, perdocto *legis catholicae* auctore, cui haec interpretandi ratio „*proh dolor! ad invehendum fovendumque Rationalismum comparata magis esse videtur*,

e) Epist. LXXXII. ad Ocean. T. 4. P. 2. p. 654.

a) Adv. Ruf. L. 2. T. 4. Part. 2. pag. 433. b) ibid. p. 331. c) ibid. p. 427.

quam ad arcendum et eliminandum d)." Sed tu, mi Comes, interea firma mente retine dictum Hieronymi in fine superioris § allatum, donec commilitoni tuo infra condigne satisfaciam.

Qui hac in re, mi Comes, juxta cum *Hieronymo* scribere aliquid potuisset dignum posteris, *Epiphanius* erat, *Pentaglottos*, ut ait Hieronymus, *latini* scilicet, *graeci*, *aegyptii*, *syri*, *hebraeique* gnarus sermonis *e*). Sed is in alio genere elaboravit, nec quidquam commentariorum, si quos scripsit, ad nos usque pervenit.

§. 63.

Sed mirare, mi Comes, quod tot viri doctissimi non potuerunt, feminae assecutae sunt, *Paulam* nempe nobilissimam illam Romanorum matronam, et paris virtutis filiam *Eustochium* intellige. Audi Hieronymum Paulae, nec dubium quin et filiae, *Magistrum* et *Nutricium*. Epist. LVII. ad Laetam Tom. 4. Part. 2. p. 597. Is ubi de linguae hebraeae studio ea praemisit, quae supra §. 57. sub (*c*) retuli, simul addit: *loquar et aliud, quod forsitan aemulis videatur incredibile. Hebraeam linguam discere voluit, et consecuta est: ita ut Psalmos hebraice caneret, et sermonem absque ulla linguae latinae proprietate personaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus a).* Et alibi: *Vos autem o Paula et Eustochium, quoniam et bibliothecam hebraeorum studuistis intrare, et interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther hebraicum librum: per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in hebraeo habetur, historiam hebraicam latinae linguae tradidisse b).*"

Quantum tu, mi Comes, his feminis magistris proficeres, *Eustochio* praesertim virgine doctissima, quae ipsum *Hieronymum* non in ruborem, sed in pallorem dedit. Cum enim illi diceret *c*), Apostolos in discrepantia fontis et LXX. interpr. semper hebraeum prae-

---

d) Legis Cathol. §. XVI. pag. 18. *e*) Advers. Ruf. T. 4. Libr. 2. p. 417. et Libr. 3. pag. 443.

a) Epist. LXXXVI. Epitaph. Paulae Tom. 4. P. 2. pag. 686. *b*) Praefat. in Esther. *c*) Praef. in Libr. XV. Comment. Isaj. T. 3. p. 390.

ferre LXX. neglectis, atque ad hoc *Eustochium* illi ex epistola ad Romanos capitis 3. versus 13 – 18, qui in hebraeo non habeantur Psalmo 13. (ubi hodiedum per errorem inserti, sine numeris prostant in vulgata), in contrarium adferret, Hieronymus reposuit: „*quod cum audissem quasi a fortissimo pugile percussus essem, coepi tacitus aestuare, et stuporem mentis vultus pallore signare d).*"

Neque autem in his modo aemulatae sunt Hieronymum, sed ut ille §. 60. sic hae quoque ingenti studio atque labore circumierunt Aegypti partem, totamque Palaestinam *e*) eodem utique fine, ut supra vidisti in Hieronymo §. 60. sub (*b*). Nec tamen quisquam, mi Comes, has feminas ob diligentissime quaesitum *usum loquendi*, de *rationalismo* suspectas habebat; nec quisquam Commilitonis tui more pueriliter ploravit, eam agendi rationem „*proh dolor! ad invehendum rationalismum comparatam esse*" §. priore. Audi Hieronymum de Paulae supremo funeris officio loquentem: „*Aderant Ierosolymarum et aliarum urbium episcopi, et sacerdotum inferiores gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium virginum et monachorum chori repleverant. — Non ululatus non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant. — Hebraeo, graeco, latino, syroque sermone psalmi in ordine personabant. Translataque episcoporum manibus, et cervicem feretro subjicientibus, quum alii pontifices lampades cereosque praeferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncae salvatoris est posita. Tota ad funus ejus, Palaestinarum urbium turba convenit. Quem monachorum latentium in eremo, cellula sua tenuit? Quam virginum, cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegium putabat, qui non tali feminae ultimum reddidisset officium f).*" I nunc et cum perdocto Commilitone tuo, *Rationalismum* crepa ex *usu loquendi.*

§. 64.

Sed, mi Comes, non mihi satis est de *Hieronymi* principiis in interpretando, Palaestinae attulisse sen-

---

d) Praefat. Comment. Isaj. Libr. XVI. Tom. 3. pag. 415. *e*) Epist. LXXXVI. seu Epitaph. Paulae Tom. 4. P. 2. p. 669—678. *f*) ibid. pag. 687 et 688.

sum, nisi et orbis totius consensum tibi monstravero. Ut illustrior erat bethlehemitici stabuli gloria, quam aedium Herodis; sic Romana palatia, celebritate vicit Hieronymi cella in Bethlehem. An Roma, Constantinopolis, Antiochia et Alexandria doctos non habuit? Cur ergo omnes bethlehemiticam cellam suspirant? Cur doctiorem se quisque putavit esse, quo propius ad ejus incolae methodum accessisset (§. 62.)? Cur beatiorem, quo propius ab eo doctore abesset? Audi *Augustinum*: „*utinam saltem propinquis terrarum locis habitaremus; ut si non possent misceri nostra colloquia literae possent esse crebriores.* — — *Juvenem me ad tuam sanctitatem scripsisse memini, et ecce jam senex necdum rescripta merui a).*“ Et iterum: „*Nam neque in me tantum scientiae divinarum scripturarum est, aut esse jam poterit, quantum inesse tibi video.*“ Causam addit: quoniam „*vacare studiis diligentius, quam quae populi audiunt instruendi, propter ecclesiasticas occupationes omnino non possum b).* Demum cum *Hieronymus* scripsisset *ludere in campo scripturarum*“ *Augustinus* reponit: „*Ego fateor majus aliquid expeto a benignitate virium tuarum, prudentiaque tam docta et otiosa, annosa, studiosa, ingeniosa diligentia: haec tibi non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu S. ut in magnis et laboriosis quaestionibus, non tamquam ludentem in campo scripturarum, sed in montibus anhelantem adjuves c).*“

Audi etiam *Damasum* pontificem. Loquens de Epistolis Hieronymi ait: „*quas tota aviditate legi atque descripsi: et ultro pollicitus es te furtivis noctium operis aliquas, si vellem posse dictare; libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram, etiamsi negasses. Neque vero ullam puto digniorem disputationem, quam si de scripturis sermocinamur inter nos: id est, ut ego interrogem, tu respondeas d).*“ Cuiusmodi desiderio satisfacturus Hieronymus ad eundem non modicis refertas epistolas dedit, quas inter opera huius doctoris invenies.

Sed et Getarum episcopi *Sunia* et *Fretela*, latino graecoque Psalmorum textu discrepante, ex Hieronymo quaerunt *hebraicam veritatem*; quod occasionem

---

a) Epist. LXXII. ad Hier. inter huius opera T. 4. P. 2. p. 614. *b*) ibid. p. 615. *c*) ibid. Epist. LXXVI. pag. 630. *d*) Epist. ad Hier. Tom. 2. p. 561.

dedit prolixis animadversionibus criticis, in quibus ait: „*Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quaereret veritatem — et ipsa Germania Spiritus S. eloquia scrutaretur e*)?

§. 65.

Idem de Hieronymo judicium audi alterius episcopi. „*Hucusque inquit Papa amabilis columen charitatis et nomen: ac mihi omnium quos terra genuit amantissime; per literas flagitabas, ut tibi decem visiones quae in Isaja obscurissimae sunt, historica expositione dissererem, et omissis nostrorum commentariis, qui varias opiniones secuti, multa volumina condiderunt, Hebraicam panderem veritatem a*).“ Non sufficio mirari huius viri praeter morem aetatis defaecatissimum judicium. Non quaerit ille, mi Comes, commentarios moralibus excursibus, et mysticis ubique assumentis turgentes; tales enim haud dubie et ipse sibi parasset; sed quod difficillimum est, fontis ductu literalem et historicum sensum. Ideo etiam subjungit Hieronymus de prolixis illis commentatoribus: „*Origenem loquor et Eusebium Pamphili: quorum alter liberis allegoriae spatiis evagatur — et ingenium suum facit ecclesiae sacramenta: Alter historicam expositionem titulo repromittens — in Origenis scita concedit b*).“

Sed quid ego tibi postulationes doctissimorum accumulem, quando vix ulla praefatio aut epistola est, ubi similes virorum feminarumque exactiones non reperias: summaria quaedam ponam, ut intelligas ab doctis omnibus methodum illius fuisse probatam. Audi quid ad Eustochium scribat: „*Fateor me explanationes in Ezechiel multo ante tempore promisisse et occupatione de toto orbe huc venientium implere non posse; dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis — in tantum, ut aut claudendum sit nobis ostium, aut scripturarum studia relinquenda c*);“ — unde non vane alias scribit: „*Dum orbi responderem.*“ Alias commemorat ex

---

e) Tom. 2. p. 626.

a) Praef. in Libr. 5. Comment. Isai. T. 3. p. 107. *b*) ibid. *c*) Praef. in Libr. 7. Comment. Ezech. T. 3. p. 839.

latere sibi astare frequentem turbam diversa poscentium *d*); alias: *mittitis, inquit, solatia sumtuum: notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium e*)." *Augustinum* audi de literis ejus loquentem: „*Nos eum* (*animum*) *non mediocriter novimus in literis tuis: in quibus benedicimus dominum, quod tibi et nobis, omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit f*)." Ut brevis sim: annon hodiedum in ejus festo XXX. septem. Ecclesia gratias agit Deo, de collato sibi hoc summo in exponendis scripturis doctore?

Jam, mi Comes, quoniam ex dictis nullum dubium est, *usum loquendi* supremum fuisse Hieronymo interpretandi principium; si hac in re error est, imo juxta vos, revelationis fideique proditio, non poteris non mirari, unius Hieronymi exemplo, multo magis in devia abreptam esse ecclesiam, ac dum, teste hoc eodem doctore, *Valentis* et *Ursacii* fraudibus olim „*Nicenae fidei damnatio conclamata est, ingemuitque totus orbis, et Arianam se esse miratus est g*)." Annon cernis, quorsum vestrae angustae ideae, et perpetua vestra aemulatio, vos tandem deduxerint? annon vides, immaturo amaroque zelo vestro et pusillis studiis, non honorari, non provehi, sed deprimi, et insultibus exterorum objici ecclesiam? Ut enim negare non potes, quod de *Hieronymo* docui, ita nec sequelam unquam effugies quam intuli. Tu igitur, Comes, si sapis, desine Ecclesiam magistram facere Hebraeae, Hermeneuticae, Archaeologiae, etc. quae grammaticae atque historicae interpretationi serviunt; desine eam involvere quaestionibus, quas tu omnium minime expedies. Nobilior ejus finis est, et munus excelsius; quod in centro unionis latere te, est, quod vel ipse mireris.

§. 66.

Neque tamen, mi Comes, in tanta licet gloria *Hieronymus* adversariis caruit: quin imo, si cum Magistro tuo mihi persuasum esset, etiam extra scripturam mysticum sensum dari, nullus dubitem in

---

d) Praef. in Libr. Salom. *e*) ibid. *f*) Epist. LXVII. inter. Opp. Hier. T. 4. P. 2. pag. 604. *g*) advers. Lucifer. T. 4. Part. 2. pag. 300.

summo hoc viro typum propheticum praecessisse *Neotericorum;* adeo nec tunc deerant homines obscuri, vani, ad detrahendum et calumniandum nati atque facti, qui ex eo nomini suo gloriam quaererent, si pumiliones allatrassent molossum. Sed ubi istorum aliquot amaro sale probe defricuit, ab caeteris quoque impetravit silentium. Praecipuum tamen controversiae objectum erat, ejus ex hebraeo in latinum veteris testamenti facta translatio, quam, quod mireris, ipse amicissimus Augustinus e sua dioecesi exclusit. Sed satius est, ut ipsummet audias.

„*Ego sane, inquit, te mallem graecas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quae LXX. interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum enim erit, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a graecis ecclesiis, latinae ecclesiae dissonabunt a).*“ Et alibi: „*Ideo autem desidero interpretationem tuam de LXX., ut et tanta latinorum interpretum imperitia careamus: — — et hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebraeo interpretationem in ecclesiis legi, ne contra LXX. auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus greges Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quae etiam ab apostolis probata est.*“ Atque hinc factum est, ut multo tardius in ecclesia publico usu invalesceret.

§. 67.

Ut ergo vides, mi Comes, magnam esse oportuit Hieronymianae versionis a vulgata ejus temporis discrepantiam, cum Augustinus ab ea et offendicula metuat publica, et dissonantiam graecae latinaeque ecclesiae: eoque jam non nihil diffidere incipio perdocto commilitoni tuo, *Legis Catholicae* auctori, qui serio docet, vocum notiones judaeis, sensum vero majorum institutioni in acceptis retulisse *Hieronymum a)!* Cum enim nova versio, ut centenae accusationes docent, nec Vulgatae Latinorum, nec LXX.

---

a) Epist. LXX. inter Opp. Hier. Tom. 4. Part. 2. pag. 610. *b*) ibid. Epist. LXXVI. pag. 641.

a) Legis Cath. §. XIV. p. 15.

Graecorum consenserit, multum laboro, qua via ad Majores illos deveniam, quorum ductu atque exemplis, tantam ab utriusque ecclesiae instrumento dissensionem suae versioni intulerit *Hieronymus*. Te ergo oro, fac sciam, si quid audieris.

Contulit quoque non minimum ad offensam multorum, ejus aetatis ad superstitionem usque provecta veneratio LXX. interpretum, e quibus prima versio latina profluxit. Corruptor ergo scripturarum audiit apud imperitos, quotiescunque ab iis latum unguem discessisset. Hinc consueta ejus defensio est: „*audi aemule, et obtrectator ausculta: non damno, non reprehendo LXX., sed confidenter cunctis illis apostolos praefero b)*." Dabo tibi joculare sane exemplum ejus venerationis ex Africa. Ubi episcopus quidam Hieronymianam praetulit veteri, quoniam Jonae c. 3. pro *cucurbita*, inaudita sonuit *hedera*, et tumultuante populo Judaei arbitri, seu ex inscitia, seu ut episcopo faciant aegre, pro *cucurbita* steterunt adversus *hederam*: nolens episcopus manere sine plebe, repudiata nova, cum vetere versione simul reduxit *cucurbitam*, delicias Afrorum *c*).

Aliquid ad invidiam novae versionis contulerunt et sumtus novorum exemplarium, et splendor veterum aegre dimissus. „*Habeant, ait, qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, literis onera magis exarata, quam codices: dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas. et non tam pulchros codices quam emendatos d*)." Et iterum: *Tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant: dum magis pulchros habere volunt codices quam emendatos e*)."

§. 68.

Talibus, mi Comes, reponere solebat Hieronymus: „*si cui legere non placet, nemo compellit invitum. Bibat vinum vetus cum suavitate, et nostra musta contemnat a*)." In obtrectatores vero paratum re-

---

b) Praef. ad Pentat. *c*) Augustin. Epist. LXX. ad Hieron. huius Tom. 4. P. 2. p. 610. coll. 628. *d*) Praef. 1. in Job. *e*) Praef. 2. in Job.

a) Epist. ad August. LXXIV. T. 4. Part. 2. pag. 627.

sponsum: *Asino lyra superflue canit.* Epist. 25. ad Marcell. T. 4. P. 2. p. 61. Si mitius: „*quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? sicubi tibi in translatione errare videor, interroga hebraeos, diversarum urbium magistros consule: quod illi habent de Christo, tui codices non habent b).*" Aut etiam: „*pudet me contentionis nostrorum, qui hebraicam arguunt veritatem. Judaei contra se legunt, et quid pro se sit, nescit Ecclesia c)*: Cogita, mi Comes, *quid pro se sit, nescit ecclesia!* Ergone suae ignara est disciplinae, quam tu jure tuo, hebraeae linguae constituisti magistram *d*). Quis *Neotericorum* sic locutus est? E nostro illum genere putes haeretico atque incredulo, nisi album teneret sanctorum.

Prorsus ergo verum est, quod dixit *praestantissimus Sandbichlerus*: Hermeneuticae S. non alias esse leges, ac ne posse quidem esse, quam quae in quocunque vetusto libro intelligendo et explicando adhibentur. Vid. supra §. 53. sub * et 54. Quaecunque enim de *Hieronymo* audivisti hactenus, ita universalia sunt, ut non Judaeis modo et Christianis, sed Turcis etiam atque Gentilibus probentur, debeantque probari; quoniam variet licet lingua, argumentum, media atque praesidia, non tamen variare possunt principia atque judicia, seu S. Scripturam, seu Ciceronem, seu Coranum interpreteris. Ubique enim opus est, Critica, Philologia, Archaeologia, Hermeneutica naturali aut systematica, quae vocibus atque sententiis in se ambiguis, e contextu, e parallelis, substrata materia aliisque adjunctis, determinatum illum adjungat sensum atque conceptum, quem scriptor in mente habuit et communicare voluit cum aliis. Si enim haec non sufficiunt sensui cuiuscunque auctoris eruendo, ocyus valere jube omnem eruditionem sacram atque profanam, omnem humanum abjice sermonem, quia alia media, seu veteres seu coaevos loquentes aut scribentes intelligendi, ne fingi quidem possunt. Non enim haec arbitraria commenta sunt, sed judicia naturae.

---

b) advers. Ruf. Libr. 2. Tom. 4. Part. 2. pag. 423. et Praef. ad Pentat. *c*) Comment. in Jerem. Libr. 3. Cap. 17. Tom. 3. p. 608. *d*) Pag. 111.

Jam liceat ex te quaerere, anne in apicibus, in literis, an in sono lateat haeresis aut crimen, dum *Neoterici* docent: *in Hermenia ad auctoritatem ecclesiae provocari non posse*? Dic amabo te, ubinam ecclesia super his objectis institutiones tradidit olim, aut tradit in praesentia? Annon vides, in loco paulo ante allato, in hebraica veritate, in qua tu ecclesiam constituis magistram *e*), ab Hieronymo judaeos opponi ecclesiae, qui sciant, quod ipsa nescit? An oblitus es, ipsum adeo codicem, unde versio nova profluxit, recutiti simulatione pervenisse ad Hieronymum? §. 56. Miror vehementer, mi Comes, Romanus qui sis, te operam dare, ut e divinae auctoritatis culmine, ad humana praesidia, ad Criticam, ad Grammaticam et Hermeneuticam deprimas ecclesiam, litibusque involvas interminatis.

Sed te, mi Comes, in ruborem dant protestantes trium prope seculorum usu et experientia, qui hoc litium fomite sapienter abjecto, etsi contra reformationis originem atque naturam, inductis symbolicis libris, non grammatica, nec repetita identidem docta indagine, sed immota auctoritate niti atque consistere voluerunt fidem suam: ut nemini, si vel doctissime id fieret, latum unguem ab ea norma recedere liceret impune. Atque hoc unicum fuit medium, quo unitas in doctrina retenta est. Vos autem, mi Comes, (consentit enim et Magister et Commilito tuus) fomitem illum prudenter projectum, hodie sedulo colligitis, ut inferatis ecclesiae; pioque studio (nisi et istoc aemulatione *Jahnii*) matronam intemerato octodecim seculorum flore renidentem, vultu habituque decoram, ornare paratis, panniculis obsoletis! Si quid video, mi Comes, inter vos et *Neotericos* id interest, quod quaestiones scholae soliusque eruditionis, ne intellectas quidem fide credatis coeca, velut totidem dogmata: *Neoterici* e contra haec tamquam aliena a fide, animo indagent libero, exornent, confirment, inque fidei adhibeant praesidium contra adversarios; quod vos, qui sola ubique nitimini ecclesia infallibili, sine perpetua petitione principii facere non potestis. conf. §. 18, 24, 28.

---

e) ibid.

§. 69.

Sed jam, mi Comes, te metu dissolvam, omnique cura liberabo, ne *Hieronymus* juxta cum *Notericis*, Naturalista aut Rationalista sit. Tu ergo bene purgatis auribus etiam oculos intende.

Solus *usus loquendi*, profanis intelligendis unicum medium, in sacris scripturis non sufficit. Priorum enim argumentum experientiae et rationis ambitu continetur. Vir igitur ab linguae cognitione et necessariis disciplinis rite comparatus, etiam legitimus eorum interpres est, ut obvia docet experientia. At longe sublimius argumentum est scripturarum, quae institutionem continent de Deo, de fine hominis, mediisque eum assequendi. Traduntur ergo res futurae, quae suapte obscurae sunt; occurrunt spiritalia, coelestia, atque divina, quae quoniam ultra limites rationis sunt posita, ab libera quippe Dei voluntate pendentia, neque experientiae in iis locus est: non etiam perspicue cognosci, aut ullo humano sermone sic possunt doceri, ut vel doctissimus de iis sine periculo erroris statuat, ut inde a primordio, tam variae, mutuoque repugnantes, ex iisdem libris deductae Christianorum theoriae palam ostendunt.

Sume exemplum, mi Comes, ex argumento prophetico, ut intelligas quantam obscuritatem pariat vel solus defectus experientiae. Isajiae 42. de dilecto quodam Dei servo sermo est, quem Christiani hactenus magno consensu Messiam esse putaverunt. Et certe, tam perspicui sunt characteres servi illius, ut si vel maxime a Matthaeo praescindas *a*), jure possis in Jesum ea dicta conferre. At alia fuit ante salvatoris adventum istorum conditio. Quomodo enim ejus aetatis homines intelligerent, unius servi dilecti opera gentibus veri Dei cognitionem inferendam esse? Minime ergo culpo LXX. interpretes, qui neutiquam mali, imo docto errore, ecclesiae Graecae usque in praesens hanc prophetiam praeripuerunt, dum servum illum ductu capitis 43 et 44. de populo suo interpretati sunt. Videas ergo quas tenebras solus defectus experientiae dictis inducat, quae spectato objecto neutiquam mysterium docent, ut post even-

a) 12, 18.

tum conspicimus. Quot sunt autem id genus in novo foedere, in quibus verba sonamus, rem non intelligimus.

Quin si voles, historicum exemplum accipe. Legimus apud Petrum de quadam Christi praedicatione apud inferos *b*); de qua tam varia sunt etiam doctissimorum judicia, ut etiam cum omnes legeris dicere possis: fecistis probe, jam minus intelligo ac ante. Quid autem dicas de iis, quae proprie mysteria vocamus, et quae Christianae religionis naturam constituunt, dantque propriam formam ab omnibus aliis institutis multum diversam? Fatendum est, mi Comes, simile aliquid in his obtinere, quod de se Paulus ait; *audivit arcana verba, quae non licet homini loqui c*)." Puto dicere voluisse apostolum, expertum se esse talia, quae humanus sermo non explicat; quae nemini dantur effari *d*) Quid mirum? Animae commercium cum corpore sentimus, nec tamen pervidemus aut explicamus. Equidem ubi usus ipse rem docet, toleranda iactura est uberioris scientiae. Sed quot sunt veritates gravissimae, primo obtutu perspicue expressae, quin et consensu firmaque fide totius antiquitatis retentae, atque traditae, quas si intelligere voles, non latum digitum procedes?

Non tibi commemorabo trinitatis arcana, non duarum naturarum conjunctionem in unam personam, et id genus magis recondita; sed quae simplicissima videntur proferam. Dic, mi Comes, quid est, quod in symbolo profiteris: *Pater aeternus et Filius aeternus?* Sume humanum sermonem ex humanis legibus, (qui enim aliter possis?) et utriusque praedicatum *aeternus* exclusisti. Quia tamen verum debet esse et praedicatum, ferente id etiam usu loquendi, et postulante totius antiquitatis fide, haerebis denuo in voce *Pater et Filius*, quae aeternitatem ipsa sua notione excludunt. Hinc videas doctissimum *Ernestum e*) sollicite laborare in horum propria significatione asserenda. Ego vero, mi Comes, quid hinc commodi sit non video: quo enim haec pressius sumseris, eo

---

b) I. 3, 19. 20. *c*) 2 Corinth. 12, 1 — 4. *d*) Vid. I. Ch. Volfii Cur. Philol. et Crit. h. l et Jo. Ch. Bieli nov. Thes. Phil. sub *Ρημα*. *e*) Inst. Interpr. N. F. P. 1. Sect. 2. c. 4. §. 12. 13. pag. 106.

minus intelliges praedicati et subjecti consensum. Undique tenebrae, undique caligo, non modo ex imbecillitate nostra ad intelligendum, sed etiam ex imperfectione humani sermonis, aeternis divinisque perspicue exprimendis nec apti nec facti.

§. 70.

Vides ergo, mi Comes, si de scripturarum argumento unice ex usu loquendi statuendum foret, hanc ipsam objectorum sublimitatem, humanique sermonis imperfectionem; multiplicem ingeniorum, culturae, inque adhibendis praesidiis laboris et contentionis varietatem; affectuum praejudiciorumque vim tantam, ut saepe in apertis etiam caecutiamus; haec, inquam, natura sua ita comparata esse, ut tuto statuas, moraliter impossibile esse, ut vel doctissimi qualecunque positivae Religionis systema sine distincta ab ipsis scripturis auctoritate unanimiter approbent, prout id tot seculorum exempla, et tristis experientia docet hoc tempore nostro. Multa equidem, mi Comes, de humanae naturae dignitate atque praestantia praeclara et laudabilia dici possunt ex vero; nec tamen illud negari, comparatum esse natura, quo quisque cultior est, avidius expetere *scientiam*, alieniore a *fide* animo: eoque ubi positiva, et menti impervia se offerunt, tentari primum, si qua ratione deduci queant ad tribunal rationis; si minus, penitus abdicari. Unde non miror, ab acutissimae mentis *Bossueto* praedictum dudum, si reformationis prima retinerentur principia, futurum esse, ut ipsa tandem repudietur revelatio *a*).

Ut enim religio positiva sine diviniore magisterio existere non potuit, ita sine pari auctoritate nec potest persistere. Quidquid enim de scripturarum certitudine amplissime praedicetur, interpres tamen nisi humanis praesidiis uti non potest, retinetque mediorum naturam, quidquid vel summo ingenio atque labore inde fuerit deductum. Suus cuique partus esse quidem potest certissimus; ut vero et aliis sit, effici non potest, quoniam et hic obtinet: tam hominem se putat qui audit, ac qui docet. Quid quod nova

---

a) Histoire des Variat. Tom. 1. Livr. V. §. XXX. pag. 211.

praesidia, continuata exercitatio, annuusque profectus, nova vel in ipsa religione pariant judicia, et tot virorum etiam qui moderatius senserunt, constat exemplis. Non demum in rebus futuris, nullius experientia cognitis, cum perenni tamen fortuna nostra intime junctis, ulla esse potest humana auctoritas, cui sine fluctuatione aquiescat animus, qui vitae praesentis modum, sortemque incertam futurae serio apud se expenderit. Graphice hanc fluctuationem ex ipsa principiorum natura manantem, expressit ipse Protestans *Fr. Köppenius b)* suaque experientia post alios doctus est *G. Lessius c)*.

---

b) Loquens de Comitis F. L. *Stolberg* conversione, post alia ait: *Ungewöhnlicher Kraft bedarf es, seines eigenen Glaubens zu leben und zu sterben. Wer dazu keinen Muth besitzt, findet am Protestantismus wenig Stütze. Nun ist es freilich dem Protestanten unverwehrt, aus der Schrift seine Glaubenslehre sich zu entwickeln, ja auch an dem Buchstaben der Schrift fest und unerschütterlich zu halten, wie der Pietismus thut. Aber die Gelehrsamkeit und überlegende Betrachtung stören den Gläubigen; jede Einsicht, die er gewinnt, führt ihn in neue Verwickelungen; die Mannigfaltigkeit der Auslegungen und der dabei befolgten Grundsätze zeigt ihm ein Labyrinth ohne Wegweisung: wie soll er sich retten in diesem Gedränge, wie soll er bekennen und erkennen, da es doch eine unerschütterliche Wahrheit geben muss? Selbst entscheiden? Das wäre zu kühn bei der Möglichkeit des Irrthums! Entscheiden lassen durch Andere? Sie sind ja insgesammt Menschen und mangeln der höheren Erleuchtung!*

Da sehnt sich der Gestörte, Geängstigte nach unwandelbarer Satzung; ihm genügt nicht die Schrift, nicht trefflicher Männer Ueberzeugung, nicht sein eignes Herz. Um die feste Satzung zu gewinnen, wirft er sich dem Katholicismus in die Arme. In diesem ist eine äussere Autorität des Glaubens, höher als die Vernunft, und die Vernunft ruht aus im Schatsen derselben. Philosophie des Christenthums. I. Theil. p. 172. 173.

c) Doctus hic vir, in Praef. Dogm. 781. pag. VIII. super quorumdam suorum licentia, qui trinitatem,

§. 71.

Si jam, mi Comes, usus loquendi non sufficit, unde ergo opem requires? Vide, quem statuit ordinem divinus magister. Institutum suum propagandum commisit discipulis suo pariter spiritu animatis, hi vero successoribus, velut depositariis doctrinae suae. Coetum hunc patere voluit universis, non loco, non tempore restringendum; inductaque simul docendi regendique potestate, etiam amplissimo promisso muneratus est, fore, ut nulla unquam vis hostilis ei praevaleat, quin traditam a se doctrinam in omni plenitudine et integritate ad consummationem usque immote retineat. Vides igitur societatis huius doctores atque rectores centro communi junctos, una constitutos esse depositarios doctrinae: eoque jure suo, infallibilem magistram semper se credidit ecclesia, quia nec aliter poterat, nisi cum injuria divini auctoris, depositarium se existimet incurium aut perfidum.

Habes ergo cynosuram, quae a pernicioso quovis errore praeservet, quoniam repugnantem ei doctrinae sensum asserere non potes, nisi tecum ipso pugnans: aliud docuisse statuas viva voce apostolos, aliud literis signasse, quod catholicis auribus execrabile. Praesto est ergo auctoritas, cui tuto te committas, ubi ratio fluctuat: cui tuto credas, ubi scire nihil possis: paucis, ubi humanae desinit limes scientiae, lucidior conterminat fides divinis innixa promissis.

Atque haec, mi Comes, diuinior auctoritas, et dignitas eminens societatis, sola tibi explicare potest octodecim seculorum experientiam, qua inter innumeras, saepe monstrosas religionis Christianae theorias, ea unice firma, sibique in doctrina semper aequalis, in praesens superest, quae cum divinitus pariter instituto centro unitatis conjungitur. In externa certe potentia, aut quavis prudentia civili, tanti

---

redemtionem, inspirationem ad scholarum pulveres amandassent, ingemuit: at quatuor annis tardius, et ipse universam religionis positivam partem ita suspectam dubiamque habuit, ut quod gravis ingeniique viri est, ab tradenda dogmatica aliquot annis abstineret, ne indigna simulatione traderet aliis, quod ipse non credidisset. *Ueber Religion, ihre Geschichte* — Tom. 2. praefatione editionis 5. pag. XVIII.

phaenomeni causas frustra requires. Unde et summus historiographus Helveta, a nostris licet sacris alienus, in *Itineribus Pontificum* de ecclesiae Primate scripsit: „*Haeres potestatis, in cuius conspectu per septemdecim secula, ab Julio Caesare usque ad praesentem Habsburgicam domum, multae nationes inclytae, cum omnibus suis heroïbus praeteriere! Atque hoc est Pontifex a*)."

Magna, mi Comes, huic ordini inest sapientia. Salva enim sunt non in disciplinis modo profanis, sed in ipsa etiam religione atque scripturis jura rationis: nec nisi ubi humana deficit imbecillitas, divinum intervenit magisterium, modo non indecoro rationi; cum nihil magis sit rationabile, quam supremae divinaeque cedere rationi, quae jam nunc quaedam nobis summo commodo nostro manifestare voluit, quorum experientia servata est vitae futurae. In his, mi Comes, „*recta confessio est ignoratio scientiae*, ut ajebat Hieronymus *b*). Unde non miror, si firmum hunc catholici systematis nexum vel ipse approbat *Köppenius c*), etsi non eandem nobiscum profitetur fidem.

Nunc jam etiam datum supra promissum exsolvam, ut intelligas, mi Comes, *Hieronymum*, etsi *usum loquendi* summo habuit loco, et ab *Hermenia* pariter exclusit ecclesiam, tamen ut quemque alium intemerate fuisse Catholicum, ideo unice, quod ecclesiae doctrinam sincere et studiose complexus, interpretando eidem adversari nefas esse duxerit. Ille igitur scribens adversus *Jovinianum*, quoniam apud quosdam Romae offendit, in apologia super hac re conscripta ait: „*Ex quibus nuiversis perspicuum est, me nihil novi de virginibus nuptiisque dixisse: sed majorum in omnibus secutum esse sententiam, qui de ecclesiasticis dogmatibus disputarunt. Quorum aemulari exopto negligentiam potius, quam aliorum obscuram*

---

a) In fine opusc. in Fragm. Epist. super Quaest.: quid est Papa? *b*) Praef. in Libr. XVIII. Comment. in Isaj. Tom. 3. pag. 478. *c*) *Für die Einheit des Buchstabens und feste Ausscheidung der Lehrverschiedenheiten sorgt der Katholicismus durch die Annahme der Tradition und Unfehlbarkeit der Kirche. Dass gewisse Ausleguungsarten der heiligen Urkunden nebst*

diligentiam d)." Fundamentum autem dissertationis erat Matthaei caput XIX. et 1 ad Cor. VII *e*). In quibus, ut vides, ita versatus est, ut quamvis textum vulgatae, tamquam alienum ab *apostolica veri-*

---

gewissen Formen der Lehre in den ersten Jahrhunderten herrschend wurden, ist sehr natürlich, sie konnten von den Aposteln selbst herstammen und von den Zeitgenossen derselben auf die späteren Christen fortgepflanzt seyn, so dass der Kirchenvater Irenäus nicht mit Unrecht in dieser überlieferten Lehre die Predigt und Regel der Wahrheit erkannte. Warum wäre eine mündliche Ueberlieferung nicht eben so belehrend und erweckend, als eine geschriebene? Stützt sich doch das ganze Christenthum ursprünglich auf die mündlichen Vorträge Jesu, welche von seinen Jüngern wieder mündlich mitgetheilt wurden, aus welcher mündlichen Mittheilung erst hernach durch verschiedene Anlässe eine schriftliche erwuchs! Und warum darf nicht bei dem Vorhandenseyn der apostolischen Schriften eine Kirchentradition als zweite Quelle der Erkenntniss gebraucht werden, wenn etwa in der ersten noch nicht genug Entscheidung vorhanden ist?

Erwägend ferner die Wandelbarkeit menschlicher Gesinnungen, die Fehlgriffe eines irregeleiteten Nachdenkens, die Leidenschaften einzelner Männer, Secten, und ihren Einfluss; so muss eine Autorität, welche die wahre Bedeutung und Auslegung des göttlichen Wortes aufrecht erhält, für die Erleuchtung der Erwählten sehr wünschenswerth scheinen. Christus und seine Apostel waren eine solche Autorität für ihr Zeitalter; sollte sie hernach ganz gefehlt haben, da sie aus vielen Rücksichten immer nothwendiger und unentbehrlicher wurde? Man braucht also nur das Lehramt der christlichen Kirche, so wie es den Platz der apostolischen Predigt einnahm, auch als Erben jener Autorität anzusehen, und dem Bedürfniss ist abgeholfen. Selbst der protestantischen Kirche, meint Storr, komme es zu, für die Erhaltung der Lehre Christi zu wachen und Irrlehrer ihres Amtes zu entsetzen. Philosophie des Christenthums. II. Theil. S. 94. 95. *d*) Epist. XXX. Tom. 4. Part. 2. pag. 238. *e*) Libr. 1, Tom. 4. P. 2. p. 147—158.

tate seponat et graecum sequatur *f*), tamen praeter usum loquendi pro norma habuerit majorum doctrinam. Sed in re aperta haud pluribus opus: si tamen voles, consule epistolam XIV ad Damasum initio *g*). Item adversus *Luciferianos* in fine *h*). Epist. XLI ad Pam. et Ocean. *i*). Adversus *Rufinum* Libr. II. *k*) et Libr. III. *l*). In quibus postremis locis videas, ut ille *Origenis*, *Apollinarii*, aliorumque, quantum miratur eruditionem, tantum detestatur errores in interpretando. Nullo ergo pacto *Neotericos* ob principium *usus loquendi*, et sepositam in *Hermenia ecclesiam*, *Rationalistas* facere potestis, nisi prius *Naturalistam* effeceritis Hieronymum.

§. 72.

De Jahnio et Magistro.

Nunc jam inquiram, quid de ecclesia statuat *Jahnius*, cum vos, mi Comes, eum de illa penitus repudiata arguatis. Ubi ergo de *analogia fidei* locutus est, summa scilicet atque compage dogmatum uti in scripturis traditur, sic porro continuat: „*id vero haud quaquam universim ita intelligi velim, ut omnis analogia doctrinae his limitibus concludatur. Quemadmodum enim discipuli primi quorumcunque antiquorum doctorum, ab his ipsis oretenus multo adcuratius edocti, libros quoque ipsorum, et facilius et melius omnibus aliis subsequentibus intellexerunt, atque si doctrinae magistrorum suorum fideles erant custodes, et rectius et adcuratius exponere poterant: ita quoque immediati et mediati discipuli apostolorum, et doctores primitivae ecclesiae, sensum locorum s. scripturae, quibus doctrinae sublimiores proponuntur, ex ore apostolorum et primorum discipulorum penitus hauserunt, et altius penetrarunt.*

Qui forte dixerit, hoc nihil esse aliud, quam scripturam ad dogmata ecclesiastica et theologica adcommodare, videtur non intelligere, quod diximus; nam longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae catholicae, de qua, ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit,

---

f) ibid. p. 157. *g*) Tom. 4. P. 2. pag. 19 *h*) ibid. p. 306. *i*) p. 345. *k*) ibid. p. 433. *l*) ibid. p. 463.

provocemus, sed testimonium duntaxat antiquissimorum ecclesiae doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus; quid enim? si loca profanorum antiquorum scriptorum et thalmudicorum ad comprobandum sensum N. F. admittuntur, cur non valeant loca scriptorum ecclesiasticorum eiusdem aut antiquioris aetatis, qui doctrinam immediate vel mediante una alterave generatione ab apostolis acceperunt? Huic principio quid opponi possit, non video; imo reperi Clericum, celeberrimum Bibliorum ecclesiae reformatae interpretem, consentire; et alii Protestantes doctrinam primae ecclesiae diligenter investigare minime negligunt a)."

Idem et alibi invenies. Ubi enim de usu loquendi disseruit, subjungit: „*Haec, quae modo diximus, non repugnant concilio Tridentino, quod sess. IV., fatente ipso Cardinali Palavicinio, nequaquam edicit, ex quibus fontibus hauriendus sit sensus scripturae s., aut ad quas regulas ipsius interpretatio exigenda sit, sed duntaxat sancit, qua ratione s. scriptura non sit explicanda, seu cavet, ne interpres committat, quod ex natura rei nullo non tempore perversum et illicitum fuit, ne scilicet interpres sacram scripturam ad suas praejudicatas opiniones violenter contorqueat, et doctrinam fidei et morum extundat, quae doctrinae ecclesiae, aut unanimi patrum in doctrina fidei et morum consensui repugnet b)*;" quibus junges, quae in introductione leguntur: „*Praecipuum vero est, quod interpres prohibeatur contorquere scripturam ad suos sensus in rebus fidei et morum ad aedificationem ecclesiae pertinentium, quae verba, ut Cardinalis Palavicini Hist. Conc. Trid.* L. *IV.* C. 18. *testatur, non modo ad verba: contra eum sensum, quem tenuit et tenet mater ecclesia, sed etiam ad illa: contra unanimem consensum patrum pertinent, ut hac concilii lege duntaxat cautum sit, ne quis suae arroganti perspicaciae innixus, sacram scripturam in rebus fidei et morum contra sensum ecclesiae aut unanimem patrum consensum ad sua praejudicia trahat repugnantem, quod iam Hieronymus reprobavit, et nullo non tempore ex natura rei nefas fuit. Adeoque concilium duntaxat edicit, qua ratione scriptura in rebus fidei et morum explicanda non sit,*

---

a) Enchirid. §. 32. pagina 98 — 100. b) ibid. §. 13. pag. 41.

nequaquam vero praecipit, qua ratione, aut e quibus principiis explicanda sit; paucis, decretum concilii est mere negativum, non positivum c)."

§. 73.

Estis ergo, mi Comes, manifeste iniurii in *Jahnium*, tamquam contemtorem ecclesiae, qui contrarium iterato et perspicue doceat. Sed video, quid vos offendat. Ait nempe, *longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae catholicae, de qua, ubi Hermeneuticam tractamus sermo esse nequit, provocemus a)*." Jam ergo quam vere, quam innocue dictum sit, vobis demonstrabo, tametsi pudet atque etiam piget, tam perdoctis viris edisscrere quae de trivio sunt. Tibi, mi Comes, in praesenti id datum volo honoris, ut credam, *Hermeneuticae* definitionem te rite tenere. De *commilitone* anceps haereo, quia nullo adhuc iudicio ostendit, primis labiis se hanc degustasse disciplinam: de *Magistro* persuasum est, eum, ut alia prima elementa, in praesens ignorare. Neque enim in novem Institutionum tomis ullam huius disciplinae definitionem invenio; inscriptio autem eorum voluminum; „*Institutiones Hermeneuticae* confusam ideam manifeste indicat. Quis enim, mi Comes, qui rem intelligat, et systematice tractare norit, quod nunquam magis quam hoc tempore servandum fuit, *archaeologiam*, *introductionem*, ipsamque *exegesim*, disciplinas et fontibus et tractandi ratione multum dispares, communi *Hermeneutices* nomine complexus est? Cur non et commentariis *Hermeneuticae* nomen tribuitis? aut sine risu dicere potestis, *Calmetum*, *Cornelium* etc. in Tomis decem et amplius, quod aiunt, in Folio, *Hermeneuticam* scripsisse in scripturas universas? Qui festucam in aliorum oculis quaeritis, cur trabem in vestris non videtis? Confer infra §, 83.

§. 74.

Dixi, mi Comes, in his ducem mihi fore *praestantissimum Sandbichlerum*, vestro judicio eruditum

---

c) Introd. Vet. Foed. Ed. I. P. 1. §. 91. No. IV. pag. 124, et 125.

a) Enchirid. §. 32. pag. 98.

et intemerata fide §. 53. 54. Ait autem ille, Hermeneuticam biblicam esse systema regularum rite intelligendi scripturas *a*). De ipsis autem regulis ait: *hae non aliae sunt, nec aliae esse possunt, quam quae in quocumque libro vetusto intelligendo et explicando adhibentur b*). Quid vultis? an ad *Platonem* aut *Ciceronem* interpretandum ecclesia adhibetur? Qui ergo *Sandbichlerum* elegeritis, huius vobis velitis nolitis auctoritas ferenda est. Sed quod mireris, mi Comes, in hanc haeresim ipse quoque conspirat Magister tuus. „*In hae autem, inquit, sensus investigatione fere eaedem observationes sunt, quae in alio scriptorum genere, si quidem usitato mori loquendi, uti jam supra declaratum est, ipsa etiam conformata sit scriptura, Nec fere aliud hic opus est, quam communium observationum disserendi, verbaque aliorum intelligendi huc ad scripturam s. applicatio c*)." Quanto prudentior Magister Commilitone tuo, cui nihil clarescit, nisi ex ecclesiae et unanimi consensu patrum! supra §. 41 — 43.

Magister, mi Comes, agnoscit *usum loquendi* tamquam normam omnis interpretationis, sacrorum non minus ac profanorum scriptorum: quia tamen non plene eadem utrinque sunt omnia, caute et provide sacrorum interpretationem restringit „*fere eaedem*" et „*nec fere aliud.*" Quod quid sit in consequentibus explicat *d*), nempe repudiandum esse omnem sensum, qui in rebus fidei et morum sensui ecclesiae aut consensui patrum repugnet; quem in finem addit Tridentinum decretum e sess. IV, de interpretandis scripturis. Quantopere id probem, intelliges ex dictis sub finem §. 48.

Plus etiam, mi Comes: refert enim et notissimum locum Cardinalis Cajetani in praefat. in Pentat. qui sic sonat: „*Si quando occurrerit novus sensus textui consonus, nec a scriptura s. nec ab ecclesiae doctrina dissonus, quamvis a torrente sacrorum doctorum alienus, aequos se praebeant censores: meminerint jus suum cuique. Solis scripturae s. auctoribus reservata est haec auctoritas, ut ideo sic credamus esse, quia*

---

a) *Darstellung der Regeln* — §. 4. pag. 6. *b*) ibid., *c*) Instt. Herm. Ed. 1. Tom. 1. Cap. XIX. pag. 206. Coll. 156. *d*) ibid. Cap. XXI. p. 224 — 231.

ipsi ita scripserunt. Alios autem inquit Augustinus ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo credam sic esse, quia ipsi ita scripserunt. Itaque non detestetur novum scripturae sensum ex hoc, quod dissonat a priscis doctoribus: sed scrutetur perspicacius textum, ac contextum scripturae, et si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem scripturarum sacrarum priscis doctoribus, sed scripturae integrae sub catholicae ecclesiae censura: alioqui spes nobis et posteris tolleretur exponendi scripturam s. nisi transferendo, ut ajunt, de libro in quinternum."

§. 75.

Hanc *Cajetani* Cardinalis sententiam, post judicium tam sanum, quod praemiserat, improbare non potuit Magister tuus. Si enim *nec fere aliud* in sacris interpretandis obtinet ac in profanis: si sacer interpres ultra quoslibet alios nihil, quod observet, habet, quam Tridentinum decretum: *Cajetanus* autem pariter improbet sensum ab *ecclesiae doctrina dissonum*, et omnem in rebus fidei interpretationem subjiciat *ecclesiae censurae*; facile intelliges, mi Comes, *Cajetanum* etsi ante concilium defunctum, nil aliud hic docuisse, quam quod paulo post synodus Trid. decrevit: eoque laudo Magistrum tuum, cum negat huius viri exemplo, *adversus sanctorum patrum ductum* interpretari licere; etsi *Monspergerus*, contra quem id notat, ab hac mente pariter alienus est.

Poterat, mi Comes, Magister tuus suis pro *Cajetano* vindiciis magnam etiam e consensu *Pallavicini* auctoritatem quaerere, qui Dominicanum licet, ab suorum parum aequis impetitionibus asseruit. Praeter *Ambrosium* enim *Catharinum*, qui *Invectivarum* libros scripsit *a*), calamum in *Cajetanum* ob superiorem sententiam acuit *Melchior Canus* Canariensis episcopus, ejus quondam auditor. Putabat enim, a suo Magistro, nulla Patrum habita ratione, susque deque interpretandi licentiam cuique dari: quo nihil ab ipsa litera sententiae, nihil a mente *Cajetani* alienius fuit. Audi *Pallavicinum* non ignarum seu *Cajetani*, seu Trid. patrum sententiae. „*Prohibet quidem, ait,*

a) Sixti Sen. Biblioth. Libr. IV. pag. 486. Edit. Neapol. 742. per Thom. Milante, Bened. XIV. dedicat.

Concilium, ne SS. Literis aptetur interpretatio repugnans unanimi SS. PP. sententiae, idque in rebus tum fidei tum morum: at Cajetanus, utut rem Canus intelligat, de his minime loquitur, neque unquam declarat, fas esse adversus communes SS. PP. sententias obviam ire; sed fas esse, depromere scripturae expositionem prorsus novam, et ab omnibus eorum expositionibus diversam b)."

Vide, mi Comes, quam cautum esse oporteat in rebus minus familiaribus. *Canum* doctissimum virum esse in theologicis non diffiteberis, ejusque de *locis theologicis* opus *aureum* merito vocat Pallavicinius: at vide ejus tractationem Libro VII. Cap. III. Concl. V. et subsequa, quae *Cajetano* copiose opposuit; quam aliena sunt omnia a proposito? quam nihil ferit *Cajetanum*, quod attulit? Sed magis miror prolapsionem postremi editoris, qui in nota eandem cantilenam *Cajetano* occinit, quem *Pallavicinus* tam aperte exemit omni suspicione erroris. Quid ergo a te tuoque commilitone exspectem, nisi ut perpetuis lapsibus gressus vestros signetis?

§. 76.

Addam et hoc: Magister tuus, mi Comes, sensum indagat et promit, quin ullatenus huic negotio interveniat ecclesia aut patres, ut jam e §. priore et 26, et subsequis magis intelliges. Ubi enim praemisit *a*), quid observandum veniat ante interpretationem, quid in ipso actu, quid demum eruto jam sensu: de postrema hac functione sic loquitur *b*): „*Hactenus explicatum est, quomodo investigandus sit sensus. — Hic ergo jam restat illud, quod in interpretatione positum est tertio loco de exploratione, num sensus quem adprehendit interpres, sit omnino verus illius loci sensus. Huc vero eidem interpreti adhibenda est analogia fidei.*" Sed ut vides, mi Comes, *analogia fidei*, principium negativum est, ostendens quis sensus esse nequeat, non autem quis verus cuiusque loci sit; secus enim quisque qui doctrinam Christianam teneat, foret perfectus interpres.

---

b) Hist. Conc. Trid. Libr. 6. Cap. 18. §. 2. pag. 246.

a) Instt. Herm. Ed. 2. Tom. 3. Cap. 2. §. 10—15. *b*) ibid. §. 16.

Sed hunc errorem proximo §. is ipse emendat, et sic continuat: „*Huc ergo adhuc quidpiam requiritur, quod interpretem certum faciat de vero scripturae sensu. Quid igitur istud est? — Nobis catholicis, si Catholici volumus esse, hoc debet esse, quod sancitum per concilium Tridentinum est sess. IV. cuius haec sunt verba: ad coercenda petulantia ingenia* etc. *c*)," e quibus suum supremum principium deduxit §. supra 28.

Nunc ego, mi Comes, ingenium tuum, et fidem, et profundiorem logices cognitionem tuam appello, an hoc Trid. decretum, quo vetitum est interpreti: *contra* (*contra* inquam, quod firmiter teneas velim), sensum ecclesiae, aut *contra* unanimem consensum patrum, interpretari scripturas; an, inquam, decretum hoc pilo distet ab *analogia fidei*? Annon et haec et illud principia sint unice *negativa*, e quibus intelligas quidem, quis sensus falsus et perniciosus sit, at non aeque: quaenam media aut praesidia adhibenda sint, ut verum eruas? quaero, annon Magister tuus, dum *analogiam fidei*, quoniam *negativum* principium sit, tamquam insufficiens seposuit, et hoc Trid. tamquam *positivum* induxit, glaucoma tuis paret inducere oculis? Quid enim obsecro est *analogia fidei*, quam summa dogmatum scripturis et traditione contenta? Quid vero *sensus ecclesiae*, et *unanimis consensus patrum* in Trid. decreto, nisi fides, quam profitetur ecclesia et unanimes patres?

Si ergo *analogia fidei* tamquam principium *negativum*, eoque insufficiens, jure suo, ipsaque necessitate seposuit, dum scribit: „*analogiam fidei dare interpreti lucem ad videndum, quis sensus esse non possit, non autem etiam semper* *), *quis certo in loco scripturae sit reapse sensus; sua sponte potest intelligi d*)." Obsecro, mi Comes, quo logices mysterio, idem hoc principium, nomine solum mutato, sub velamine Tridentini decreti tamquam *positivum* induxit, ipsis palam repugnantibus verbis decreti? Sed de his post plura.

---

c) ibid. §. 17. *d*) ibid.

* Dum dicitur per *analogiam fidei* non *semper* agnosci quis reapse sit sensus, adverbium *semper* superflue est additum. Principium enim *negativum*, per se et directe nunquam verum loci sensum ostendit.

§. 77.

Ut igitur vides, mi Comes, Magister tuus sensum ut quisque alter eruit juxta consuetas, omnibusque libris communes Hermeniae leges; sed hunc, ne forte adversus fidem offendat, cum *analogia doctrinae* comparat, et pro varia ejus indole jam retinet jam rejicit. Ecclesia igitur aut unanimes patres, in *eruendo sensu*, nec apud illum ullatenus interveniunt, sed unice, in *eruti jam sensus indole aestimanda*, ne qua ratione perniciosus sit. Neque enim alia ratione id fieri potest, ut tibi jam supra §. 28. Nro. 2. et §. 30. Nro. 5. paucis ostendi, utque uno alterove adhuc exemplo tibi declarabo. Millies jam forte legisti Psalmo 1. „*Non resurgent impii in judicio*" etc. nec poteras non advertere pugnam cum Matth. 25. Velis jam nunc scire, mi Comes, quid priori loco sit, quorsum te convertes? Magistro tuo, qui pro summo principio ecclesiam statuit et unanimes patres, ut inde *positive* verum sensum cognoscas *a*), obsequi non poteris, quia nec dispersa nec congregata tibi ad nutum patebit ecclesia: sed etiam scire quid in generalibus Conciliis, aut in patribus de hoc loco occurrat, et patientiam et vires superabit. Eorum enim, qui commentaria in Psalmos non reliquerunt, debebis ordine evolvere opera, ut videas an hanc sententiam non exposuerint locis aliis, utque intelligas, quid singuli senserint? ac demum, an sensum opinantium more, vel decreta sententia statuant? Vid. §. 104.

Itaque velis nolis, idem hic facies quod in profanis, erutoque originalis auctoris usu loquendi, invenies hic sermonem non esse seu de resurrectione, seu de extremo judicio, sed de fluxa conditione impiorum in hac vita; cum justorum e contra firma sit felicitas numinis favore, ut totus contextus te docere poterit. Alterum e novo foedere accipe. Legis Matth. 28, 19. dictum Apostolis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*" etc. Hinc vero tam prona sequela est, ac imber dum pluit: baptizari non posse infantes, quoniam incapaces sint praeviae institutionis. Vicerint ergo *Anabaptistae*, quibus milleni tacite consenserunt Protestantes, quorum super hoc loco con-

---

a) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 3. §. 17. pag. 22.

scientiae angores, tua etiam compassione dignissimos legere poteritis apud Joh. Dav. *Michaelis b*). Erroneum id esse non dubium est: sed medela non alia iterum ac in priori exemplo; declarando nempe usum loquendi, qui tibi ostendet ibi sermonem esse de ritu initiandi per baptismum; quo facto, si rite intelligas, argumentum praebebit hic locus pro tingendis parvulis; tantum abest, ut repugnet. Magister tuus sapienter id tacitus praeterit, etsi in solum Matthaeum 621 paginas implevit. Dicta hactenus tuo etiam conveniunt Commilitoni, cui sine ecclesia et unanimibus patribus nihil clarescit. Confer. §. supra 41 — 43.

§. 78.

Ex his videre potes, mi Comes, ut Magister tuus sana judicia, quae hac in parte fovit olim, aemulatione *Jahnii* corruperit tardius. Supra enim §. 74. vidisti, eandem adoptari interpretandi rationem in sacris, quae obtinet in profanis, addito unice concilii decreto. Quae ex natura rei sequi jam §. 48. monui. In editione altera, quo aegre faceret *Jahnio*, Trid. decretum, quod prius tantum pro norma ad avertendum sensum perniciosum adhibitum fuit, in supremum Hermeniae principium extulit: quod quam ridiculum sit, docui §. 26. 28. 29. 30. Quam autem secum ipso pugnet, intelliges, si supremi principii quam dedit definitionem legeris supra §. 28., et proximos 76 et 77. contuleris, e quibus patebit, principium hoc esse *negativum*, nec unquam adhiberi ad *eruendum* sensum, sed tantum ad dignoscendum, an sensus jam *erutus* fidei non repugnet.

Quaeram nunc, mi Comes, qua fronte accusetis *Jahnium*, qui ab Hermenia excludat ecclesiam? supra §. 73. Annon idem prorsus facit et Magister tuus in editione utraque? Supra §. 74 — 76. Annon idem fecit *Hieronymus* quoque, uti docui §. 54 — 65? Annon hoc idem docet *praestantissimus Sandbichlerus?* supra §. 53. in Nota *, et §. 54. Est ergo vestra vociferatio sane imperita, aut malevola, quatenus vel nescitis quid rectum, quid devium sit, vel animo improbo crimini datis *Jahnio*, quod ipsi et docetis et

b) Mich. *Begräb. und Aufersteh.* p. 331.

usu sequimini. Si enim non nisi ad *erutum* jam sensum adhibetis *ecclesiam* et *patres* pro cynosura rectae fidei, fatemini in *eruendo* sensu solam usui esse Hermeniam sine *ecclesia* aut *patribus*, eoque exactissime consentitis cum *Jahnio:* dum autem postea adhibetis *analogiam fidei*, seu quod idem est, *sensum ecclesiae et consensum patrum*, juxta Tridentinum decretum, in hoc pariter exactissime consentientem habetis *Jahnium*, ut perspicue docui §. 72. Imperitis ergo illuditis, doctis estis derisui: zelum studiumque pro integritate catholicae doctrinae ostentatis in compitis; reapse autem vestrae ambitioni velificamini, et fidem catholicam imperitia vestra prostituitis; nec inter quaestiones fidei et scholae unquam didicistis distinguere.

§. 79.

Ostendi hactenus *Jahnii* vestroque sensu, ecclesiae in Hermenia locum non esse; nunc vobis, mi Comes, etiam alteram partem declarabo „*ad auctoritatem ecclesiae catholicae*“ in Hermenia provocari non posse, ut docet *Jahnius* Enchirid. §. 32. Non multis hic opus est, nisi enim pedem refertis, et vestra retractatis omnia, hac quoque in re jam consensistis *Jahnio*. Si enim in eruendo sensu ecclesia intervenire non potest (§. 78.) neque ad ejus auctoritatem provocare potestis, quippe quae fidei non *Hermeniae* Magistra sit. Imo ne tum quidem, si illa textus cujuspiam ex professo definiat sensum: quia hermeneutae atque etiam dogmatici officium est, similia non nude credere, sed ex hermeneuticis, ex intrinsecis rationibus etiam asserere et vindicare, §. 29. quod interposita infallibili ecclesia sine petitione principii facere non potestis, quotiescunque cum iis agitur, qui foris sunt. Itaque, mi Comes, *Jahnii* sententiae, quam §. 73. attuli, velitis nolitis, subscribere debetis, si ulla ratione loqui rationabiliter, et vobismet ipsis constare vultis.

§. 80.

Respondetur Romanae Dissertationi.

Nunc te audiam, mi Comes, qui liberaliter stomachatus, tandem sic pergis docte dicere. „*Nam ec-*

clesiae est novas traditioni contrarias opiniones erroresque damnare. Illius judicium nostri antecessores timent, et clamitant ecclesiam in vinculis scripturam detinere, quia proprio cuiusque ingenio indulgere non permittit. Hinc est quod ajunt: Longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae catholicae, de qua ubi hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus a). Puritas igitur doctrinae, ac divinae revelationis intelligentia, ab ingenio ac arbitrio antecessorum repetenda est, quod absurdum b)."

Quam tu ista parum tenes, mi Comes, (*e*) §. 78. videre potes, quod Magister tuus haud secus ac *Jahnius* ab Hermenia excludat ecclesiam: ubi autem adhibet ad *eruti* jam sensus indolem explorandam, prorsus consentientem habet *Jahnium*, ut docui §. 72.; nec quisquam est *Neotericorum antecessorum*, qui veniam cuiquam det contra *traditionem*, contra *puritatem doctrinae et revelationis* interpretandi. Auctor ergo tibi sum, mi Comes, ut de Magistro provideas, qui te in primis elementis instituat disciplinae huius, si musitare aliquid forte voles etiam in posterum: non abs re autem foret, si de *Neoterico* provideres.

§. 81.

Respondetur Magistro.

Terribilis est iste Magister tuus, mi Comes: *Jahnium* ille hic ita concidit, ita mutilavit, ut aegre incolumi capite se miser subduxerit. Disserens enim de *analogia fidei*, sic lectorem de *Jahnii* impietate informat:

„Jahnius, inquit, Enchiridii §. 32. cum *analogiam fidei* inter requisita interpretationis posuisset, sed scrupulus ei deinde exortus fuisset, ne si analogia fidei catholico more intelligendi sumeretur, videretur auctoritatem ecclesiae aliquam recognoscere ad interpretandam scripturam, sic dein se explicat:"

Qui forte dixerit hoc nihil esse aliud, quam scripturam ad dogmata ecclesiastica et theologica adcommodare, videtur non intelligere quod diximus. Nam longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae, de qua,

---

a) Enchirid. §. 32. p. 98. *b*) pag. 113.

ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus: sed testimonium duntaxat antiquissimorum ecclesiae doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus. Quid enim? si loca antiquorum profanorum scriptorum, et thalmudicorum ad comprobandum sensûm N. F. admittuntur; cur non valeant loca scriptorum ecclesiasticorum ejusdem, aut antiquioris aetatis, qui doctrinam immediate, vel mediante una alterave generatione, ab apostolis acceperunt? Huic principio quid opponi possit non video: imo reperi Clericum celeberrimum bibliorum ecclesiae reformatae interpretem consentire a).“

Priusquam respondeam, mi Comes, misero *Jahnio* membra amputata restituam. Tractat ille eodem §. 32. Enchir. primum de *analogia fidei*, seu summa dogmatum prout illam offert sola scriptura. Negat vero his solis absolvi *analogiam fidei*, seu corpus dogmatum, sed adhibendum etiam esse sensum antiquorum et ecclesiae. Quem in finem, immediate ante ea, quae Magister ex illo retulit, sequentia praemisit *Jahnius:*

„*Id vero haud quaquam universim ita intelligi velim, ut analogia doctrinae his limitibus concludatur (solis nempe scripturis). Quemadmodum enim discipuli primi quorumcunque antiquorum doctorum, ab his ipsis oretenus multo adcuratius edocti, libros quoque ipsorum et facilius et melius omnibus aliis subsequentibus, intellexerunt, atque si doctrinae magistrorûm suorum fideles erant custodes, et rectius et adcuratius exponere poterant: ita quoque immediati et mediati discipuli apostolorum, et doctores primitivae ecclesiae, sensum locorum s. scripturae, quibus doctrinae sublimiores proponuntur, ex ore apostolorum et primorum discipulorum penitus hauserunt, et altius penetrarunt. In censum inprimis veniunt antiquissima ecclesiae symbola in Athenagorae et Justini Martyris apologiis, in Irenaei libris, et in prooemio librorum Origenis περι αρχων* (de principiis) *atque generatim historia doctrinae primorum ecclesiae seculorum non obiter cognita, sed diligenter explorata. Qui forte dixerit*“ etc. Hic sequuntur ea, quae supra relata sunt.

Ego, mi Comes, eruam mihi oculos, (annon pignori satis?) si tu mihi ex omnibus magistri tui operibus caput ullum quamvis prolixum ostenderis, in

---

a) Instt. N. Test. Tom. 1. §. 36. p. 139.

quo tantum insit et rectae fidei, et hermeneuticae sapientiae, quantum in postremis his paucis *Jahnii* verbis vides. Intelligis ergo jam, cur ille *Jahnium* circumciderit; cur eorum loco praeambulum scripserit; de rejecta *analogia catholica*, de repudiata ecclesia in interpretanda scriptura, incredibili perfidia accusans *Jahnium*: in quibus paene quot verba, tot calumniae; quibus si proxima addidero, minimum dimidiam duodenam corruptionum, et mendaciorum et criminationum ex unica §. illius particula liquido tibi sistam ob oculos.

§. 82.

Jam paucis dicam, mi Comes, de singulis, ut tamen, quae de Magistri tui usu loquendi §. 22. admonui, praevie relegas, et memori mente retineas. — In praeambulo, quod superiori §. praemisit verbis *Jahnii*, duplex inest criminatio.

Prima, dum ait, *analogiam fidei* sensu catholico a *Jahnio* rejici. Contrarium manibus tenebis, si adverteris, illum non contentum dogmatibus in scriptura traditis, pro cynosura insuper assumere sensum eorum, qui immediate aut mediate ab apostolis didicissent; assumere symbola ecclesiae ab antiquis relata; jubere denique, ut doctrina primorum ecclesiae seculorum *non obiter cognita, sed diligenter explorata sit*. Id ipsum intelliges ex §. 72. supra, ubi *sensum ecclesiae et consensum patrum* pro inviolabili norma ponit, cui adversari nullo modo liceat interpreti.

Secunda criminatio in eodem praeambulo est, dum ait, *Jahnium* nullam ecclesiae agnoscere auctoritatem in interpretanda scriptura. Oppositum jam tibi e dictis potest patescere: probe tamen feceris, si Enchiridii §. 13. contuleris, ubi pag. 41. in nota tamquam inviolabilem agnoscit eorum locorum sensum, quos interpretata est ecclesia. Credo vides, unde haec accusatio profecta sit. *Jahnius* ibidem ecclesiam ab Hermeneutica removet; quod idem facere et Magistrum tuum, puto evictum me dedisse, §. 73—80.; ne *Hieronymi*, praestantissimi *Sandbichleri*, et omnium Hermeneutarum consensum commemorem, demto Magistro tuo, qui quoniam quid *Hermeneutica* sit hodiedum, ignorat §. 73., non dubitat violatae fidei reos agere, qui ab confusis ideis suis latum digitum distarent. Hoc igitur dictum sanissimum eo detorsit, ut

dicat', a *Jahnio* interpretandi auctoritatem negatam ecclesiae, quae toto coelo diversa, pio maledicendi studio permutavit.

Tertiam insignem calumniam leges, dum verbis *Jahnii* subjungit: „*Longe se dicit* (Jahnius) *abesse ab eo, ut in analogia fidei, de qua agebat, ad ecclesiae auctoritatem provocet, de qua ibi, ubi hermeneutica tractatur, sermo esse non possit. Atqui concilium Trid. sess. IV. asseruit, ecclesiae esse de vero sensu S. Scripturarum judicare.*" Quam haec putida corruptio est, mi Comes? quam palmare mendacium? quo uno facto duplex crimen *Jahnio* ingerat, negatae scilicet auctoritatis ecclesiae in *analogia fidei*, et in expositione scripturarum! Cernis credo, ut ille iterum certissimum dictum *Jahnii*, ecclesiae in Hermenia locum non esse, propudiosissime eo detorqueat, in *analogia fidei* ad ecclesiae auctoritatem provocari non posse! Quis hoc unquam dixit catholicus, qui quidem, quod scribit, intelligat? Huic calumniae omnia verba repugnant *Jahnii*, quae §. 81 allata sunt. Aliud longe est, mi Comes, in *Hermenia* ad auctoritatem ecclesiae provocari non posse, aliud in *analogia fidei*, quae nisi indigna ratione permutat, crimen extundere non posset. Confer ergo §. 79., et quae paulo ante de duplici criminatione dicta sunt. Caeterum hanc de spreta ecclesiae auctoritate in *analogia fidei*, et repetet paulo post, et crepare pergit §. proximo, nec dubium quin saepissime alias.

Ad quartam calumniam venio, etsi incertus sum, imperitiaene, an malevolentiae adscribenda sit. Ait enim illico post superiora: „*Deinde testimonia antiquissimorum ecclesiae doctorum, qui ab ipsis apostolis doctrinam hauserunt, idque de sensu locorum dogmaticorum in scriptura, aequiparat cum testimoniis scriptorum profanorum et talmudicorum.*" Si haec accusatio ab inscitia, ut videtur, nata est, tum eam quidem jure crassam dixeris, quoniam id tam sapienter scriptum est ab *Jahnio*, ut, quod jam dixi, pignore oculorum certem, si quid simile mihi produxeris ex ullo capite scriptorum Magistri. Cum enim is ipse agnoscat supra §. 26., nec possit negari, ex *usu loquendi* petendam esse mentem auctoris, eumque in finem et graeci profani, et talmudici quoque scriptores adhiberi soleant ad novi foederis dictionem, qua declarandam, qua etiam detorquendam in sensum devium: pruden-

ter advertit *Jahnius*, nullam esse causam, cur non pari aut majori etiam jure in expositione novi foederis in catholicorum favorem audiri debeant ii, qui vel immediate ab apostolis, vel ab eorum discipulis doctrinam hauserunt, eoque ob vicinam aetatem etiam sacrorum librorum sensum profundius penetrarunt.

Ut vides, mi Comes, agit hic *Jahnius* contra *Rationalistas*, positivam religionis partem omni studio eliminantes. His ergo opponit ille argumentum historicum a consensu apostolorum et proximorum patrum; a symbolis et fidei formulis publicis, omnium consensu creditis atque professis; atque hunc in modum concludit: ut incredibile est, positivam religionis partem tanto consensu atque constantia suscipi, retineri et propagari potuisse nisi ab apostolis esset profecta; sic pariter veri dissimillimum esse, ut ii viri in sensu illorum Novi Testamenti locorum caecutiverint, quos illi de similibus sublimioribus doctrinis intellexissent; imo credendum esse, ut ipsam doctrinam, ita quoque eorum scripturae locorum sensum ab apostolis pariter accepisse. Ideo addit, in hanc rem tam suapte claram, consentire etiam celeberrimum *Clericum*, etsi a nostris sacris alienum. Imo hunc antiquitatis consensum protestantes universim magni fecerunt sub initium: quin nec modo carere auctoritate apud eos, qui positivam religionis partem nondum abdicarunt; eoque ab iis etiam primorum seculorum doctrinam diligenter indagari, ut quorumdam docet exemplis.

Vis causam scire irarum? ea propalam est. Magister tuus *supremum principium* Hermeniae, e quo repeti, et quo reduci pariter debent omnia, *infallibilem* constituit *ecclesiam* §. 28. supra; quotiescunque ergo cum adversariis negotium est, ut toties tibi dixi, os aperire non potest sine *petitione principii*. Succenset ergo *Jahnio*, quod secum non pariter ineptiat. Confer supra §. 79.

Ad *quintam* calumniam venio superioribus continuo subjunctam: „*Id autem, inquit, quod antiquissimi ecclesiae doctores ab apostolis acceptum tradiderunt, aliudne est, quam traditio apostolica? Quo ergo loco haec etiam est Jahnio?* Sed haec, mi Comes, tam pinguis prolapsio est, ut magis risum quam stomachum moveat. Vis enim argumenti, quod *Jahnius* et omnes intelligentes usurpant, eo ipso quod

historicum est, traditione nititur; cum incredibile sit, subliniorem partem doctrinae tam universaliter tamque constanter potuisse credi, nisi ab apostolis esset profecta. Sed quia Jahnius non usurpavit voces *traditionem ecclesiae*, nova argumenti forma velut spectro exterritus, gratiarum vicem, portentosissimam illi calumniam *de negata traditione* inflixit. Vide Nro. 4.

Ut autem semiduodenam calumniarum Magistri tui compleam, addam etiam *sextam*, superioribus nihilo inferiorem, et eadem serie subjunctam. „*Postea, inquit, ab analogia fidei ecclesiae auctoritatem exclusit: neque ergo haec analogia fidei ea est, quae catholicae ecclesiae. Et qui dubitavit, num intelligerent alii et assequerentur, quid diceret; ipse non videtur intellexisse, quid significetur per analogiam fidei, et quem ea interpreti praebeat usum.*"

§. 83.

Initium huius accusationis repetit criminationem §. 82. No. 1. positam, paulo tamen dilucidius declaratam. Si enim *analogia Jahnii* non est catholica, quoniam negat traditionem, ut Nro. 5. praemissum est: tum illa non alia esse poterit, quam Protestantium, e solis scripturis sumta. Hoc vero quam inique dictum sit, jam in superioribus Nro. I. docui.

Sed alterum, mi Comes, a viro ejus moduli, cujus Magister tuus est, *Jahnio* objici, quod quid *analogia fidei* sit, et quem praebeat usum, ignorare videatur; hoc sane propudiosum est. Faciam ergo, mi Comes, ut probrum, quod paravit Jahnio, in sinum revertatur tui Magistri, simulque intelligat, quantopere sua intersit, memorem esse modestiae, quoties de viris doctissimis sermo est. Proferam ergo tibi quid nomine *analogiae fidei* Magister tuus, quid *Jahnius*, aliique intelligant, ut ipse judicare possis, Magisterne tuus, an *Jahnius* sit tiro rudis in arte? Sane enim rudem esse oportet, qui ne prima quidem disciplinae suae elementa noverit.

Magister tuus super hoc mentem suam bis clare explicuit. Primum in introductione vet. testamenti: in qua tractans de analogia fidei ex professo *a*), docet, quid interpres facere debeat, ut intelligat, an per

---

a) Tom. 2. Cap. 2. §. 16. pag. 21. Ed. 2.

Hermeniam *erutus jam omnino verus illius loci sensus sit*? (Aptius dixisset, annon *perniciosus* sit sensus, ut emendat in subsequis). Ad hoc igitur sic instruit: „*Huc vero eidem interpreti adhibenda est analogia fidei.* —— *Analogia autem est convenientia cum doctrina religionis, quae jam ex definitione ecclesiae interpreti est nota.*" Clarius idem repetit in institutionibus Novi Testamenti, ubi idem argumentum exponens ait: „*Haec attentio, et interpretationis directio eo, ne quid non orthodoxum ponatur in sensu ab interprete, quem suo judicio tribuit scripturae, vocatur analogia fidei, id est, convenientia cum fide, quaeque interpretem munit adversus errorem contra fidem b).*" In fine autem ejusdem §. uno spiritu fundit relatas hactenus in Jahnium calumnias.

Nunc audias *Jahnii* et aliorum de analogia fidei judicium: „*Insignem, inquit, locum parallelum supplet analogia doctrinae totius scripturae, seu summa quam universa scriptura spirat.*" Nec hac doctrinae summa contentus, addit in subsequis etiam sensum primorum potissimum patrum, et ecclesiae, uti e verbis §. 81. relatis videre potes.

Idem prorsus *praestantissimus Sandbichlerus c*), quem transcribere superfluum sit, cum in titulo operis sit positum, esse illud compendium enchiridii Jahnii *d*).

Ne autem tibi, mi Comes, recentiores forte suspecti sint, addam virum religiosum ex ea aetate, qua *Neotericorum* nondum fama fuit. Audi igitur Seb. *Seemillerum*, quem etiam tuus Magister inter *memoratu digniores* commemorat *e*). Hic igitur Canonicus Regularis Pollingani Theol. Prof. in *selectis positionibus* sacrae Hermeneuticae subjunctis ait: „*Ne denique sacrae scripturae interpres in rebus ad fidem et mores spectantibus a mente spiritus s. aberret, prae oculis constanter habeat analogiam fidei, quae catholicis aliud esse haud potest, quam summa veritatum, quae sive scriptae in sacris literis, sive non scriptae sint, universalis ecclesiae judicio tamquam divinitus revelatae habentur f*)."

Sed ne rebus de trivio immorer, addam tibi e Protestantibus exempla, ut intelligas, non tantum inter nostros, sed apud eos quoque inde a Reformatio-

---

b) Tom. 1. C. 7. §. 36. p. 138. *c*) Confer supra §. 53. sub * et §. 54. *d*) §. 24. pag. 53. *e*) Instt. Novi Test. Tom. 1. Prolog. §. 15. p. 38. *f*) pag. 51.

nis primordio eundem cum *analogia fidei* junctum fuisse conceptum, ea sola cum differentia, quod ii summam doctrinae, quam *analogia* complectitur, ad solam scripturam restrinxerint. Audi ergo Jo. Jac. *Rambachium*, ante dimidium seculi superioris suos inter Hermeneutices tractatorem facile principem. „*Analogia fidei, inquit, nihil aliud designat, quam mutuum perpetuumque veritatum coelestium consensum, e planissimis sacrarum literarum testimoniis collectum g).*“ *Fundamentum* autem auctoritatis ponit in divina librorum inspiratione *h). Usum;* quod ad ejus „*normam omnes scripturae expositiones tamquam ad lapidem Lydium exigendae sint i).*“ Infra autem in nota ** addit: „*Eandem rationem interpretandae scripturae beatus Mart. Lutherus etiam sectatus est, ut testatur ipse in Comment. in Genes. XLI. f. 776.*“ „*Id imprimis considerare soleo, an congruat expositio aliqua cum analogia seu sensu fidei.*“

E nostra aetate unicum addam virum doctum suos inter superintendentem J. Ch. J. *Schulzium:* „*Quis Germanorum, inquit, ante dimidium seculi 18. sine dogmatica aut polemica scripturam interpretari, ausus est? Quaenam metuenda magis haeresis fuit, ac contra, aut non conformiter analogiae fidei exponere k)?*“ Dum ergo Magister docet *analogiam fidei* esse *attentionem et directionem interpretationis*, nec theologice nec philosophice locutus est; quia etiam *analogia* numerica et geometrica toto coelo distat ab *attentione* aut *directione*. Conf. supra §. 73.

Denique relatis verbis *Jahnii* (supra §. 81.) subjungit de *Clerico* Hollando: „*cuius etiam verba apposuit in nota ad calcem paginae, profecto testis gravissimi, cui tota scriptura non plus fuit, quam scriptum quodcunque etiam auctoris profani l).*“ An *Clericum* Magister tuus unquam viderit aut legerit, mearum minima curarum est; nec si vel atheus sit, huc ullatenus pertinet, quia quaedam semper accedit commendatio argumento, quod et ipse probet adversarius, eoque fit, ut summi quique extraneorum etiam utantur exemplis

---

g) Instt. Herm. Libr. II. C. 1. §. II. *h*) ibid. §. III. *i*) ibid. §. IV. *k*) in Animadv. J. D. Michaelis, notis ad Lucam praemissis pag. 197. *l*) Instt. Novi Test. Tom. 1. C. 7. §. 36. p. 140.

in fines suos. Pauca tibi ponam, etsi intelligentibus res suapte clara est.

Quid putas, mi Comes, alienumne aliquid forte a prudentia egit Christus, dum ab incredulorum judiciis commendationem suis quaesivit prodigiis *m*)? dum *Ninivitarum* et *Reginae Austri* exemplis commovere aut in ruborem dare paravit Judaeos *n*)? Putasne *Paulum* delirasse, cum sua de Deo judicia commendavit *Arati* assensu? Act. 17, 28. aut nihil dixisse *Judam*, cum interposito libro apocrypho, et aperta fabula, *maledicis* suasit *modestiam* *o*)? tametsi Magister tuus cane pejus odit omnes, qui ulli in institutione usui esse dicunt fabulas. *Apologetas* et primos patres non commemoro, qui etiam ab gentilibus omni studio suppetias quaerunt rebus suis. Ad recentiores de religione tractatores venio, quorum nullus est, qui ex eadem messe manipulos non legat aut spicas. Ego, mi Comes, qui sum paulo infirmior, ingenue tibi fateor praejudicium meum, etsi improbavit Magister: me cum voluptate legere *Plinii* junioris ad Trajanum, et *Juliani* ad Arsacium pontificem vulgo notas epistolas.

Sed quid opus foris exempla quaerere, dum domi suppetunt? Magister tuus, mi Comes, suam Trid. decreti interpretationem *protestantium* confirmat consensu *p*); incepto iniquiore, quod *argumentum auctoritatis*, ut sapienter mones (infra §. 117.), *nullam suscipit interpretationem*. Authentiam autem Novi Foederis LL. *Ebionis*, *Cerinthi*, *Marcionis*, *Celsi*, *Porphyrii*, *Hierarclis* ac *Juliani* interposita auctoritate asserit *q*). Obsecro, mi Comes, an postremi scripturas pluris fecerunt, quam *Clericus*? Addam Joan. Dav. *Michaelis*, quem etsi Magister tuus nunquam non mordet, corrumpit, depravat; quia tamen in Philistaeis *r*) Haemorrhoides secum pariter agnoscit, unice in amoribus est. Opus nempe erat suppetiis contra *Jahnium*, eoque hunc secus teterrimum Rationalistcam utroque brachio complectitur quam familiariter *s*). Cur ergo

---

m) Matth. 12, 27. 28. *n*) ibid. v. 41. 42. *o*) v. 9. 10. *p*) Instt. Novi Test. Tom. 1. Cap. 7. §. 38. p. 148. *q*) ibid. Cap. 1. §. 5. et 6. pag. 184. usque 187. *r*) 1 Reg. 5, 6. *s*) Instt. Vet. Test. Tom. 1. Cap. 24. §. 72. pag. 304. Edit. 2.

hic novus Zoilus improbat in aliis, in quo ipse praeivit exemplo?

Qui ergo in paucis lineis tot atroces calumnias legeris Magistri tui, dic, amabo, quorsum hic tantus, tam indomitus livor? quorsum perpetuum hoc studium corrumpendi et maledicendi? Tune putas virum sic comparatum ab animo, aptum esse ad quaerendam, videndam, aut docendam veritatem? Vel quoniam in hoc communes sunt mores vestri, putatisne hac via fidem catholicam seu asserendam seu commendandam? Oppido falleris, mi Comes: neque enim hac alia certior ratio est, ut apud omnes in invidiam eam adducatis et odium, cum nemo vel catholicus esse possit, qui artes has vestras propudiosissimas non oderit: me, ut fatear, vicem vestram pudet.

De sensu Ecclesiae et unanimi consensu Patrum in concilii Tridentini decreto.

§. 84.

Tertius hic locus est, qui vos rarae eruditionis, fideique intemeratae athletas, sollicitos tenet; qui zeli, pietatisque ostentandae amplissimum campum vobis aperit, ut quisquis rerum istarum non satis gnarus, ex dictis vestris de vobis statuat, ut Augustinus quondam de Hieronymo, sic isti de vobis divino munere ecclesiae datis, laudare debeant numinis providentiam. Et certe permagni vestra interest, eam esse de vobis opinionem hominum, vestra eruditione fidem invicte asseri, vigilantia defendi, mascula virtute malas bestias procul abigi a caula dominici gregis!

Hoc ut assequamini, ipsa fama *Jahnii* adjuvat, dum ex hoste formidabili maius discrimen, e magnitudine discriminis gloriosior victoria est. In hunc ergo copias vestras ducitis non vana spe gloriae, si vel salvis cruribus evasissetis e proelio; fama autem atque nomine prorsus immortali, si hunc gigantem in vestram quoque redegissetis potestatem. Sed quid tam arduum sit, quod vestra virtus non efficiat sine labore? Facitis ergo quod hactenus: corrumpitis dicta, vestraque illi commenta subtruditis; eoque obtinetis, ut ignarus lector hominis jam miretur hebetudinem atque vecordiam, et serio dubitet, an suorum ille ali-

quando inire sciverit numerum digitorum. Multum ergo jam praestitistis hoc tanto ingenio, dum homines spectri illius solvistis formidine. Post impietatem comminiscimini: utque apud alios vestrae pretium sit operae, nec sine ingenti discrimine bellum susceptum videatur, pericula ostentatis sanae doctrinae, monstra venditatis errorum, pestem vociferamini, unaque deorum hominumque imploratis opem. Hoc homines simpliciter accipiunt, et fideliter credunt. Quotocuique enim conferre haec, atque expendere, aut animus aut otium est? Acquiescunt ergo suaviter erroribus, quos mentibus eorum indidistis, nihil de toga, nihil de conditione vestra etiam suspicantes mali: cum interea quae commenti estis, levi brachio disjicitis.

Sic cum hoste gravissimo bellum confectum est; concisus prostratusque *Valnius*: quem triumphatum, et undique luto contectum, tandem in compitis puerorum quoque objicitis derisui. Quis jam modo, mi Comes, Davidis de Goliathe victoriam huic vestrae comparet? Ibi terno fundae ductu, unicoque lapillo confectum proelium est: hic quanto ingenio, quantis opus erat artibus? Illum pone gravis sustentabat exercitus; immunitas a tributo, et regio de sanguine sponsa, amplissima de labore praemia erigebant. Vos soli, sine armigeris, sine calonibus, fidei virtutisque ardore, consimili pectore ut Leonidas quondam, laetiore tamen ut par erat fortuna, adivistis discrimina Martis. Jam ergo vestris in palmis requiescite victores inclyti! ego quid mihi de concilii decreto videatur, exponam. Sic autem habet sess. IV.

§. 85.

„*Ad coercenda petulantia ingenia decernit (S. Synodus), ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sacrarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam S. Scripturam interpretari audeat.*“

De sensu quaeritur, mi Comes, quem quoniam solitis artibus obscurare vultis, jam paucis exponam. Non multis opus est, si ad ejus aetatis judicia et facta publica, ad occasionem, ipsaque verba decreti

adverteris animum. Ubi enim, duce Luthero, ab ecclesia mirum dispar coetus coaluit; ubi contra perpetuam ecclesiae doctrinam et veterum consentientem traditionem, partim nova inducta, partim vetera seposita fuere dogmata; ubi his finibus suis, ut omnibus seculis factum, servire coegerunt scripturam repugnantem; et tum arte hac, tum etiam novitatis illicio malum latius diffusum est in dies: Concilium, quo scripturarum abusum excluderet in posterum, praesenti decreto statuit, ne quis eas contra *doctrinam* ecclesiae, et contra SS. Patrum unanimem *fidem* interpretari audeat.

Hunc sensum poscit ipsa natura mali, quoniam nova dogmata speciosa scripturarum interpretatione potissimum commendabantur: poscebat providentia ecclesiae, cui non alia certior plenior aut absoluta magis ad anteveniendum abusum norma suppetebat: poscit denique obvia et trita vocum notio et usus loquendi.

Sed vobis, mi Comes, quoniam sic vultis, crucem figunt duo vocabula: *sensus* ecclesiae, et *consensus* unanimis patrum: per quae vos non *doctrinam, non fidem ecclesiae* et *ss. patrum*, sed *scripturarum sensum* intelligitis, et decretum in hunc modum capitis: nemo sententiis scripturarum, in quibus de fide aut moribus agitur, alium tribuere audeat sensum praeter eum, quem docuit ecclesia et unanimes patres. Cui sententiae vestrae explodendae hoc unum sufficeret, neminem adhuc mortalium famam audivisse in praesens cuiuspiam *commentarii*, aut quocunque nomine id vobis libeat dicere, in quo omnes sententiae fidei et morum per ecclesiam et unanimes patres fuerint expositae. Ecclesia ergo, cum opus esset, certissima et absolutissima norma praecavendi abusum, cumque eam manibus teneret juxta eum sensum, quem supra exposui; juxta vos vel nullam, vel ita mancam dedit, ut ne centesimam quidam dogmaticorum aut moralium textuum partem complectatur. Quod a sapientia ecclesiae alienum esse quis diffiteatur? Vide supra §. 28 — 30.

§. 86.

Nunc conscientiis vestris consulam, mi Comes, in vocibus *sensus* ecclesiae, et *consensus* patrum, ut intelligatis, quam utraque, ratione planissima usurpari

possit pro *doctrina*, pro *fide* ecclesiae et ss. patrum; imo in hoc contextu sic usurpari debeat, non vero de *sensu scripturarum* sacrarum, ut vos statuitis. Dabo vobis virum ex antiquitate, qui hanc de scripturis quaestionem ex professo discussit, super ea alios etiam consuluit ac ita dilucide explicavit, ut frustra meliora quaeratis apud alios. Is *Vincentius Lirinensis* est, Gallus, monachus ante medium seculi quinti florens.

Vir hic saepe ac magno studio quaerens, quomodo *certa ac generali* quadam via, catholicae fidei veritas ab haereticorum pravitate discerni possit? semper hoc se tulisse responsum ait: „*divinae legis auctoritate, et ecclesiae catholicae traditione.*“ Quaerit postea, cur praeter scripturas insuper ecclesiae necessaria sit auctoritas? hic respondet:

„Quia scripturam s. pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut paene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Coelestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea, *secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur a).*“

Dic, mi Comes, quid ultima verba significant? inprimis vero dic, quid vox *sensus* in his exprimit? *Scripturarumne sensum*, vel *doctrinam fidemque* ecclesiae? Vide tredecim haereticorum nomina, quorum ut multiplex fuerit interpretatio, idem tamen omnium studium atque contentio in evertenda ecclesiae doctrina. Dum ergo tanto abusui ex eo repagulum quaerit, ut interpretatio „*secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur,*“ tu negare audeas ecclesiasticum et catholicum sensum esse illud ipsum, quod superiores illi prava interpretatione impugnarunt, et everterunt, id est *doctrinam fidemque ecclesiae?*

---

a) In Commonit. pag. 173. 174. Edit. Tyrnav.

§. 87.

Pergo porro. Post superiora continuo sic addit: „In ipsa catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem*, *antiquitatem*, *consensionem*. Sequemur autem *universitatem* hoc modo, si hanc unam *fidem* veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia; *antiquitatem* vero ita, si ab his *sensibus* nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est; *consensionem* quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe paene omnium sacerdotum pariter et magistrorum *definitiones sententiasque* sequamur (ibid.).“

Nega jam, mi Comes, si potes, nomine *sensus* §. priore intelligendam esse *doctrinam fidemque* ecclesiae. Hoc certe postremo loco non de interpretatione scripturarum, sed de ecclesiae doctrina sermo est; hanc autem in primo membro vocat *fidem*, in altero *sensus*, in tertio *definitiones et sententias*. Dum ergo in superiore §. pro norma interpretationis ad vitandos in fide errores posuit *ecclesiasticum et catholicum sensum*, quid id aliud est, quam quod res ipsa et sana ratio postulat, cavendum esse ab omni ea interpretatione, quae *doctrinam*, quae *fidem ecclesiae* ullatenus laedat, aut evertat? An tu, quod adversus ista mutias, habes?

§. 88.

Pergo vos urgere, donec pusilla vestra studia ad incitas redegero, ut latum unguem vos movere non possitis loco. Quaerit idem *Vincentius* alibi, quomodo *matris ecclesiae filii in scripturis s. veritatem a falsitate discernent?* respondet: „Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio commonitorii istius, sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus ut divinum canonem secundum *universalis ecclesiae traditiones*, et juxta *catholici dogmatis regulas* interpretentur *a*).“ Uberioris autem claritatis causa, quid sit *catholici dogmatis regula*, iterum ut supra ejus characteres addit: *universitatem*, *antiquitatem*, *consensionem*. Satisne tibi persuasi, *ecclesiasticum et catholi-*

---

a) Commonit. pag. 234.

cum sensum §. 86. legitimae interpretationis normam, non esse *sensum scripturae*, sed constantem *ecclesiae doctrinam atque fidem?* Neque hoc judicium solius *Vincentii*, sed ut expresse docet, omnium sanctorum et doctorum antiquitatis fuit. Forte jam cristas aliquantulum demittetis, ne cum omnibus *sanctis et doctis* primaevae ecclesiae vobis confligendum sit.

§. 89.

Unicum adhuc vobis addam, mi Comes, ex eodem Vincentio, qui cum dixisset, duobus ex catholicorum consuetudine fidem approbari: *divini canonis auctoritate, dein ecclesiae catholicae traditione;* causam cur hac postrema opus sit, addit: „quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipiant; atque ideo necesse sit, ut ad unam *ecclesiastici sensus regulam*, scripturae coelestis intelligentia dirigatur, in iis duntaxat praecipue quaestionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur *a*).“ Quod §. 86. dixit: *ecclesiastici et catholici sensus normam*, hoc nunc vocat: *ecclesiastici sensus regulam*, quod idem esse cum *ecclesiae catholicae traditione*, quam praemisit, suapte clarum est, cum non nisi scripturam et traditionem pro fontibus doctrinae agnoscat, et quia ad illam *ecclesiastici sensus regulam* agnoscendam, iterum ut supra characteres subjungit *universitatem, antiquitatem, consensionem.*

Jam, mi Comes, si vestra vobis non obstabunt praejudicia, dilucide videbitis, *Vincentium* hunc exactissime, mille annis prius, expressisse Tridentinum decretum. — *Sensus enim ecclesiae* quid sit, jam docui plus quam satis est: *consensum autem unanimem Patrum*, quem concilium addidit, habetis §. 87. in vocibus: *ubique, semper ab omnibus.* Ut adeo impossibile sit, ad abusum scripturarum praevertendum legem normamque sancire, quae aut sapientior aut certior sit, aut latius pateat, et omnibus abusibus excludendis magis sufficiat; eoque id omne in jactura habeo, quidquid vestri causa adhuc additurus sum; adeo haec sola *Vincentii* doctrina ad eum finem sufficit, quem concilii Tridentini intendit decretum.

---

a) Commonit. pag. 240.

§. 90.

Hoc *Vincentii* judicium, mi Comes, in interpretatione scripturarum viguit etiam deinceps in ecclesia, nec desinet vigere ante consummationem ecclesiae *a*): eoque miror inventum esse, qui *legem disciplinarem* putet, cum nihil magis in ipsa catholicae fidei natura atque essentia situm sit. Tibi ergo unicum adferam, qui in eundem sensum adhuc ante concilium Tridentinum locutus sit: *Cajetanum* nempe Cardinalem conterraneum tuum, ob ingenium, eruditionem, pietatem, aetatis XXX. anno, praedicatorum ordinis magistrum generalem *b*): cuius etsi supra jam §. 74. locum retuli, tamen ut cum caeteris hic etiam prae oculis habeas, non pigebit hic quoque referre. Sic autem ait:

„Si quando occurrerit novus sensus textui consonus, nec a scriptura s., nec ab ecclesiae doctrina dissonus, quamvis a torrente ss. doctorum alienus, aequos se praebeant censores: meminerint jus suum cuique. Solis scripturae s. auctoribus reservata est haec auctoritas, ut ideo sic credamus esse, quia ipsi ita scripserunt. Alios autem inquit Augustinus ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo credam sic esse, quia ipsi ita scripserunt. Itaque non detestetur novum scripturae sensum ex hoc, quod dissonat a priscis doctoribus: sed scrutetur perspicacius textum ac contextum scripturae, et si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligaverit expositionem scripturarum sacrarum priscis doctoribus, sed scripturae integrae sub catholicae ecclesiae censura: alioqui spes nobis et posteris tolleretur exponendi scripturam s. nisi transferendo, ut ajunt, de libro in quinternum.“ Praef. in Pent.

Id unicum hic addo, tantum hunc fuisse virum, ut post tot pro ecclesia exantlatos labores gravissimos, omnium expectatione atque votis ad summum pontificatum destinaretur; nec dubium quin esset futurus, nisi Clementem VII. in extremis agentem, morte sua praevenisset, sicque omnium de se vota frustratus

---

a) 1 Cor. 15, 24—28. *b*) Six. sen. Biblioth. s. libr. IV. pag. 485.

esset. Quae autem *supremae legis auctor Commilito* tuus obmovet, horum ratio digna habebitur in subsequis.

§. 91.

Ubi hoc *Cajetani* dictum probavit *Pallavicinus* supra §. 75., jam id unum sufficeret pro commentario Trid. decreti. Ut tamen intelligatis, quid viri docti, coaevi concilio aut proxime florentes, de illius decreti sensu statuerint, unum et alterum minime suspectum in medium adducam.

Bannezius ex ordine praedicatorum, in Salmanticensi universitate professor primarius, quem nemo non inter doctissimos Hispaniae theologos censet, in suo in primam *Thomae* commentario *a*), quaerit, an novum scripturae sensum liceat invenire interpreti? Reponit autem: „Licitum esse, dummodo dissimilis non sit contextui, neque sit *contrarius* communi sanctorum expositioni. Dicimus novum sensum, antiqua nihilominus fide et ratione fundatum." Quod etiam s. Augustini et Thomae auctoritate confirmat; et exemplis Luc. 1, 34. et Joh. 20, 17. illustrat: prudenter et illud addens: „Et adverte, aliud esse, sensum aliquem esse *contrarium*, aliud vero esse *distinctum*."

Addam *Joannem Azorium*, e societate Jesu, superiori coaevum, qui in variis Hispaniae locis, postremum Romae docens, praeter quaedam commentaria in scripturas, prolixas etiam *institutiones morales* edidit, in quibus sic scribit: Quaeritur tertio, an interpreti liceat scripturam s. non quidem *contra* unanimem consensum Patrum, sed *praeter* illum duntaxat interpretari? quod est quaerere, an si quis scripturae sensum reddiderit, qui non sit unanimi patrum consensui *contrarius*, licet *diversus*, pugnet cum concilii Trid. decreto? Respondeo, minime; quoniam synodus non prohibet, quominus alios scripturarum sensus eruamus, sed tales sint, ut unanimi patrum sententiae non *repugnent b*)."

Hoc adhuc te monitum volo, *has institutiones* mo-

---

a) Quaest. 1. art. 10. Dub. 6. Tom. 1. pag. 69. Colum. 2. Duaci 1614. († 1604). *b*) Tom. 1. libr. 8. p. 507. Colum. 2. Edit. Bamberg († 1607).

rales in grandibus tribus voluminibus, sub *Aquaviva*, ordinis generali, a tribus theologis examinatas, *Clementi* VIII. summo pontifici dedicatas fuisse: eoque factum, ut inter *Remissiones* Aug. *Barbozae*, celeberrimi juris consulti ac demum Episcopi *Ugentini*, hic ipse *Azorii* locus, in editione concilii cum notis *Gallemartii*, jam ultra seculum, velut commentarius illi decreto sit additus, et ex toties repetitis editionibus, sine indulgentia vestra quod miror, jam per totam Europam divulgatus. Vestrae ergo, mi Comes, hic partus est sapientiae, ut quod seculorum mora tot doctis probabatur, nunc haereticum diceretis, et quod nunquam factum antea, etiam sub tauro vitulum quaereretis.

§. 92.

Si vobis tantorum non sufficit auctoritas, ex ipso jam decreti contextu sensum illius declarabo. Ex vestra sententia, mi Comes, sensus decreti est: Nemo ab eo scripturae sensu deflectat, quem ecclesia et unanimes Patres praeiverunt. Quaeram: Cur eum sensum tanti facitis, ut ab eo nefas sit declinare? Reponitis: quoniam apostolicae originis est, eoque unice verus, certissimusque. Laudo, aequa veneratio est. At modo Olitorem audite, rarius quidem, quandoque tamen vera loquentem. Heus tu bone vir! De scriptura, quam semper teris, apostolorum hodiedum superest interpretatio, quorum ut nosti ea auctoritas est, ut quod quidem ad fidem ullatenus pertineat, nihil doceant, quod non certissimum divinumque sit. Si tamen alia arrideant magis, integrumne putabis etiam in diversum ab eorum sensu concedere? Sanusne es, inquit, qui hoc interroges? an tibi ambitio ita occoecavit oculos, ut non videas ita retinenda esse sensa eorum, ut ne latum digitum in diversum eas?

Quid tibi hic Olitor videtur, mi Comes? Si cum commilitonibus hominem improbas, omnem religionem evertisti; si probas, illusisti concilii Patres, qui in arbitrio ponunt interpretis, relicto apostolorum unice vero sensu, eligere et praeferre ab eo *diversum*, modo non *contrarium* et *repugnantem*. Quidquid enim vos dicatis, Olitoris ea etiam quam subjunxit, verissima sententia est; donec sana ratio usui erit, etiam *diversum* et *contrarium* inter se ita diffe-

rent, ut qui prohibeat *contrarium*, non aeque *diversum* prohibuisse censendus sit; ita Olitor: ideoque dum concilium unice prohibet interpretari *contra* sensum ecclesiae et consensum concordium Patrum, neutiquam sensum novum, antiquis penitus ignotum censendum est exclusisse, uti supra allati doctores, nec diffitente Pallavicino', statuerunt.

§. 93.

Addam, mi Comes, certum esse omnium consensu, in eo concilii decreto praescriptam esse interpretibus *normam* innocue interpretandi, cavendique perniciosos errores. Si ergo *sensum* ecclesiae et *consensum* Patrum non de dogmatum compage totiusque catholicae doctrinae concentu, sed de *sensu scripturarum* sumitis, tum non modo indigne illuditis Tridentinos Patres, uti §. priore docui, sed et *normam* praescriptam turpiter confunditis cum ipsis objectis, quae ad illam exigenda sint. Quod jam e *Cajetano* et *Pallavicino* §. 47 et 75. videre potestis, et uberius intelligetis inferius.

§. 94.

Si a Patrum Commentationibus (Commentationibus inquam, mi Comes, non vero doctrina fidei,) discedere non licet, dic obsecro, cui usui nobis sint tot praesidia recentius comparata atque inducta? Quorsum *critica* ab *Origene* toli coepta, ab *Hieronymo* sustentata, sed postea perpetuo in pejus ruens, donec superiori seculo ingenti successu iterum provecta est? Quorsum *linguae* originales atque cognatae? Quorsum *archaeologiae* prolixum studium, cuius magnam partem doctissimi viri indefesso labore, nec sine vitae discrimine, imo cum vitae jactura superiori tempore ex oriente exciverunt, et provehere non desinunt in praesens? Quorsum denique excultior nunc ac systematica *Hermenia*, partus recentioris aetatis? An tu putas his praesidiis, eademque colentium vigiliis nihil quaesitum, nihil repertum ultra paleas? Putasne ab apostolis, ratione, ut ajunt, stataria, a *Genesi* usque ad *Apocalypsim*, critice, philologice, hermeneutice ita totas edissertas scripturas; aut ab una alterave duodena, excellentium licet scriptorum, quos ss. patres merito dicimus, antiquissimos difficillimosque orbis totius libros, etiam sine illis praesidiis,

ita discussos penitusque enucleatos fuisse, ut praeter arida putamina aut corticem levem nihil jam colligendum restet posteris in omne aevum?

Quotusquisque, te oro, praeter *Origenem* et *Hieronymum* fontes in v. foed. adire potuit? imo nec in novo obvium eorum usum fuisse ex eodem *Hieronymo* colligo, qui ad Matth. 8, 3. ait, *a plerisque Latinis mundare* pro infinitivo usurpari; quod quidem graeca consulentibus in mentem venire non poterat *a*). Atque hinc est, cur *Augustinus* tantopere suspiret, ut neglecta versione ex hebraeo, Graecos transferat Hieronymus in usum Latinorum: „*Petimus et nobiscum petit omnis Africanarum ecclesiarum studiosa societas, ut in interpretandis eorum libris, qui graece scripturas nostras quam optime tractarunt, curam atque operam impendere non graveris b*).“ Confer si voles de Hilario ejusdem judicium, et intelliges Latinorum opes e Graecia defluxisse *c*).

Quid dicam de *archaeologiae* praesidio, quo ne Graeci quidem uti poterant, nisi aut ipsam incoluissent Palaestinam aut certe accoluissent vicini? Quid, te oro, de *Jobi* libro, ut exegeta in quam plurimis dicere poterat *Augustinus*, qui lepram non morbum, sed vitium unice coloris esse putabat, quoniam non *sanati*, sed *mundati* dicantur *d*)? cum tamen is morbus ipsa peste longe deterior sit, ea potissimum species (elephantiasis nigra), ex qua Jobum laborasse constat. Quid apte sine hac dices ad illud: *suspendium elegit anima mea et mortem ossa mea, desperavi, nequaquam jam ultra vivam*. 7, 15.? Longe a me alienum est, mi Comes, ut ego virgula censoria notem hunc tantum ecclesiae doctorem: sed Numidiae gratulor ab tanto flagello liberae, in qua id scribere potuerit *Augustinus*; huic autem viro magno compatior, cui, cum Punicum sermonem haberet vernaculum, intime junctum Hebraeo, §. 31. negatum sit per fortunam, cetera quoque adjungere praesidia, quibus instructus forte ipsum *Hieronymum* superasset, quem ea de causa tantopere suspexit, ut, cum ille diceret: „*utinam mereremur amplexus tuos, et collatione mutua*

---

a) Tom. 4. P. 1. pag. 26. *b*) Epist. 65. Tom. 4. Part. 2. p. 601. *c*) Epist. ad Marcellam T. 2. p. 712. *d*) Quaest. Evang. Libr. 2. Cap. 40.

vel doceremus aliqua vel disceremus;" iste subjungat: *„Si tamen esse ullo modo posset, quod ego te docerem e):"* Conf. etiam §. 64.

Critices autem, mi Comes, quanta inter Latinos penuria? Ante recensionem *Hieronymi* ad textum hexaplarem, Job haerebat in stercore, et post septingentorum aut octingentorum versuum jacturam, laceratus corruptusque foetidatem sui publice legentibus obtulit *f*). Similia exempla vide etiam in Praef. ad Pentat. et in 1. ad Paralip. Augustinus autem textum latinum sui temporis in diversis codicibus *ita varium esse ait, ut tolerari vix posset, ita suspectum ne in graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitaretur g*).

Quoniam igitur, mi Comes, nunquam ita noverca natura fuit, ut non etiam in mediis tenebris essent, qui saniora monerent alios; nunquam tam prodiga, ut in unicam aetatem omnes scientiae thesauros effunderet: hinc si recte, si prudenter judicare voles, laudabis *antiquos*, quos aut aetas juvit sacris auctoribus propinquior, aut lingua vernacula, novo testamento communis, aut etiam biblici theatri seu obtutus seu vicinia. Sed laudabis pariter *Neotericos*, qui pro virili parte, cum fide Hieronymi, ejus quoque insistere satagunt vestigiis, eadem omni contentione colendo praesidia, quibus ille suam in scripturis immortalitatem debet. Si ille aurum, argentum lapidesque pretiosos obtulit, isti bene secum agi arbitrantur, si pelles obtulerint, aut pilos caprarum in domo domini; cum vos hactenus quidem nihil praeter foenum et stipulam: ac quod summum malorum est, invideatis meliora offerentibus, et cum hominibus ipsa etiam detestemini munera. Vid. §. 38. 39.

§. 95.

Demum etiam exemplo ostendam, mi Comes, quantopere vestra sententia de Trid. decreto ab summorum virorum judiciis, atque usu aliena sit. Sume Psalmi sententiam: *Verbo Domini coeli firmati sunt,*

---

e) Epist. 72. inter Opp. Hier. Tom. 4. P. 2. p. 615. *f*) in utraque Jobi praef. *g*) Epist. 70. Opp. Hier. T. 4. P. 2. p. 611.

et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum a) de qua juxta *Sixtum* Senensem *b)* tam unanimis est ss. patrum sententia, qui haec de ss. trinitate intelligunt, ut *Catharinus*, alias *Ambrosius* Compsanus Arcniepiscopus, ac demum Cardinalis, *Cajetano* succenseat, quod primus ab eorum sensu in suo Commentario recesserit *c*). Nec mirum: tam enim haec in Latinis et Graecis illi mysterio favent, tamque error proclivis est, ut sine textu Hebraeo facillime in eum possis concedere, praesertim eo pio studio, quo antiqui confirmandis dogmatibus, unde collectis quam plurimis locis, operam dabant. *Dominum* ergo sumserunt pro patre; *verbum* (λογος) pro secunda trinitatis persona; quia haec vocabuli notio ob Joannis caput primum nec Latinos nec Graecos poterat latere. Post ista autem quis jam dubitet, *spiritum* (πνευμα) esse spiritum s., tertiam trinitatis personam?

Sed, mi Comes, quaeras Rabbinum, qui doceat veterum Hebraeorum usu loquendi *verbum* et *spiritum d)* adhibitum esse de *divinis personis*. Nullum qui id praestet invenies, quia nullum exstat exemplum. *Verbum* enim tam late patet, ut *res* latinorum, tantum non de divina persona. *Spiritus* autem praeter plurima alia, divinam potentiam, divinamque illustrationem, ut in prophetis videmus, exprimit quidem saepius, sed de *persona* nullum certum exemplum est. Nisi ergo arbitrarias fingis significationes, quod scelus est in profanis et sacris, sensum sententiae hunc statues: Soli mandato, soli jussui divino hoc universum suam debet originem. Hoc suadet *parallelismus membrorum*, quem obvie in psalmis videas, ut quod primo versus membro dictum est, in secundo aliis verbis repetatur. Suadet contextus; illico enim subjungitur: v. g. „*Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.*“ Est ergo hic expressum summum illud et Hebraeis notissimum dogma, quod Genesi I. ad singula opera recurrit, cum dixit Deus, „*Fiat lux, et facta est lux. Fiat firmamentum, fiant luminaria* etc. quod similibus verbis repetitum

a) Psal. 33, 6. בדבר יהוה שמים נעשו וברוח פיו כל-צבאם.
b) Biblioth. s. Libr. 5. Annot. CLXVIII. pag. 651.
c) ibid. coll. p. 309. *d*) דבר רוח.

habes Psalmo, 48, 5. „*Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*,“ et alias saepissime indicatum.

Jam quaero ex te, mi Comes, si toto corde credens trinitatem, illi Psalmi sententiae praedictum sensum tribuo, praevaricatoremne me dices Tridentini decreti, aut Rationalistam? Circumspice quid dicas, non enim sine sequelis erit, quidquid dixeris. Si negas, fateberis una iniquitatem accusationis tuae; simulque prodes causam commilitonum. Si affirmas, urgebo te auctoritate virorum, quos a §. 86 — 91. hactenus attuli, quibus adjungam *Pagninum*, *Vatablum*, *Oleastrum*, *Menochium*, *Tirinum*, *Calmetum*, *Adolphum* Jaurinensem quondam episcopum, quorum cujusque digitus minimus grossior est Magistro tuo. Et tamen ultra hos etiam paratae sunt suppetiae, quibus ego, nisi mature cogitaveritis quae pacis sunt, profligatos in campo totis etiam castris exuam.

§. 96.

Accipe alia exempla, ut intelligas in summa fontium V. T. penuria, viris secus doctissimis, dum pio prorsus studio sua confirmare quaesierunt, in argumentorum delectu, nihil etiam suspicantibus obrepsisse errores. Notant commentatores, illud Genesis „*faciamus hominem a*)“ et „*Dominus pluit super Sodomam ignem a Domino b*),“ veterum multorum consensu usurpari de pluralitate divinarum personarum: ego tamen non nisi *concilii* 2. *Sirmiensis* contra Photinum A. 357. de iisdem locis proferam sensa. Illud autem utrumque hunc locum sub *anathemate* intelligendum praecipit de *patre et filio c*). Pie tamen id magis, ut existimo, quam vere. Quid enim obstat, priorem locum de plurali majestatis exponere, quem usitatum fuisse Hebraeis nec tuus dubitat Magister *d*). In altero autem repetitam vocem *a Domino* pro pronomine positam dicere, uti id obvium est in sententiis „*Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum e*),“ alias: „*in die, qua creavit Deus*

---

a) Genes. 1, 26. *b*) ibid. 19, 24. *c*) prior. Can. XIV. post. XVII. vid. Collect. Concil. reg. max. Tom. 1. p. 703. *d*) Gramm. Hebr. p. 141. *e*) Gen. 1, 27.

hominem, ad similitudinem Dei creavit illum f). Et illud juxta hebraeum: „*Dixit Moses Hobab-socero Moysis g).* Quod jam Hieronymo intolerabile fuit, eoque morem Hebraeorum loquendi secutus, pro *Moysis* posuit pronomen *suo.* Quibus si addas priori §. memoratos viros, qui illis locis nec trinitatem nec pluralitatem personarum viderunt, intelliges, talia non odio mysteriornm, sed conformiter usui loquendi, diverso a Patribus sensu intellecta fuisse.

§. 97.

Satisfit Magistro.

Stabilito hactenus a §. 85. decreti Trid. sensu, etsi vereor, mi Comes, ne succenseas, tamen hac vice momentis primum, quae tuus ad speciem Magister attulit, satisfaciam, tuis postea responsurus. Primum ea ponam, quae dictis prioris §. opponuntur; post illa, quae adversus praedictum decreti sensum congessit.

Is igitur fassus ab Hebraeorum usu loquendi alienum non fuisse pluralem eminentiae de Deo atque hominibus, subjungit: „Etiam illa loca, ubi Deus loquens est in numero plurali, quin hoc nomen Dei, quod numeri pluralis est, illic positum sit, iidem Hebraei ad indicandam in Deo amplitudinem dignitatis atque potentiae pertinere volunt, quale illud est: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Gen. 1, 26 et: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Gen. 3, 22 et: *venite descendamus et confundamus linguam eorum.* Gen. 11, 7 et: *quem mittam, et quis ibit nobis?* Isaj. 6, 8. Non est autem hic ista ratio. Secum enim Deus loquitur; nec erga se ipsum aliquam exhibuit ostensionem potentiae. Magis ergo illud est, quod ego etiam in mea scripturae s. interpretatione ad ista loca, Patrum secutus vestigia, probavi esse ista sic posita, ut tres in Deo personae indicentur *a*).“

Dabis, mi Comes, conveniens esse, ut quoniam de eruendis sublimissimis mysteriis hic agitur, et lex as-

---

f) Gen. 5, 1. *g*) Num. 10, 29.

a) Gramm. Hebr. 141.

similationis latissime patet per omnem naturam, explicatio quoque Magistri tui similis esset mysterio. Dicam ergo, quomodo profundissimam illam initio istorum positam hermeniae regulam, quantum ex additis exemplis assequi potui, intelligam. Docet nempe Magister tuus: Etsi pluralis eminentiae alias adhiberi consuevit de Deo, sine indicio plurium personarum; tamen quotiescunque Deus de se loquitur ita, ut verbum, aut pronomen plurale adhibeat, nec tamen in sententia nomen Dei (Elohim.) formae pluralis aperte sit positum: toties ipsam ss. trinitatem expressam fuisse censendum sit.

§. 98.

Nunc, mi Comes, quinam mihi super hac sublimi regula in animo subnati sint scrupuli, sine testibus promam. Docent grammatici, quodvis verbum finitum poscere nominativum expressum, vel subintellectum: docet res ipsa, nominativum tribuere formam verbo, et non vicissim; ut nisi praevie scias, unicumne sit, vel plura individua, quibus verbum conjungas, anceps haerere debeas, ad singularemne, an ad pluralem inflectas; prorsus ut praedicatum prius concipere aut enunciare de suo subjecto non potes, nisi ipsum prius in ea relatione noscas subjectum. Cum itaque sermo scripturae s. fatente Magistro usquequaque humanus sit, diu jam scire laboro, unde ea prorsus divina efficacia sit sermonis scripturarum, ut si Deus de se loquatur verbo aut pronomine plurali, simulque adsit Elohim, nomen Dei pariter plurale, tantum solus pater; si vero absit nomen *Elohim*, tota trinitas loqui censenda sit, cum tamen verbum plurale suapte requirat etiam nominativum pluralem tacitum aut expressum?

Huic rei causam gravissimam subesse, propter Magistri dignitatem non dubito, an assecutus sim, judex esto. Si et verbum et nominativus in plurali essent, non satis apta forent exprimendae et unitati essentiae et pluralitati personarum. Cum itaque, ut bene videt Magister tuus, verbum suam formam a nominativo accipiat, nominativum pluralem excludi oportuit. Si hoc est, mi Comes, praefiscine dictum sit, qui tanti inventi gloriam mihi vindicem jure meo, negare non potes, id esse longe ingeniosissimum, nec ab seculo Hermeniae accensam consimilem facem.

Hoc reperto, via etiam ad majora patet. Docet Magister tuus „*Elohim est numerus pluralis in locum singularis ad Dei majestatem indicandam* *)," nihil ergo jam interest, an *Elohim* tacitum sit vel expressum; modo enim Deus ipse loquens verbum aut pronomen adhibeat plurale, certissimum pro trinitate argumentum erit. Quid enim vetat dicere, *Elohim* usurpatum pro singulari? Progredior, nec vel hoc mihi amplius curae est, an Deus in plurali loquatur, Fac enim praesente *Elohim*, verbum in singulari sit; tum pluralis Elohim tres personas, verbum singulare unicam divinitatem indicabit. Vide jam, mi Comes, stupendum novi inventi proventum. Magister tuus pro trinitate non ultra quaterna argumenta dedit, ego centurias argumentorum peperi, quia quotiescunque Deus loquitur, toties decretorium pro eo mysterio argumentum est, cum jam nihil intersit, *Elohim* adsit annon adsit, sitne verbum singulare, an plurale, quod Deus usurpat. Ut saepe res parvae saluti erant imperiis, sic istoc fidei et religioni proficiet! Bone Deus, quam bene hanc sibi locatam operam dicent dogmatici!

§. 99.

Nunc libet *polytheistam* esse, mi Comes; nam et isto honoris genere *Neotericos* dignatus est Magister tuus, ut ostendam inferius. Dicam ergo: „*Dii crearunt coelum et terram.*" Quid rides? An mihi non licet, quod libuit Moysi? Abrahamum ille sic inducit loquentem: „*eduxerunt me Dii de domo patris mei a*)" et auctor LL. *Samuelis* sic orantem Davidem: „Quae est autem, ut populus Israel, gens in terra, *propter quam iverunt Dii ad redimendum eum b*)? Si dices, Moysem monotheismi esse statorem, eoque eas sententias ex usu loquendi explicatas, cum analogia fidei Mosaicae in concordiam adducendas esse, tibi plane assentiar. At vicissim petam, ut et Magister tuus tam certam, tam perspicuam reddat rationem, quare absente *Elohim*, verbum aut pronomen plurale ss. trinitatem indicet, tametsi is ultra fatetur, et plura-

---

*) Gramm. Hebr. p. 177.

a) התעו אתי אלהים מבית אבי Gen. 20, 13.

b) אשר הלכו אלהים לפדות־לו 2 Sam. 7, 23.

lem eminentiae usurpari Hebraeis de Deo, et *Elöhim* pluralem usurpari pro singulari *c*)? Si enim cuique commenta sua pro regulis inviolabilibus praescribere licebit aliis, nulla addita causa, nullis rationibus, tum ego, mi Comes, sine labore ex *Evangelio* faciam *Coranum*, et ex *Corano Evangelium.*

Sed inquis: addit perspicuam causam, cum dixit in locis citatis §. 97. „*Secum loqui Deum, nec erga se exhibuisse ostensionem potentiae.*“ Audio: sed tunc credis, mi Comes, ea verba Deum reipsa locutum esse? Obsecro dic mihi, quo sermone tunc ss. trinitas locuta est? Hebraeone? non credo; cum enim dixit „*faciamus hominem*“ etc. nemo adhuc in terris exstitit, ergo nec sermo hebraeus. Tum autem, quis vel Adami sermo fuerit, adhuc sub judice lis est. Sed dedero hebraeum fuisse, non tamen ille a Deo est inditus, cum omnis reflexe cogitans ac in societate vivens, sibi ipsi formet sermonem, ut te et vetus docet historia et recentior rudium populorum. Ista, mi Comes, ut passim de Deo caetera, anthropomorphica et anthropopathica sunt, nisi et illud credas, quod „*tactus dolore cordis intrinsecus, dixerit: delebo hominem*“ etc. *d*). Si vero sic, tunc Moses pluralem eminentiae usurpavit, ut centies alias, quin cogitare possis de tanto mysterio.

§. 100.

Si dixeris, mi Comes, cum Magistro tuo, supra §. 97., eam regulam sumtam esse a patribus, qui talia loca de trinitate exponant, adeoque tractam esse ab ipsis Apostolis: Repono, rem esse ridiculam et prorsus absurdam, ubi de grammatica, de usu loquendi hebraeo sermo est, Graecos atque Latinos advocare judices, qui eam linguam prorsus ignorarunt. Vide quid supra fecerit Hieronymus, quotiescunque de *hebraica veritate sermo* est? Hebraeos consulit, Tiberiades academicos magno aere redimit, ut Graecos Latinosque doceat, quid habeant Hebraei. Vide §. 68. Non dubito jam, mi Comes, quin vos, si de usu latino lis erit, e Comorino evocaturi sitis Brahmanes!

---

c) Gramm. Hebr. p. 140. 141. 177. *d*) Gen. 6, 6. 7.

Fateor, mi Comes, Patres *trinitatis doctrinam* accepisse ab apostolis: quis enim de hac re dubitet in tanto consensu? at suo ingenio eam intulisse illis locis, ubi per se non exstat. Errasse ergo *exegetice*, non *dogmatice*, cuius exemplum tibi manifestum dedi supra §. 95. Alioqui quomodo e plurali *faciamus* inferre poterant tres personas, cum indeterminata forma verbi etiam centenas possit exprimere? Si dicis, in novo foedere tantum tres esse revelatas, fateris, contra naturam rectae interpretationis, mysterium illis locis illatum, non illinc eductum esse. Tum autem quam estis vos protervi homines, qui in *faciamus hominem*, trinitatem statuatis, cum tamen concilii Sirmiensis patres sub anathemate sanxerint: non nisi *Patrem* et *Filium* esse expressum? supra §. 96. Haec illa vestra est patrum, conciliorumque reverentia?

Demum, mi Comes, ut non dubium est *Trinitatis doctrinam* ab apostolis accepisse patres, sic neque dubitandum, relatam supra §. 97. regulam proprium esse tui Magistri figmentum. Dic obsecro, quis apostolorum demto Paulo plus scivit e grammatica hebraea, quam nostri piscatores e grammatica vernaculae suae? Quis apostolorum e grammatica argumentatus est? Annon vides Matthaeum, Joannem, Petrum etc. nude adducere dicta, quin unquam ad eas se minutias demittant? Si ergo patres universi vel maxime consentirent in iis locis interpretandis, causam tamen, quam tuus assignat Magister, semper arbitraria foret, quoniam de eo fundamento nemini constare potest, repugnantibus insuper Hebraeis, ut ipse fatetur Magister *a*), qui tamen soli testes esse possunt de usu loquendi.

§. 101.

Nunc, mi Comes, ea ipsa exempla expendam, quae pro sua regula §. 97. attulit Magister tuus. Dic, quis ea verba: *faciamus hominem* etc. protulit, Michaëlne an Gabriël? Si ergo ne id quidem nosti, nisi e contextu addas *Elohim*, quo jure Magister a ss. trinitate prolata haec esse commentus est? Si vero addis *Elohim* formae pluralis nominativum, proprio

---

a) Gramm. 140. 141.

exemplo ficta illa regula exploditur *a*). Adde, eundem numeri pluralis nominativum, in eadem sententiola, construi cum verbo singulari *dixit*, et pariter cum plurali *faciamus*: latebit ergo in *dixit* unitas deitatis, in *faciamus*, trinitas personarum. Dic, an vos non sitis frivoli nugatores in sanctissimis mysteriis, sine omni sensu decori, quem natura etiam rudibus, et fere vividiorem, erga talia indidit?

Idem prorsus est in secundo exemplo: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* §. 97. Iterum nescias angeline loquantur an archangeli, nisi totam sententiam adhibeas: *Et dixit Jehova Elohim ecce Adam factus est quasi unus ex nobis b*). Pugnat ergo exemplum cum regula, quia adest *Elohim* nominativus pluralis. Caetera eadem ut supra.

Sic et illud: *Quem mittam et quis ibit nobis* Isaj. 6. 8. ut enim scias, quis loquatur, adjungendus est nominativus *Adonai*, cum plenaria eclipsi commentitiae regulae, quia nominativus est numeri singularis.

Denique, in quo se maxime ridiculum fecit Magister tuus, est Genesis 11, 7.: *venite, descendamus et confundamus ibi linguam eorum*; quorum iterum auctorem ut scias, nominativum sumere debes e V. 6, ubi est *Jehova* numeri singularis; quod, ut superiora, fictam regulam pariter evertit. Sed illud gravius est, mi Comes, quod stante illa regula, juxta Magistrum tuum confusio linguarum sic gesta concipi debeat. Primum *descendit Jehova* (Gen. 11, 5.) ut videret *turrim*; postea redux in coelum, evocat Filium et Spiritum Sanctum: *venite descendamus et confundamus linguam eorum.* His autem renuentibus, versu demum 8. totum negotium peragit solus Pater. In toto contextu unicus nominativus est *Jehova* singularis; verba alternant singularia et pluralia sine ulla lege e rerum natura fluente, sed ad libitum unice s. auctoris. Quomodo ergo Magister ex his extundere potuit mysteria? An haec ejus agendi ratio convenit numinis sanctitati? An si *Neoterici* tale quid dicerent, vos momento dubitaretis, eos qui hactenus *polytheistae* sunt, proclamare ut atheos, quibus nullus insit sensus reli-

---

a) ויאמר אלהים נעשה אדם. Gen. 1, 26. *b*) ויאמר יהוה אלהים חן מאדם היה כאחד ממנו. Gen. 3, 22.

gionis, nullus numinis metus et reverentia? Ignaros ergo zeli ostentatione et catholicitatis fuco fallitis, rerum gnaris estis derisui.

Vide jam Magistrum tuum, ut ille *Rabbinis* et *Socinianis* accenset, qui in *faciamus hominem* trinitatem non vident: „*Judaeorum Rabbini, ait, et post eos Sociniani in hac locutione numero plurali, non aliud quam personae loquentis eminentiam putant esse expressam; — — sed hoc non esse ex ingenio linguae hebraeae, etiam in institutionibus meis grammaticis jam demonstratum est.*" Respicitur nempe ficta regula, quam supra §. 97. retuli. Confer etiam §. 27. in fine. Est sane, mi Comes, cur hoc Magistro glorieris, est etiam cur publicae institutioni nostrae gratuleris: his enim imbuti auditores, velut ille *Pyrgopolinices* (§. 9.) unico pugni ictu, rationalistarum prosternent phalanges!

§. 102.

Sed jam quae adversus *Trid. decreti sensum* §§. 85—96. expositum, tuus, mi Comes, ferat Magister expendam: Tu ergo animum arrige.

Quod in decreto habetur: *ne quis contra sensum ecclesiae et contra unanimem consensum ss. patrum interpretari audeat*, hoc Pius IV. Pontifex in formula fidei sic expressit: „*Sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet s. mater ecclesia, cuius est judicare de vero sensu et interpretatione ss. scripturarum admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum patrum accipiam et interpretabor,*" quibus verbis everti putat Magister, quae de Trid. decreti sensu statuunt *Neoterici;* et serio praecipit ab ecclesiae sensu et unanimi consensu patrum non latum unguem recedendum. Non mirum, in his enim, ut supra §. 28. vidisti, constituit *supremum principium a*). Hic jam singula rite discernenda sunt, mi Comes, ne quam fraudem tibi paret Magister tuus.

Primum ergo de *sensu ecclesiae.* Quomodo ecclesia locum aliquem scripturae intelligat, scire, mi Comes, tantum potes e generalibus conciliis, in quibus ex professo quorumdam locorum definitus est sen-

---

a) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 3. §. 17. p. 27. e Instt. N. T. Tom. 1. §. 38. p. 149.

eus. Qua in re nullam esse difficultatem, jam nosti e §. 72. ubi *Jahnius* ultro fatetur, ab ecclesia definitum sensum reverenter suscipiendum esse, tamquam ab infallibili judice doctrinae et legitimi sensus profectum. Sed hoc *Necterici* a vobis scire cupiunt, quomodo vos interpretari possitis scripturam ex sensu ecclesiae, quando illa non unam centesimam partem locorum dogmaticorum aut moralium interpretata est? Haerebit vobis aqua in omni capite scripturae, ubi id genus argumentum est; nec, unde petatis opem habebitis. Sensit hanc difficultatem Magister, eoque quid ille excogitaverit audi.

§. 103.

Ad *ecclesiae sensum* ille non modo refert textuum expositionem ex professo, sed etiam quidquid argumentorum instar adhibetur in conciliis. In exemplum ponit Joh. 20, 22. „*accipite spiritum s.*“ etc. non advertens, aut forte studio illudens ut alias, loci illius sensum ex professo definitum esse *a*). Neque haec modo, sed infallibiliter quoque determinata censenda sunt, quaecunque etiam per occasionem tantum interseruntur. Imo illud quoque, „*quando ei quod in verbis scripturae est, usus constans et praxis consentit ecclesiae universae b*).“ In quibus vel *hysteron proteron* est, vel apertum figmentum. Non enim de eo quaeritur, an quod in scriptura est, praxi consentiat ecclesiae, sed quid in ipsa scriptura sit? Alioqui multa sunt in scripturis, quae praxi ecclesiae non conveniunt, uti tota lex vetus, communio bonorum, olim in Jerusalem *c*); lex item abstinendi a sanguine et suffocato etc. *d*). Quod si autem dicere voluit, omnem eum sensum esse verum, qui praxi consentit ecclesiae, tunc sufficiet, quovis loco pium aliquem sensum fingere, qui eo ipso et verus erit: ut si *spiritum dei vel domini* dicas esse tertiam trinitatis personam; vel ubi occurrerit *confiteri*, ubi *sancti*, ubi *filius dei*, dicas de auriculari confessione, de invocatione sanctorum, et de Christi divinitate esse sermonem: omnia enim apprime cum praxi ecclesiae consentiunt.

---

a) Sess. XIV. de Poenit. Can. 3. *b*) Instt. N. T. Tom. 1. §. 39. p. 151. *c*) Act. 4, 32. *d*) ibid. 15, 22 — 29.

Si autem hoc dicere noluit, dixit prorsus nihil, cum maxime pollicitus est docere, unde genuinum sensum ecclesiae agnoscas. Neque etiam ad rem est, quod addit exemplum, tamquam ex adoratione eucharistiae in ecclesia frequentata inferendum sit, verba institutionis: *Hoc est corpus meum* etc. accipienda esse proprie. Cum enim praeter usitatam nulla alia detur illorum verborum interpretatio, quae in dogma non offendat, ejusmodi autem sensum tamquam impium omnes etiam *Neoterici* repudient, suapte patet, hoc potius principio utendum fuisse, non autem *praxi ecclesiae*, a qua, ut ostendi, multa dissonare possunt, quin ideo falsa sint. Aut si jam exemplum de eucharistia usurpare voluit, juxta naturalem ordinem sic dicendum erat: verba institutionis patres et ecclesia semper intellexerunt sensu proprio: ergo sensus hic profectus est ab ipsis apostolis. Hinc autem inferre poterat etiam adorationem; non autem ex adoratione sensum verborum institutionis: quia adoratio non continetur in verbis „*hoc est corpus meum*," sed solum sequela est e legitimo sensu verborum. Quo facto et naturalem, qui rebus ipsis inest ordinem, servasset, et simul claritati consuluisset.

Pro coronide adhuc tibi addam, mi Comes, unam sanctionem Magistri *de sensu mystico*. Nempe infallibiliter certus is erit, vel ex unanimi sensu patrum, vel „*ex professione ecclesiae in aliquo ejus statuto ad universam ecclesiam sese extendente e*)." Jam ergo, si Magistrum tuum satis intelligo, ad acta conciliorum accedet etiam *bullarium romanum*, tamquam norma interpretationis, quod memoriter tenere debeas, si sine salutis periculo legere voles scripturas. Addes etiam *breviarium* et *missale*, quia statuto ad universam ecclesiam pertinente inducta sunt. Ex hac autem regula quales ludos edat Magister tuus, unico exemplo docebo. Etsi enim summus interpres es, vereor tamen, ut scias, *Jacobum* dum scalam in somnio vidit etc. *f*), fuisse typum Christi redemtoris. Ego certe hoc mysterium sero didici. Sed jam audi Magistrum: *Ergo Christi typus Jacob dormiens, et hanc videns scalam fuit. Quonam vero modo? Christus*

---

e) Instt. N. T. Tom. 1. §. 18. p. 83. *f*) Gen. 28, 11 — 15.

devicta morte, aeternitatis nobis aditum reseravit, ut est in oratione dominicae Paschatis g). Beatos nos! mi Comes, jam enim non *pili modo caprarum* (§. 5.) in mysteriis erunt, sed non frutex, non folium, non herba remanebit in Libano, quae hac via modoque non infallibiliter suam interpretationem accipiat. Sed de his lege *Muratorium* de Ingen. Moder. *h*): utque intelligas ne *Paulum* quidem semper indubitatis argumentis usum, conferas si lubet *Canum* in Loc. Theol. *i*) et praecipue *Hieronymum* in Apolog. advers. Jovinianum *k*).

Manet ergo immotum, si nomine *sensus ecclesiae,* non ejus fidem atque doctrinam, sed exegesim ab ea profectam intelligitis, messem fore tam parcam, ut hac via non centesimae partis locorum moralium et dogmaticorum sensum intelligatis.

§. 104.

Ad *unanimem consensum patrum* venio, mi Comes, quem vos in ea fidei formula §. 102, pariter non *de fide* et *doctrina* illorum, sed de *sensu scripturae* sumi praecipitis, quem illi unanimiter tradidissent. Vos, ut video, mi Comes, quaeritis in turbido piscari, et piis sententiolis illudere imperitos, vestram ostentare in patres pietatem, et *Neotericis* tamquam istorum contemtoribus, velut aliud agentes, infigere genuinum. Sed post paulo limam opponam vestris dentibus. Huc faciet, si vagas voces „*unanimis consensus patrum,*" quas tam confidenter jactatis, paululum illustravero, ut intelligant lectores, leges a vobis rogari, a quarum observatione vosmet primi eximitis: nec parum a nobis usurpari de eorum supercilio, qui onera imponebant aliis, quae minimo digito ipsi non attigerunt. Itaque

Primum observo; cum de epocha patrum dissentiant scriptores, eamque alii septimo, alii seculo decimo tertio concludant, ut erga vos liberalis sim, eorum agmen claudet *Gregorius M.* († 604.)

Alterum, quod postulo jure meo, illud est, quo

---

g) Instt. V. T. Edit. 1. Part. 2. Sect. 3. p. 344. *h*) Libr. 1. C. 13. p. 128. et Cap. 19. p. 191. *i*) Libr. VII. Cap. 3. Concl. 4. p. 136. Col. 2. *k*) Alias Epist. XXX, Tom. 4. Part. 2. p. 236.

veraciter, et salva juris jurandi religione *unanimem consensum patrum* praetendere possitis, minime sufficturum, ut dicatis, sic *Hilarius*, *Ambrosius*, *Augustinus*; vel etiam nullo citato nude asseratis, esse *unanimem omnium consensum*. Quantacunque enim priorum sit in exegesi auctoritas, non illi tamen vos ab obligatione indagandi adferendique universos possunt absolvere, nisi perjurii, etiam fucum facere vultis lectoribus. Quam autem posteriori generali asserto parum tribuendum sit, satis jam doctus sum experientia ibi etiam, ubi unanimis consensus praetenditur in ea quoque re, quae inter Latinos ante seculum quintum inaudita, inter Graecos autem inde ab exordio in praesens nondum audita est.

Tertium illud exigo, ut qui unanimem sensum praetendat, non eos modo patres inspiciat, qui in librum quemdam ex professo commentati sunt, sed omnes omnino patres per omnia legerit et noverit; cum experientia constet obvia, plurimas in decursu operum sententias exponi eorum etiam librorum, in quos nulla commentaria ediderunt. Alioqui cum in paucos libros universi commentati sint, uno alterove inspecto praetendere unanimem consensum, nil nisi impostura foret.

Quartum a vobis peto, ut non continuo Patrem in vestram sententiam testem esse existimetis, si hunc vel illum sensum in illo repereritis. Meminisse enim oportet, unumquemque Patrem profecisse cum tempore, eoque ubi dies diem docuit, mutasse etiam sententias: cuius rei illustre exemplum habetis in libris retractationum Augustini, et in praefatione Hieronymi ad commentarium Abdiae *a*), ne alios vobis commemorem, qui ardore scribendi et ab scientia nondum ad opus satis parati, etiam gravius deliquerunt. Nisi ergo sciveritis, an quaslibet sententias constanter retinuerint, non nisi fallaciter praetendere eum sensum poteritis.

Quintum autem non minus aequum est, ut non contenti qualicunque sensu, eum unice adferatis, quem universi, qui de aliquo loco suam mentem indicarunt, tamquam *certum et indubitatum* tenuerunt. Postulat id et ipsa res, et Pallavicinus quoque, qui

---

a) Tom. 3. p. 1453.

opinantium more loquentes, etsi unanimes, sine piaculo deseri posse post alios docuit *b*).

Sextum denique omnium maxime a vobis postulo, ut illam distinctionem notissimam, erroris nempe *exegetici* et *dogmatici*, perpetuo in oculis habeatis. Iste foret, si patres consentienter falsam doctrinam traderent: quod fieri non posse, non *Catholicis* modo, sed nobis quoque *Neotericis* persuasissimum est. *Alter* tunc est, dum vera certaque doctrina, optimo animo probatur e scripturarum sententiis, in quibus ea de re nihil exstat; seu dum certissimum dogma nullo aut labili argumento probatur. Hic error natura sua innoxius est, quia non peccat adversus doctrinam, sed adversus eruditionem, dum non rite probatur doctrina: atque huius generis errores, uti semper erant in ecclesia hactenus, sic nec unquam deficient in posterum, nisi dicatis omnes exegetas, dogmaticos, moralistas, ascetas ita et fuisse hactenus, futurosque esse etiam in posterum perfectos interpretes, ut in libris totius orbis difficillimis nunquam aberraverint, aut erraturi sint a mente ss. Actorum. Alioqui si cum similiter errantibus tamquam cum haereticis litigare voletis, opus erit perpetuis conciliis, quo id genus scriptores continuo damnentur. Quod si fieret, quovis pignore certo, mi Comes, neminem frequentius damnandum quam Magistrum tuum, quoniam nemo crebrius errat in exegesi ac ille in commentario.

Hinc jam vides, mi Comes, fieri plane posse, ut etiam Patres unanimiter, seu vitio versionum, seu quovis alio ab sententiae cuiuspiam sensu aberrent, quin ideo errent in doctrina: seu quod idem est, possunt universi nullo aut labili argumento uti in confirmanda vera doctrina; neque interest, an universi unanimem errent errorem, an varii varium, uti de utroque erroris genere docuit *Pallavicinus c*): sicque alium quempiam sensum posse esse verum, etiamsi a *Neotericis* primum prolatum, qui illis in mentem non venerat, ut idem *Pallavicinus* ait loco citato, consentiente *Cajetano*, *Azorio* supra §§. 90 et 91. allatis. Huius rei ut puto perspicua tibi exempla dedi §§. 95 et 96.

---

b) Hist. Concil. L. VI. C. 18. No. 5. p. 247. *c*) ibid. No. 2. p. 246. et No. 5. p. 247.

Quare si certa et perspicua adsit ratio exegetica, quae traditum a patribus sensum nullatenus admittit, novum autem ostendat sanae doctrinae minime *repugnantem*, tunc semper sui juris esse putaverunt interpretes, Patrum sensu cum honore seposito, praeferre novum, quem usus loquendi exegisset. Hinc vides, mi Comes, in his rebus sane exercitatissimus, commentatores atque dogmaticos, illos etiam qui in Hispania aut in Italia scripsissent, dudum ante Magistri tui ortum et *Neotericorum* natales, seposuisse cum honore tamque insufficientes et aliud sonantes, textus illos plurimos, e quibus ss. patres pluralitatem, aut trinitatem personarum probaverunt. Et certe si offucias Magistri tui consideres §. 97 — 101. allatas, fateberis talia, ratione qua ille tractavit, magis apta esse ad irridenda, quam ad commendanda, aut Rationalistis approbanda mysteria.

§. 105.

Ubi definivi hactenus, mi Comes, quid in interpretatione praestare debeatis, si in formula fidei *sensus ecclesiae* et *consensus patrum* non de doctrina fideque ecclesiae, sed de interpretatione scripturarum sermo sit, nunc vestrae objectioni facillimum erit respondere. Dico igitur

Primo: quam sapiens est decretum concilii sess. IV. sensu supra §. 85 — 96. deducto, tam insipiens erit in hac fidei formula interpretibus praescripta norma, si vestro sensu intelligatur. Jurat enim in hac interpres, se nunquam nisi *juxta sensum ecclesiae* et *unanimem consensum patrum* interpretaturum scripturas: ergo salva juramenti religione non alios textus interpretari audetis quam eos, super quibus per ecclesiam in conciliis, vel per unanimes patres sensus exstat infallibiliter definitus. Obsecro, mi Comes, an omnes interpretes cum tuo delirant Magistro, qui nobis aut quorumdam librorum, aut omnium a genesi usque ad apocalypsim commentaria dederunt? Inspice, an ab Origene usque ad tuum Magistrum quisquam sic interpretatus sit? Annon loca dogmatica et moralia, nulla ecclesiae, nulla unanimium patrum facta mentione pro sui quisque edisserat modulo ingenii?

Sed Magistrum considera. *Rabbinus* aut *Socinianus* est, qui illud: *faciamus hominem* etc. *a*) de tri-

K

nitate non capit (supra §. 101. in fine). Quam ob rem? quoniam *Ambrosius*, *Basilius* et *Augustinus* sic intellexerunt: his additur „*et communiter patres b*)." Non recipio, quia nihil nisi aequissimum postulo, ut si unanimem consensum patrum jactare vultis, conditiones priori §. positas, impleatis. In caeteris autem textibus §. 97. adductis, nec has quidem auctoritates invenies; imo ad locum gravissimum Matth. 28, 19. de quo videre potes §. 77., ne vocula quidem notata est in Commentario! Eandem summam incuriam promissorum, et neglectum sanciti hic ac juramenti religione suscepti principii obvie experiri potes in scriptis universis Magistri. Cogita, mi Comes, ad locum Psalmi 32, 6: *verbo domini coeli firmati sunt* etc. in quo non dubium est de veterum unanimi consensu §. 95. tribus verbis commemoravit *Augustinum* et *Gregorium M.* qui de trinitate sumserint! Nisi istarum jam taederet nugarum, facillimum foret, longam tibi similium exemplorum enumerare seriem: nunc unicum tibi suadeo, ut quoniam juxta principia tui Magistri §. 103. prope omnes scripturarum sententiae, quaecunque in Tridentino occurrunt concilio (occurrunt autem frequentissime) infallibilem interpretationem acceperunt, obviam quamque deligas, et cum ejus Commentario compares, ut experiaris, quam ille, demtis locis paucissimis, quorum sensus expresse definitus est, caeterorum nullam prorsus habeat rationem, nullam prorsus faciat mentionem concilii. Hinc autem statues, quid de vetustioribus synodis exspectandum sit.

Hiccine ergo est, mi Comes, erga *sensum ecclesiae et unanimes patres* tuo toties decantatus Magistro honos, reverentia, obsequium? Haeccine est summo principio, quod in ecclesiae sensu et patrum consensu sibi constituit (§. 28.), debita observantia atque fides? Haeccine intemerata jurisjurandi religio? Annon dixi §. 104. initio, vos leges rogare aliis, quin ad vos ullatenus attinere existimetis? Gravis prudensque Magister, mi Comes, severior in se, indulgentior est in alios: Magister e contra tuus, ubi velut sarcinaria jumenta oneravit caeteros, se tamquam

---

a) Genes. 1, 26. *b*) Comment. ad h. l. Tom. 1. pag. 86.

pullum onagri in deserto, liberum natum putat. Quam astute! quam callide! Non dubito, mi Comes, illum saepe apud se suaviter ridere hominum stultitiam, qui sibi credidissent. Ego mature hanc introspexi hominis fallaciam, cui protrusae undique pendent hederae, sed nullibi merum venale: dilutum, insipidum, vapidum est, etiam inter buccinas oblatum. Haec vestra histrionia est.

§. 106.

Secundo: insipiens quoque est vestro sensu ea professio, quia fini, in quem statuta est, nec respondet nec sufficit. Cum enim ad multitudinem locorum dogmaticorum et moralium quae per totam scripturam obvia sunt, nec una centesima quidem pars, seu per decisionem ecclesiae, seu per unanimes Patres explicita et definita sit; sequitur, in longe maxima parte scripturarum nullam interpreti suppetere normam, cujus ductu perniciosos vitet in interpretando errores. Licebit ergo in nonaginta novem centesimis, nulla doctrinae, nulla fidei habita ratione, juxta adamatam magistro phrasim, *suo ingenio ferri per scripturas*, et omnia si lubeat susque deque vertere: quod cum absurdum sit, vel inviti fatebimini, stante infallibili magisterio ecclesiae, regulam sess. IV. traditam, et ut supra exposita est, normam continere tam absolutam, ut hac una servata, plenissime sit cautum, quominus perverse commentando sanae doctrinae praejudicetur. Cum igitur hic scopus sit et decreti et illorum verborum in fidei formula, dic jam, mi Comes, annon sit a prudentia alienum, qui habere possitis in utroque documento, normam certam et absolutam, utrumque violenter in eum sensum torquere, ut manca, fini ac necessitatibus incongrua, et ut paulo post videbis, nulli prope usui sint?

§. 107.

Tertio: quisquis illam fidei formulam profitetur, nec ubi ab ecclesia et unanimibus patribus infallibiliter definitum sensum seu negligat, seu quaque ratione pervertat, vides, mi Comes, illud inomisse requiri, ut singula scripturarum loca, quae suam interpretationem inviolabilem jam accepissent, in numeratis habeat; alioqui perjurus, si latum unguem deviaverit. Id vero qui fieri possit, nisi pro sensu *literali* concilia, universosque *patres* pro *mystico*,

juxta scitum tui Magistri §. 103., omnia *statuta ad universam ecclesiam pertinentia* penitissime norit, et praesentissima semper teneat memoria, non sane intelligo. Ad hoc vero incommodum illud accedit etiam gravius, quod eam formulam profiteri debeant universi praesules, universi secularis et regularis cleri in ecclesiasticis dignitatibus constituti, omnes item canonici, tum gradu ornati theologico, et universi parochi.

Tantorum saluti, mi Comes, quomodo consulatis, quomodo in vestra sententia perjurii crimine possitis eximere, id ex multo jam tempore scire percupio. Neque enim centena haec volumina grandia vel ipsi possident praesules universi; e quibus quid de reliquis statuas, satis intelliges. Sed fac, cuncti ea habeant; num etiam legendi otium est? num ea quisque qua *Didymus*, aut *Tostatus* memoria erit, ut quod legissent, fideliter quoque retineat? Sine praejudicio gloriae vestrae, mi Comes, simpliciter dictum sit: ego nec te, nec Magistrum tuum id genus duco eruditionis atque memoriae portenta, ut omnis sacra octodecim seculorum antiquitas, ipsa dilucidior aura, vestris constanter obversetur oculis. Quod ergo in tantis malis remedium est? Me, ut verum fatear, tantorum discrimen non parum sollicitum tenet.

Sed tamen, dum anxie circumspicio, eam mihi visus sum reperisse medelam, quae perjurii crimen a vobis arceat in posterum. Tu jam vide, an approbes. Censeo igitur salutis vestrae causa, ut, lectis his, scripturas continuo ponatis e manibus, nec omnino attrectetis amplius, nisi ultro adire cupitis exitium. Nosti enim, ut in novo testamento, si actus demis, vix ullum legere possitis capitulum, ubi non plures etiam offerantur loci dogmatici atque morales. In Tridentino autem eodem decreto sess. IV. privata quoque vetita est adversus sensum ecclesiae et consensum unanimem patrum interpretatio. Id vero, si vos audio, idem prorsus sonat, quod superior illa norma §. 102. in formula fidei, nempe nullum esse statuendum sensum, quem non praeiverit ecclesia, aut unanimes patres. Obsecro, mi Comes, num haeresis in calamo, in charta, aut atramento est? sin minus, perjurii reus est, quisquis etiam privatim le-

gens scripturas, quamlibet sententiam aliter sumserit ac concilia et unanimes patres. Nisi forte dicitis eum Atheum non esse, qui dixerit in corde suo: *non est Deus*, nisi idem praedicaverit etiam in compitis et super tecta. Cum igitur vos nec concilia, nec *ss. Patres*, nec *statuta* ad ecclesiam universam pertinentia vel centesima in parte legeritis, multa forte nec ofeceritis quidem istorum; insuper autem fine crimine suspicari liceat, centena illa volumina divinitus non esse infusa vestris mentibus: vestro jam transcribo sapienti judicio, an scripturas in posterum attingere, et ullum ex ea capitulum legere possitis salvo juramento, et libera a perjurii crimine conscientia?

Vos ergo jam obsecro, vestraeque causa salutis obtestor, ut ad haec pericula, quae vos undique circumstant, animum advertatis. Moneo, ut sollicitius expendatis, annon *Satan*, angeli lucis mendaciter assumta forma, falsam ejus juramenti religionem vobis obtendat? Sensus ille vester, eaque decreti et formulae fidei interpretatio, mali spiritus tendicula est, qua vos illaqueet, et ostentu pietatis, conscientias vestras teneras suis ita irretiat malignis artibus, ut quoniam nullo pacto efficere possitis, quod juravistis, si porro legere scripturas, et interpretari pergitis aliis, vos olim a perjuriis recentes ad judicis tribunal transmittat.

Quid jam nunc, mi Comes, vestrae illae voces sunt: non licet suo ingenio ferri per scripturas? Sensus ecclesiae et consensus patrum in interpretando sequendus? Quid illa puerilia lamenta: Proh dolor! usus loquendi magis ad rationalismum invehendum, quam removendum aptus est *a*)? Annon sunt ista crepundia, quibus vos oblectatis? Annon phylacteria, ostentandae religionis causa suscepta atque dispansa? Tesserae sunt mendaces, zelus fucatus, vestraeque theologiae pigmentum. Probe nostis institorum artes: *laudat venales, qui vult protrudere merces*, lividoque dente roditis aliena, ne eminentior quisqnam aut vel par vobis esse videatur. Quid hactenus, mi Comes, contra *Neotericos* protulistis, quod non in caput vestrum reciderit? In hoc ipso autem argumento de

---

a) Leg. Cathol. §. XVI. pag. 18.

decreto concilii fideique formula, et vestra inscitia palam est, et utriusque decreti insipientia, si vestro sensu capiuntur. Prudentum ne id est, rogare leges, quas nemo impleverit hactenus, et quorum vos perpetui praevaricatores estis cum perjurio?

§. 108.

Nunc caetera percurram, mi Comes, Magistri tui argumenta. Ubi apte dixit, per *analogiam fidei* non detegi quisnam verus sit sensus, sed quisnam ut perniciosus repudiandus *a*): postea subjungens Trid. sess. IV. decretum, supra §. 85. relatum, sic pergit: „ubicunque igitur in scriptura in rebus fidei et morum de ejus sensu judicium factum ab ecclesia est, et de ejus sensu constat, unanimem esse consensum patrum; hunc interpres catholicus intelliget sibi etiam habendum esse indubitate pro vero illius loci in scriptura sensu *b*).“ Memorabilia haec verba sunt; probe sentit Magister tuus, mi Comes, quis hamus insit suae interpretationi tam decreti, quam formulae fidei (vid. §. 107.): hunc quoniam glutire non est ausus, esca apposita, insidiose nunc offert aliis. Sed parum caute. Non enim quaeritur, quid agendum, ubi de sensu constiterit, sed qui fieri possit, ut de sensu constet? Hic Rhodus, hic salta! Hoc doceat Magister tuus: ostendat ab se aut quovis alio hanc regulam unquam fuisse servatam, aut posse servari. Delphico oraculo jam non egemus; neque de mysteriis hic agitur, ut fide sit opus. Regulae usum videre volumus, oculis manibusque capere experientiam. Alioqui nugivenduli eritis talia occinentes aliis, quae nec ipsi praestatis, nec potestis praestare. Adde

Analogia fidei fatente Magistro est principium negativum, docens, quis sensus esse non possit; ut ergo scias, quis sensus reapse sit, nunc hoc decreto tibi glaucoma inducere paravit. Cum enim ejus sensum statuat e formula fidei *c*), suapte sequitur, huic quoque decreto communem esse eam insipientiam, quam de fidei formula, vestro sensu intellecta, paullo ante §. 105—107. ostendi.

§. 109.

Pergit Magister tuus, mi Comes, calfacere *Jahnium*, „qui non audens *floccifacere* illud decretum,

---

a) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 3. §. 17. p. 22. *b*) ibid. p. 23. *c*) ibid. p. 27.

ne *catholici hominis speciem amittat*, in omnem se partem versat, ut aliquatenus eludat." Ait ergo: „Petulantia ingenia, quae carpit concilium, sunt protestantes, non vero Catholici, qui reprobant testes facti, de quo agitur, ignaros, seu quod idem est, Patres linguae hebraeae expertes a dicendo testimonio de usu loquendi hebr. excludunt, et producunt testes alios, quos usum loquendi novisse et edicere velle nullus dubitat, nempe dialectos cognatas" etc. *a*). *Jahnio*, addit, *concinit Arigler* Herm. Genes. §. 15. *b*)."

Post haec sapienter interrogat: „Ideone Catholicos jam non feriet (decretum), quorum idem factum est, quod Protestantium? Liberumne id concilium permisit Catholicis, quod ne quidem in Protestantibus tulit *c*)?" Ociter, mi Comes, §. 22. consule de usu loquendi Magistri, ut intelligas quam ille turpiter iterum mentiatur. Cum enim e §. 72. videris, quam religiose Jahnius revereatur doctrinam ecclesiae et unanimum patrum, quamque impium ducat omnem sensum, qui his repugnet; intelliges, non nisi insigni metamorphosi et pari injuria in haereticum transmutatum esse *Jahnium*. Addes huc etiam calumniam, quod *Jahnius* usum loquendi *proprio tantum tractet ingenio*. Qui enim et decreti, et normam formulae fidei recipit, ut *Jahnius*, is in sensu statuendo non agit tantum proprio ingenio. In reliquis miser *Jahnius* humanis tantum utitur praesidiis, nec ut Magistrum tuum divina afflat inspiratio.

Dum autem addit, patres sensum non sumsisse ex usu loquendi, sed ex traditione, ostendit, se hodiedum non videre, nec traditionem quidem dari posse sine usu loquendi. Supra §. 21. Addo tuum sibi non constare Magistrum: qui enim admittit sensum sumendum esse ex usu loquendi (supra §. 26.), unaque *Jahnio* hic concedit patres linguae hebraeae expertes fuisse: quomodo is arguere potest *Jahnium*, dum eosdem patres removet ab testimonio dicendo de usu loquendi hebraeo, cuius nullam notitiam habebant? Ut video, juxta Magistrum tuum etiam dormientes milites sepulchri, legitimi testes forent de

---

a) Introd. V. T. Part. 1. §. 91. pag. 123. Ed. 1. *b*) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 3. §. 17. p. 23. *c*) ibid. 24.

furto discipulorum! Non miror: proximus quisque sibi est. Si enim vera foret critices regula, eos solos admittendos esse de facto testes, qui rem norint, et verum velint dicere, actum esset de commentariis Magistri, ut qui sancte polliceatur, et obstringat quoque alios, non alium proferre sensum, quam ecclesiae et concordium patrum, cum tamen is nec concilia nec patres unquam legerit. Vid. §. 107.

§. 110.

Continuat litigare Magister cum *Jahnio*, quoniam ecclesiae in hermeneutica non dedisset locum *a*). Sed de hac re satis jam dictum capite secundo. Quod autem Magister tuus hodiedum claram ideam non habeat, quid *Hermenia* sit? ostendet tibi, mi Comes, §. 73., quocum si voles, etiam §. 83. conferes. Dices ergo parem superioribus calumniam, dum de *Jahnio* addit „*ecclesiae denegavit auctoritatem judicandi de scripturarum sensu*“ ibid. confer §. 72.

Litigat porro, quod *Jahnius* Trid. decretum dixerit esse *negativum*, non *positivum b*): idque *subtilitatem* vocat, quasi haec distinctio non esset usus quotidiani! „Sed inquit, ea refellitur primo statim decalogi mandato: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos coram me*; hac lege estne constitutum tantum ne falsi dii colerentur, et non etiam ut verus Deus colatur, quia lex est (verbo utor Jahniano) negativa?“ Mirum, quam parum acutus hic sit Magister tuus, qui non viderit, ut inter Trid. decretum et decalogum paritas sit, prius illud sic opportuisse exprimi: „*solum ecclesiae sensum et ss. Patrum sequeris, nec alium ullum admittes*“: aut stante decreto decalogum sic concipi: „*non habebis deos alienos coram me, nec Baal, nec Moloch, aut quemvis alium.* Ut autem modo utraque concepta sunt, toto differunt coelo. Decretum enim, quidquid dicat Magister, docet unice, quid fieri non debeat, nihil autem prorsus, an sensus e dialectis cognatis, e scopo, contextu, parallelis etc. statuendus. Decalogus autem incipit ex lege positiva *ego sum Dominus Deus tuus.* — Tentet Magister tuus, mi Comes, pure negativam legem inferre decalogo uti supra posui,

---

a) Instt. V. T. Ed. 2. Tom. 3. §. 17. p. 25. *b*) ibid.

nec in toto veteri testamento ulla lex positiva sit, quisnam adorandus sit, uti in toto concilio, nulla lex hermeneutica sancita est; et illico intelliget, ne id quidem constare tum posse, an et quale numen coluerint Hebraei? Sed, mi Comes, etiam bonus quandoque dormitat Homerus!

§. 111.

Sed nunc gravius assurget Magister tuus, mi Comes, et commoto non nihil loquetur stomacho: tu tamen curas mitte, nil caedis fiet. „*Adhuc vero, ait, etiam Pallavicinum audet adhibere in patrocinium a*). Vis causas irarum nosse? Accipe: *Jahnius* ajebat *b*) docere *Pallavicinum*, decreto concilii nullam novam legem praescriptam, sed id semper fuisse creditum in ecclesia, et esse ex rei natura, nefas esse contra sensum ecclesiae et consensum patrum interpretari. Haec cum Magister tuus ex Pallavicino *c*) retulisset, subjungit: „videlicet scripturam contra unanimem sensum interpretari (semper fuisse damnatum), sed dum hi sententiam suam velut certam affirmarent, non tamquam opinantium modo loquerentur. Id quod Pallavicinus in defensionem *Cajetani* scripsit, ne pro haeretico habendus videretur; quod contra patrum consensum interpretari docuisset. Nec vidit Jahnius hoc in caput suum esse.“ Quod aliis verbis repetit in eodem contextu, et concludit, a concilio licentiam adversus consensum patrum interpretandi compressam et damnatam esse.

Haec Magistri tui verbis retuli, mi Comes, ne incredibilis tibi videretur ejus incogitantia, atque etiam fallacia. Ubi enim *Jahnius* citato loco ultro fatetur, in rebus fidei et morum nullo non tempore, atque ex rei natura, nefas fuisse contra sensum ecclesiae et consensum patrum interpretari, dic quid ille differt a Pallavicino? quid docet, quod non certissimum et sanctissimum sit? Sed Magister tuus acumen suum ostendere volens, discrimen attulit, non negligendum interpreti, an patres opinantium more loquantur, an ex certa sententia? Quam ridicule! In *Jahnii* ete-

---

a) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. p. 26. b) Introd. V. T. Part. 1. §. 91. No. IV. p. 124. *c*) Hist. concil. Libr. 6. C. 18. §. 2.

nim sententiā haec distinctio nec obtinere quidem potest, qui *sensum ecclesiae* et *consensum Patrum* non sumat, ut Magister tuus de *interpretatione scripturarum*, sed de compage dogmatum, de doctrina ac fide ecclesiae, ut ipse notat Magister tuus in subsequis *d*). Jam autem de dogmatibus ecclesiae, ut unanimes Patres opinantium more loquantur, apertam pugnam involvit: forent enim dogmata ex thesi, et forent simul opiniones scholasticae, ex opinantium incertitudine. Habet ego iterum locum quod supra §. 39. dixit Hieronymus. Dum autem in toto contextu *Jahnium* sic simulate proponit, tamquam doceat, etiam contra unanimem consensum Patrum, et quidem ex decreta sententia loquentium, licitum esse interpretari; solita fallacia est.

Caeterum, mi Comes, Magistri tui sententia, de interpretando etiam *contra* unanimem Patrum consensum, si opinantium more loquantur, magna cum restrictione usurpanda est. Si enim haesitationem Patrum intelliges de doctrina quapiam, quam textus alicuius interpretatione et usu confirmare volunt; tum illi huc non pertinent, quia, ut jam monui, in decreto sermo est de rebus fidei et morum, adeoque objectis, de quibus seu publica professione, seu expressa definitione ecclesiae certo constat. Si autem eam Patrum fluctuationem de interpretatione scripturae sumis, dum illi sententiae cuiuspiam sensum tantum opinantium more statuunt, tum cave dicere *contra* huiusmodi sensum licitum esse interpretari. Recedere a tali sensu potes et justis e causis prorsus novum ponere: at *contrarium*, *repugnantem* sensum statuere non potes, quin ipsam, ex supposito fidei morumque certissimam veritatem, quam fluctuante sententiae cuiuspiam interpretatione firmare voluerunt, laedas et evertas.

Sume exemplum a Magistro tuo. Notat ille in Commentario Tom. 6. Verba Psalmi 32, 6. *Verbo Domini coeli firmati sunt* etc. ab s. *Augustino* et *Gregorio M.* exponi de ss. trinitate. Sunt igitur non nisi bini, si illum audio; et ne quid favoris erga vos ex me desiderari patiar, dabo etiam eos non nisi opinanter sensum hunc statuere. Sed quaeram: tunc

---

d) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. pag. 28.

hunc locum *contra* eos interpretari audeas? Non certe., si nosti ss. trinitatem dogma esse catholicae fidei. Quod ergo *contra* binos non audes, quomodo idem liceat contra unanimes? Imo ex catholico systemate nec *contra* unicum quidem audeas interpretari, ut primum aliqua doctrina, quam unicus hic fluctuante licet interpretatione confirmat, tamquam certissima ecclesiae doctrina cognoscitur.

Videsne, mi Comes, quanto sit usui, et quam necessaria sit illa Olitoris (§. 92.) distinctio, inter sensum *diversum* et *contrarium*, inter *praeter* et *contra*, quam tacite omnes docti, expresse autem jam *Bannezius* et *Azorius* §. 91. praeiverunt. Si aequus es arbiter, fateberis, non nisi *Neotericorum* sensu Trid. decretum prudenter explicari, vestram autem a verbis et scopo concilii ex aequo distare, ut satis in superioribus docui. Monebis denique Magistrum tuum, ut alias in *Pallavicinum* melius intendat oculos, nec more suo fingat, eo solum ab eo excusari Cajetanum ab haeresi, quod *contra* patres non nisi *opinantes*, non autem e certa sententia loquentes interpretatus sit. De hac enim re in *Pallavicini* apologia pro *Cajetano* nullum vestigium est; sed ait: „prohibet quidem concilium ne sacris literis aptetur interpretatio *repugnans* unanimi ss. Patrum sententiae, idque in rebus fidei et morum: at *Cajetanus* utut rem *Canus* intelligat, de his minime loquitur, neque unquam declarat, fas esse *adversus* communes ss. Patrum sententias *obviam ire*; sed fas esse depromere scripturae expositionem *prorsus novam* et ab omnibus eorum expositionibus *diversam* e)." Quae longe aliud sonant, quam retulit Magister tuus.

§. 112.

Ex hac ignoratione elenchi secuta est etiam confusio et incohaerentia Magistri pagina proxima a). Arguit nempe *Jahnium* pugnae secum ipso, ut, qui „Patres a testimonio dicendo de sensu scripturae excludens, tamen post Pallavicinum doceat, sic sensui a Patribus tradito adhaerendum, ut huic facere

---

e) Hist. Concil. Libr. 6. C. 18. §. 2.

a) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. pag. 27.

contrarium, fassus sit esse non tantum illicitum, verum etiam haereticum. Se jam ergo ipse condemnavit."

Mirum foret, mi Comes, si doctissimus Jahnius tam hebes esset, ut ipse suo se damnaverit judicio. Sed intellige fallaciam. *Jahnius* Patres in Vet. Test. exclusit a Testimonio dicendo *de usu loquendi hebraeo*, quem ipso Magistro fatente non noverant (supra §. 109.). Sed longe aliter in novo, ubi Graeci universim legitimi testes sunt, prout videre potes §. 72. Adde rarum esse consensum unanimem Patrum, in veteri praesertim foedere; rariores autem decisiones ecclesiae. Si ergo vetus foedus intelligere voles, quid aliud tibi superest, quam usus loquendi? cuius cum, fatente Magistro, ignari fuerint Graeci et Latini, demto *Origene* et *Hieronymo*, vides utique *Jahnium* ex natura rei, et sana ratione sic postulante, eam sententiam protulisse. Jahnius demum non vult petere principium, ut moris est Magistro tuo, nec adversariis opponere testes de facto, quod, tuo Magistro fatente, ignorant; sed producit usum loquendi, quo demonstrato, adversarius sensum negare non potest, nisi secum pugnet, quippe qui in intelligendis profanis, praeter hunc, praesidium aliud non habeat. Quisquis ergo rem intelligit, laudare debet *Jahnium*, tui autem Magistri ridere ineptiam aut fallaciam.

Simile commentum etiam in eo est, dum ait *Jahnium* docere „*sensui a Patribus tradito inhaerendum.*" Cum enim *Jahnius* per *sensum ecclesiae et consensum Patrum* non intelligat interpretationem scripturae, sed ecclesiae doctrinam (supra §. 111.), simul autem Patres ab dicendo testimonio de *usu loquendi hebraeo*, quem ignoraverunt, excludat (§. 109.), nisi prorsus hebes est, dicere non potuit *commentationibus Patrum* in vet. foed. inhaerendum esse. At convenienter ad suam interpretationem decreti, apte atque catholice, tuoque sapientius Magistro docet, unanimem consensum Patrum in aliquam *doctrinam* firmiter esse retinendum (§. 72). Potest enim etiam unanimis eorum interpretatio cum honore seponi sine omni laesione doctrinae, si usus loquendi hebraeus aliud postulet, uti exempla dedi §. 95—101. Vides ergo, mi Comes, Magistrum tuum nimio studio collidendi, et haereticum efficiendi *Jahnium*, vel occoe-

catum esse, vel imprudenter torquere eius dicta optima in sensum devium. Ego cum *Hieronymo* censeo, non esse bonum, velle solum sapere: eoque ab commentariorum in Isajam libro octavo, transiens ad nonum, ait se id facere: „*non absque morsu et obtrectationibus invidorum, qui ignorantes quid audiant, quid loquantur, de eo audent judicare, quod nesciunt; eruditosque se aestimant, si de cunctis scriptoribus detrahant b).*"

§. 113.

Ubi Magister tuus, mi Comes, produxit Achillem suum, in formula scilicet fidei haberi, *juxta* sensum ecclesiae, et consensum Patrum interpretandum esse, et cui supra §. 102 — 107. jam satisfeci: pergit irridere male sibi conscios, eoque meticulosos *Jahnium*, *Mayerum*, *Ariglerum*, superis invisos *Neotericos*, qui de illo *juxta* mutis piscibus pertinacius sileant in institutionibus suis hermeneuticis, probe gnari *incōnsultum esse" istam proferre, quae nimis aperte configeret ipsorum detortam decreti Tridentini explicationem a).*" Vah quam docte, quam acute! Totum, mi Comes, iniquitatis mysterium nunc revelatum est! Quid facias? in facto accusatio vertitur, summa hic fides Magistro, nemo reapse illorum mutivit *juxta* aut scripsit. Non ergo hic alia medela est quam expectare, quid ad §§. 102 — 107. tuus mutiet Magister. Fuerit tamen interea aliquod lenimen animadvertere, hos viros doctissimos id honoris habuisse Magistro tuo, ne in re vix digna tirone, quod matres infantibus solent, mansa et praemansa ingerant. Cum enim decreti sensus negativus negari non possit, nisi negata omni grammatica et usu loquendi, suapte sequitur, nec alium esse formulae fidei sensum, nisi omnino insipientiae arguas, ut ostendi §. 105 — 107. Quisquis igitur religioni sibi ducit *contra* sensum ecclesiae et consensum Patrum, id vero est contra *doctrinam ecclesiae et consentientium Patrum fidem* interpretari, is eo ipso etiam *juxta* ecclesiae et Patrum sensum interpretatur; quod a *Vincentio Lirin. b)* in prae-

---

a) Instt. P. T. Tom. 3. §. 17. pag. 28. b) Tom. 3. pag. 234.

sens omnes rerum periti docuerunt, et catholico ad vitandos perniciosos errores sufficere nemo non arbitratus est. Confer §. 85 — 101.

§. 114.

Jam nunc, mi Comes, altercatio Magistri non sine periculo est, qui cum *Stesichoro* oculos illis eripiat, qui non videant in decreto et fidei formula eundem esse sensum, ipsas scilicet ecclesiae et patrum interpretationes esse retinendas, quoniam utrobique sit additum, ad ecclesiam pertinere de sensu scripturarum judicare. Quod *iis etiam*, *qui talpae oculos habent*, *clarum atque evidens est* a)."

Nesciebam, mi Comes, *Cajetanum* Cardinalem *talpam* fuisse hactenus, de quo *Sixtus Senens.* in Bibliotheca s. scripsit: „*fuisse ingenii praestantia illustrem*, *subtilissimum dialecticum*, *admirabilem philosophum*, *qui inumeras lucubrationes in Aristotelis philosophiam* vulgaverit b): atque haec omnia *Flavio Aquilano* teste, ejus familiari et biographo. Et tamen hic vir tam coecus fuit, ut cum in suis commentariis a patribus abstinuerit penitus, usum secutus loquendi, suam nihilominus interpretationem ecclesiae subjecerit censurae, ad quam ex ejus opinione pertineret de scripturarum sensu judicare (Vid. §. 90.). Oblitus etiam esse videtur Magister tuus concilium habitum fuisse contra protestantes, non vero contra Catholicos, et circumstantias postulasse, ut norma, non manca, non insufficiens, uti vos vultis (§. 105 — 7.), sed plena et absoluta praescriberetur, quae ex abusu scripturarum manantes perniciosos errores praecaveret; qualis unice est, si et decretum et fidei formula sensu sumitur *Neotericorum.* Confer §. 85 — 95. et 102 — 107.

§. 115.

Denique agmen claudit Magister hac hermeneutica regula: „Obsucra e claris illustranda sunt; cum igitur fidei formula *nullam habeat quaestionem*, *quomodo intelligenda sit*, sequitur, decretum sess. IV.

---

a) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. pag. 28. b) Libr. IV. pag. 485.

huius ductu explicandum esse *a*)." Sed forte, mi Comes, ubi Magister tuus §. 102—7. legerit, prima se offert quaestio: quomodo sensus vester in illa fidei formula stare possit, quin insipiens habenda sit? Quod autem suspicatur, Pium IV. s. pontificem contemtui habitum, cum Jahnius ad Commilitonem tuum, *supremae legis* auctorem in haec verba scripsit: „*noveras hanc* (fidei formulam) *non a Concilio, sed a Pio ni fallor IV. evulgatam esse, qui non potuit mutare sensum concilii universalis* etc. *b*), mihi sane ridicula visa est ea suspicio. *Jahnius* enim bis in vita sua eam juravit fidei formulam: quid ergo mirum, si in epistola raptim scripta, si in ea re, quam milleni sine culpa ignorant, et quae in hac quaestione nihil seu novi, seu a concilii decreto diversum haberet; animum de auctore non nihil suspensum modeste indicavit, dicens: „*a Pio ni fallor IV. evulgatam?*" Si hoc vos offendit, quid dicendum de vestris calumniis, quas jam retuli et cumulabo in posterum? Pessimae causae indicium est, mi Comes, qui eo tandem sitis prolapsi, ut quoniam nullis laqueis irretire Jahnium potuistis hactenus, quod extremae desperationis est, nunc funiculum ex arena torquere instituerítis, quo supremum irretiatis.

§. 116.

Satisfit dissertationi Romanae.

Fateor, mi Comes, non mediocriter offensum esse me, qui *Neotericos* in tua lucubratiuncula tam invidiose accusatos viderim, ut omni judicio religionisque sensu carere censendi sint, si ulla tibi fides apud lectores foret. Quem animum tuum etsi per omnem scriptionem tanto iniquius ostendisti, quanto minor et prope nulla disciplinae huius tibi cognitio est: nullibi tamen industriam, modestiam et quantulamcunque eruditionem in te magis desidero, quam in hoc ipso, quod sub manibus est argumento, de Tridentini decreti, fideique formulae genuino sensu, quantum utrumque velut cynosura ad hermeneutas et exegetas

---

a) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. pag. 29. *b*) in Epist. *legi catholicae* praefixa pag. IV.

attinet. Magistri tui sensum de utraque illa sanctione noveras, et nisi omnino nihil scis, ut alios mittam summos viros, *Pallavicini* conterranei tui mentem ignorare non poteras. Qui igitur octo nobis dederis volumina decisionum Tridentini concilii interpretum, graviter omnino accusandus es, qui neutrius normae mentionem ullam feceris; ubi tamen, si te audio, a Magistri tui sensu salus pendet et religio. Quae dum considero, non vane suspicor, ut cetera disciplinae huius, sic etiam utrumque istoc decretum, tuarum minimam semper fuisse partem curarum, et quae modo in *Neotericos* fundis scommata atque convicia, ex incitatione hodegi tui esse profecta.

§. 117.

Ubi igitur sess. IV. decretum retulisti *a*) subjungis: *haec clara sunt.* Quomodo, mi Comes, haec clara sint, quae Magister tuus vocat obscura, eoque e formula fidei explicanda? Vide supra §. 115. Continuas ibidem: „insano tamen modo ratiocinantur nostri antecessores (bona verba quaeso) Tridentini decretum tantum declarasse dicunt, qua ratione s. scriptura intelligi ac explicari nequeat. Negativum igitur, non positivum praeceptum agnoscunt. Futilis ac puerilis opinio, quae nullum fundamentum habet. Explorati enim juris (!) est, ingeniorum audaciam et temeritatem pestes quasdam esse, et artificia, quae scientiam ac intelligentiam biblicam pessumdant, necessarium quidem fuit sacrum concilium ad omnes conatus ingeniorum repellendos, omnemque audaciam refraenandam, infausta semina erroris praefocare, quod non magnificentius ac utilius fecit.“

Quorsum haec convicia, haec probra, mi Comes, qui a nemine lacessitus sis? Non putaram in academia catholica ab his rebus sumenda esse auscpicia. Si enim tua satis intelligo, prima haec est theologica dissertatio, quae orbi catholico palam offertur. *Neotericis*, mi Comes, convicia nil sisi convicia sunt, quae tu miro errore totidem argumenta putas. Confer §. 76. 77. 78 et 104. Continuas:

„Ubicunque igitur in scriptura in rebus fidei et morum de ejus sensu judicium factum, semper factum

---

a) Pag. 105.

ab ecclesia fuit, et de ejus intelligentia constat unanimem esse Patrum consensum; hunc interpres catholicus semper factum prae oculis habebit et pro vero et genuino sensu agnoscet et reverebitur. Desinant itaque isti ulterius falli et alios male consertis argumentis fallere. Desinant rectae rationi obluctari! quis menti Tridentini concilii verbis adeo claris expressae hac nova, ac futili distinctione intercedere ausit. Decretum igitur Tridentinae synodi sua semper constabit auctoritate, eo vel maxime quia argumentum auctoritatis nullam suscipit interpretationem (!!).“ Et paulo post eam distinctionem, ais „ad removendum jugulum fuisse inventam, utque auctoritate et pondere s. synodi victos se esse negarent, aliquid contra obmussitarunt, extra rem inane infirmissimum, ipsisque inventoribus summe injuriosum (!) probrosumque.

Ut Lectores, mi Comes, tuorum gravitatem argumentorum, intimum demonstrationis nexum, perspicuitatemque dicendi laetiore sensu perciperent, tuis visum est haec verbis summa fide referre. Melior ex me, mi Comes, quae taedia devoraverint docti illi viri, quorum auribus cruda haec et indigesta horarum spatio ingessisti. Mi crede, inter nos ii etiam, quibus nulla cum *Neotericis* conjunctio est, aut te exegissent talia declamantem, aut morae impatientes taedioque victi, ni fores paterent, per fenestras erupissent; adeo insulsa istarum rerum congeries inter nos non toleranda videretur. Dic oro, quid illud est, quod dicere voluisti: - *explorati juris est ingeniorum audaciam pestes quasdam esse, et artificia* etc.? Juris naturaene, an publici universalis, gentium, Romani, an ecclesiastici? Haec enim omnia multa pariter habent *explorata*. Experientiae, mi Comes, ista objecta sunt: fiunt autem juris, dum de iis arcendis, aut plectendis agitur.

Illud autem quid est: „*ubicunque in scriptura judicium factum, semper factum ab ecclesia fuit, et de ejus intelligentia constat unanimem esse Patrum consensum.*“ Si jam, mi Comes, nihil in his tuo Marte potes, saltem Magistro stares, qui supra §. 108., etsi nihilo solidiora, sua tamen clarius dixit, quae tu rerum istarum expers, prope in absurda vertisti. Dum denique ais „*argumentum auctoritatis nullam suscipit interpretationem.*“ Si quod verba sonant, dicere vo-

L

luisti, tum non dubito, quin ad haec Cato etiam altera vice rideret, ubi ipse tu octo nobis dedisti volumina interpretationum eiusdem concilii Tridentini interpretum! Dic obseero, an scriptura non est *argumentum auctoritatis?* et tamen quot sunt Commentatores, quos inter et tuus Magister est? Quomodo etiam tibi constas, qui infra ais: „*Lex civilis nullam idoneitatem ad quaestiones definiendas habet, sine Magistratus interventu, cui interpretandi ac dirimendi potestas tradita fuit b*)." Vel forte lex civilis non est *argumentum auctoritatis?* Cur etiam Magister et Commilito tuus adeo litigant de mente decreti et formulae fidei, ut quae sensu *Neotericorum* sapientissima sunt, tandem inepta evadant atque insulsa (§. 102 — 107.)? Non modo igitur religioni sibi non ducunt *argumentum auctoritatis* interpretari, ut potius nisi ipsorum stet interpretatio, actum putent de religione. Rident vos, mi Comes, Neoterici etiam unanimes, quanto magis nunc, cum non quisque modo vestrum ab semetipso, sed et mutuo ab invicem vobis dissidetis.

Demum annon barbarus sit, qui sua in viscera, suam in sobolem saeviat pater? Quid tandem tuis fiet voluminibus, si tuo standum judicio? Si enim decretum, quoniam *argumentum auctoritatis* est, *interpretationem non suscipit*, ut ingenia multorum prava atque distorta sunt, et pronus ad suspiciones animus; vereor, mi Comes, ne caetera etiam eiusdem concilii decreta *argumentum auctoritotis* arbitrentur, teque maligne rideant istorum interpretem, quae tuopte judicio nullam suscipiant interpretationem; et qui doctissime in transcribendis alienis desudaveris, tandem ventos pavisse videaris, ipsaque volumina molestam hactenus tabernarum sarcinam, inutilem invisamque in posterum ipse efficias. Malignum seculum est, mi Comes, vix iam divina mysteria credunt homines; quanto minus id genus oracula, quibus cum ratione nihil commune est.

§. 118.

Transis ab superioribus ad *fidei formulam*, ubi pro *contra* sit *juxta*: accusas *antecessores* (Professores

---

b) ibid. pag. 127.

dicere voluisti) qui de illa nihil mutiant. Accusas *Jahnium* de contemto Pio IV. S. P. *a*). Haec omnia ductu Magistri tui, uti patet e §§. 102 — 7. et §. 113 — 115. ubi singulis satisfactum est. Sed in postremo, mi Comes, non nihil offendisti, dum ibidem de *Jahnii* epistola ad auctorem *legis supremae* data, et *legi catholicae* ejusdem auctoris praefixa, sic scribis: „*Denique anno* 1816 *nescio quis tenebris anonymo scripto in scenam prodiit.*" Illico autem subjungis, *anonymi* scripti auctorem esse *Jahnium*. Vel enim dicere non debebas *nescio*, vel certe *Jahnii* nomen addendum non fuit. Qui ergo per reticentiam aut praeteritionem loqui instituteritis, in veritatem deliquisti; quae multum diversa sunt: prima enim dicimus figuras rhetoricas, alterum autem mendacium. Semper in te experior, mi Comes, verum illud esse, *non est discipulus supra magistrum*. Vide ut ille in eadem accusatione prudentius versatus est: qui enim anonymum scriptum vocaverit, auctorem non addidit, nec eum se ignorare dixit *b*).

§. 119.

Arguis postea: *perniciosam esse libertatem in codice religionis explanando, privatae auctoritati incumbere a*). Est ergo vitium elenchi cum calumnia, Magistro et Commilitoni familiarissima, quam sufficienter retundit §. 72. Qui enim uti *Jahnius* pro cynosura habet sensum ecclesiae et consensum Patrum juxta Tridentinum decretum, de eo non nisi inique dici potest, quod privata auctoritate ducatur.

Eadem pagina, diversa confundens, ais, Patres non ex usu loquendi, sed ex traditione sumsisse sensum. Pagina autem sequente *b*) insigniter corrumpis dicta *Jahnii*. Utrique, quoniam ad usum loquendi pertinent, iam supra respondi §. 21. Pergis postea eadem confusione, perpetuoque vitio elenchi de Patrum auctoritate dicere, tamquam testibus traditionis: de infallibilitate ecclesiae, et pluribus id genus extra oleas, donec tandem plena luce in foveam lapsus es, quam pueri nostri ductu catechismi perpetuo et nullo

---

a) Pag. 107. *b*) Instt. V. T. Tom. 3. §. 17. pag. 29.

a) Pag. 108. *b*) P. 109.

labore vitant. Sed de hoc postea *c*). Haec, mi Comes, adferre possis contra Protestantes, sed doctius utique et prudentius adornata, non vero contra *Neotericos*, qui de ecclesiae doctrina intime convicti, eam etiam pro perpetua cynosura habent in interpretando. Adeo igitur nihil novi attulisti, ut ne Magistri quidem tui argumenta intelligere videaris.

§. 120.

Satisfit Commilitoni.

Commilito tuus, mi Comes, *legis supremae* et *catholicae* auctor, robore tibi aequalis, Magistro inferior, has vobis adjunxit suppetias. Praemisso Trid. decreto, adfert textum Jahnii *a*), qui dicat illud *negativum* non *positivum* esse *b*). Huic abunde satisfactum supra §. 86 — 96. auctoritate summorum virorum: item §. 102 — 107. et 110. rationibus internis.

Addit ibidem *Paulum* Rom. 12, 6. de *analogia fidei*: cui iam supra satisfecit socius vester *Paralipomenorum* auctor §. 53. cui, utpote quatuor lustrorum exegetae, Commilito tuus, qui hanc disciplinam nec eminus salutavit, cum veneratione assurgat. Sed abdico hanc auctoritatem, quoniam Commilito tuus omnes talpas putat (ut in consequentibus videbis) qui suae non velificantur sententiae. Ex ipsomet sumam argumentum. Is etsi non explicat Pauli sententiam, tamen quod adductum est, alium sensum habere non potest, quam ut interpretatio fidei conformis sit. Subscribo, etsi non is est sensus sententiae. Sed subscripsit quoque *Jahnius*, ut videre potes §. 72. Habes ergo familiarissimum tuo Commilitoni vitium elenchi. — Huic adjunxit ex 2 Petr. 1, 20. „*Prophetia scripturae propria interpretatione non fit.*“ Sensum nec hic dignatus est ponere; haud dubie, quia doctus doctis scripsit, quibus arduum non fuerit hariolari quid velit. Responsum habes §. 46. Cui addes, ri-

---

c) Pag. 111 — 120.

a) Introd. vet. foed. Part. 1. §. 91. Nro. IV. *b*) Lex supr. §. XII. pag. 14.

diculum esse, *Jahnio* hunc locum opponere, ubi de solis prophetiis sermo est.

Idem vitium argumentandi videas etiam dum *Vincentium Lir.* attulit, quem supra habes §. 86. et in subsequis uberius evolutum. Hic tuus Commilito compendio usus est, et praevie *Jahnium* supponit haereticum, ut illi e Lirinensi tredecim socios pares adjungeret. Facile vincit, mi Comes, qui *Pyrgopolicinis* pugnum habet §. 9. Post prodit *formula fidei* cum *juxta c*). Satisfactum est §. 102 — 107. Sed tamen aliter ille hunc Achillem ornavit ac tu et Magister tuus. „Hunc sensum, inquit, decreti temporum illorum adiuncta, non solum non infringunt, sed vindicant quoque. Luthero namque princeps ad religionis ac ecclesiae reformationem clavis ingenium arbitriumque privatum in exponendis scripturis fuit. Opes aliae, consentiens Patrum sensus, analogia fidei, ipsae adeo grammaticorum leges, momentum tunc tantum habebant, quum suis servire scitis videbantur.“ Post, quasnam in partes Flacii Illyrici Clavis distributa sit, enarrat. Ex me non quaeras, mi Comes, quorsum haec pertineant; nec quid *Flacius* hic habeat negotii, quem haud dubie *Jahnius* melius novit Commilitone tuo.

§. 121.

Ubi igitur, mi Comes, Commilito tuus *Jahnium Luthero* parallele locavit, per reliquos sex paragraphos eodem tenore tractatio decurrit, in demonstranda traditionis necessitate, sine qua ad absurdissimos errores delabi necesse sit, unice occupata. Aliena haec esse ab rebus et Jahnii judiciis, satis ipse vides. Recogitanti igitur istarum causas irarum, plures se mihi offerebant, quas summus Magister noster sua experientia compererat, Ponam aliquot, tu, quid verisimilius videatur, statues. Suis respondens obtrectatoribus ait: *qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, legentes in angulis; iidem et accusatores et defensores: quum in aliis probent, quod in me reprobant. Quasi virtus et vitium non rebus sit, sed cum auctore mutetur a*).“ Est quiddam in his, quod tuo Commilitoni

c) ibid. pag. 15.

a) Advers. Ruf. Libr. II. Tom. 4. P. 2 pag. 427.

convenit, qui ut maxime profiteatur traditiones *Jahnius*, hostem nihilominus ecclesiae ducit, et haereticum esse jubet sine haeresi. Confer §. 72.

Alibi idem Hieronymus: „*Qui dum sua nolunt furta cognosci et ingrati sunt in Magistrum, idcirco simplices ab illius lectione deterrent b*). Etsi non desunt, mi Comes, quibus haec conveniant, utque supra §. 5. exemplum dedi; tamen quantum hactenus opera Commilitonis tui cognovi, hac illum suspicione penitus absolvo.

Idem alias: „*Nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt.*" An, aut quantum tuo Commilitoni ex his conveniat, nescio; id scio, eum veraciter dicturum de *Jahnio*, quod quondam tam ingenue de *Hieronymo* professns est *Augustinus*: „*Nam neque in me tantum scientiae divinarum scripturarum est, aut esse jam poterit, quantum inesse tibi video c*).

Alias idem sic Ruffinum alloquitur: „qui συγγραφευς αγραμματος *procacitatem, dissertitudinem, et maledicere omnibus, bonae conscientiae signum arbitraris d*)." Procacitas non deest, ut videre potes legis catholicae pag. XII. De conscieutia non huius loci est: *indoctum* autem *scriptorem* esse Commilitonem tuum, plane non assentior: multa enim scripsit qua aliena *e*), qua sua. At commentitias haereses impietatemque clam et palam, inter viros et mulierculas, ut iam evenit Hieronymo *f*), vulgare de aliis, quo quisque vestrum per trabem oculi sui festucam alterius eruat, ut probe nosti, mi Comes, hic mos omnium vestrum est. Juvat: quis enim vestrae ignarus histrioniae, vos non praedicet vigilantissimos custodes, zelo fidei percitos, es sanctissimae doctrinae doctissimos cultores? Sed, mi Comes, quod populari aura, nulloque veritatis praesidio nititur, id si paululum impellas, tota mole in praeceps ruit.

Demum illud adhuc addam eiusdem doctoris de

---

b) ibid. pag. 417. *c*) Epist. LXXII, ad Hier. inter huius Opp. Tom. 4. Pag. 2. pag. 615. *d*) adv. Ruf. Libr. III. Tom. 4. P. 2. pag. 441. *e*) Hist. Scient. Theol. dogm. A. C. Czaml. Brai: Dogm. Szé: az ék. szol. etc. *f*) Epist. XXXII ad Domnion Tom. 4. P. 2. p. 244.

suis obtrectatoribus judicium: „*qui ignorantes, inquit, quid audiant, quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, et ante dispiciunt, quam probent, eruditosque se aestimant, si de cunctis scriptoribus detrahant* g).“ Negare non potes, mi Comes, magnam in his esse similitudinem Commilitonis cum Hieronymi hostibus. Scientia par, animus idem: primum videas §§. 40 — 53. alterum 50 et 53. E postremis advertes, quam nihil *Jahnio* profuerit scripsisse catholice. Vir hic doctissimus inde a primordio professus est, ecclesiae doctrinam, ejus interpretationes, patrum consensum, analogiam fidei, traditionem Majorum, inviolabilem sibi esse normam in interpretando, ut quidquid adversus ista ulla ratione offenderet, impium eoque constanter repudiandum videretur. Videre haec potes, mi Comes, in ejus *introductione* in LL. vet. foed. editionis germanicae jam ante 20 annos editae *h*). Idem expressit in ejusdem compendio latino editionis primae *i*) repetiitque in editione eius altera *k*), idem multo etiam explicatius, ut argumentum poscebat, edisseruit in *Enchiridio l*).

§. 122.

Putasne, mi Comes, post professionem tam apertam catholicorum principiorum, quae ex ipsa objectorum natura desumta, inde a *Vincentio Lirin.* doctis omnibus probata et frequentata sunt (§. 86.), quemquam inveniri potuisse, qui in suspicionem adducat *Jahnii* fidem? Inventi sunt; quorum tu ipse, mi Comes, non minima pars es, minus tamen culpandus, quod in his peregrinus, lividi ductum hodegi coece secutus es. Sed alia ratio est tui Commilitonis, qui ne ipse quidem *Jahnii* orthodoxas sententias impugnat (id enim qui posset?), sed ut esset, quod impugnet, per apertissimam calumniam, quod nunquam sensit, hoc tribuit *Jahnio*; ostensurus rerum imperitis, quantus esset, qui etiam cum Jahnio auderet pedem conferre. Id nisi est, dic, unde ea impudentia,

---

g) Praef. in Libr. IX. Comment. Isaj. Tom. 3. pag. 233. *h*) Tom. 1. §. 91. pag. 318. *i*) Part. 1. §. 91. pag. 124. *k*) Part. 1. §. 91. pag. 105. *l*) §. 13. pag. 41. et §. 32. pag. 96. — Confer supra §. 72. ubi praecipua loca exhibentur.

quam *lex catholica* exhibet Commilitonis tui? Ubi enim ille, nulla causa, et repugnante *Jahnii* doctrina, illum nihilominus in *lege suprema* tamquam haereticum invasit palam; *Jahnius* scripta ad eum epistola, non modo superiora denuo professus est, sed etiam condigne Commilitonem defricuit pro insigni perfidia, qua sibi tribuat, quae nunquam sensisset, et quibus contraria in omnibus operibus profiteretur: „Scribis, inquit, in tua dissertatione ac si Jahnius nullam prorsus mentionem de traditione fecisset; satis mirari non possum tuam malam fidem, vel negligentiam; annon legisti, quae in Enchir. Herm. pag. 98—100. scripta sunt? si autem legisti, quare non commemorasti? Profecto candorem tuum valde desidero. Sed parco.“ Leg. cath. pag. VII. Ad haec, mi Comes, quid vir gravis, doctus, honestus, cui sola fidei integritas fuerit curae, aliud faceret, quam ut suum fateretur errorem, veniam peteret de iniuria, de amoto periculo gauderet, et cum primum suppeteret occasio, palam etiam retractaret, quae tam injuriose scripsisset? Nisi humanus in te sensus, mi Comes, penitus exstinctus, non gravate dabis, id tum fuisse Commilitonis tui officium.

At quam ille alia omnia! Cogita, mi Comes, *Jahnii* epistolam, perfidiae suae testem et vindicem in *legis* suae *catholicae* fronte locavit; de judicio mutavit nihil; tamquam hostem ecclesiae impugnare pergit a summo ad imum; dicta illius impudentius corrumpit ac ante, et perversae interpretationis cumulat exempla, tam aperta perfidia, ut quot verba, totidem etiam sint calumniae. — Haec tibi, mi Comes, ut turpitudinis tantae horrorem concipias, declarata dabo. Ego novo exemplo didici, verum illud esse: *nihil novi sub sole.* Eadem enim iam praecesserunt in secula, eosdemque crabrones iam et Hieronymus pertulit, qui ea de causa *Exuperi* Tolosani Episcopi implorat preces adversus malevolos „*qui ad hoc solum linguas habere se putant, ut proximos lacerent, et duritiam frontis attritae verborum rabie consolentur a*).“ Si compatior, mi Comes, *Jahnio*, Commilitonis tui etiam miseret, qui omnem pudorem abjecerit et pro-

---

a) Praef. ad Libr. III. Comment. in Zachar. Tom. 3. pag. 1771. Coll. 1705.

culcarit palam. Literis tamen gratulor, quod, ut penitus exemti non sint, deviis affectibus etiam earum cultores, rara tamen suppetant tantae impudentiae exempla: nec fere aliud ipse novi, quam non pridem defuncti (cuius nomini literarum amore parcitum volo), quem literarii homicidii in duobus doctis viris, nuper admodum arguebant summae fidei atque modestiae literariae novellae *b*).

§. 123.

Priusquam a *lege suprema* Commilitonis tui divellar, mi Comes, unum tibi adhuc exemplum dabo, ut de fide illius statuas non erga *Jahnium* modo, sed etiam erga alios. Citat ille e *Krommeri*, viri gravis et eruditi, tum etiam amborum nostrum communis quondam magistri, historia literaria *a*, in hunc modum: „Num sic seu loquentium seu scribentium modus, ad grammaticae leges, dialecticae et philosophiae subtilem amussim, undequaque exactus? Num seu in verbis, seu sententiis ac sensu, omnium eodem, aut prope eodem, utentium sermone, aequalis prorsus, idemque? Minime vero: omnem igitur sic seu loquentium seu scribentium vocem, sententiam, „*ex usu loquendi*, *ex antiquitatibus*, *et ex hermeneuticis regulis definire*, *non interpretari*, *sed ineptire est.*“ Lege Jo. Chr. Gottl. Ernesti disput. de usu vitae communis ad interpretationem novi test. Lipsiae 1779; sed confer etiam Doederlein Theol. Bibl. Vol. I. fasc. 7. pag. 549 *b*).

Sermo est, mi Comes, *Krommero* de scriptis novi foed. quorum auctores trito tunc sermone usi sint. Sed vide, quam ille turpiter corrumpat dicta magistri, qui pro verbis postremis, incipiendo ab „*ex usu loquendi*,“ sic habet: „scribentium vocem, sententiam, *dicendi modum*, *severa grammaticae*, *dialecticae*, *philosophiae bilance ponderare; moreque loquendi aliarum gentium*, *praesertim sapientum et philosophorum*, *morem scriptorum sacrorum metiri*, *non interpretari hos*,

---

b) *Götting. Anzeigen* de Nov. 1820. *Stück* 197. pag. 1963.

a) Fr. *Krommer* Instt. hist. lit. theol. Part. 3. in 8. Budae 1783. *b*) Leg. supr. §. XIII. pag. 17.

sed ineptire est c)." Tune aequam causam putas, quae tam propudiosis mediis habeat opus? Considera et illud: *Jahnius*, ut quisque rei gnarus, haec verba *Krommeri* probat, quia veritatem continent ex rei natura depromtam; eoque scribit „*cavendum itaque est, ne vocibus plus minus substernatur, quam hae definitiones usus loquendi exigunt. Monitum omni aetate gravissimum, imprimis autem nostra, qua plures eo abripiuntur, ut verbis et sententiis scripturae obtrudant notiones et sensus, ex recentissima philosophia haustos, quod sibi nemo in Aristotele aut Platone interpretando permittit* etc. *d*)." Qui ergo *Jahnio* aegre facere non poterat, si *Krommeri* retulisset verba, ut faceret aegre, verba corrupit.

Sed, mi Comes, quod tui etiam causa advertas velim, illud est: ‚Naturam veritatis esse, ut cohaereat; mendacii, ut non cohaereat: quod in hoc exemplo dilucide vides. Citationes enim, quas corrupto textui subjunxit Commilito tuus, cum ipso textu fronte nunc pugnant aperta. Quomodo enim *Ernestius* et *Doederlinius*, viri docti et Protestantes, usum loquendi, *Antiquitates* et *Hermeneuticam* repudiarent, quando in his gloria sita est *Hieronymi*, uti tibi supra §. 57. et subsequis ostendi; quando sine his nulla unquam interpretatio facta est, ac ne fieri quidem potest, si nosti, quid sit *usus loquendi?*

Jam te oro, mi Comes, annon incredibilis temeritatis sit, Commilitonem tuum, qui ne prima quidem stamina norit hermeniae, imo ne prima quidem elementa omnis humani sermonis, cum *Jahnio* congredi, suae subdere ferulae, violatae fidei arguere, et tamquam haereticum et incredulum palam proscindere et calumniari? Annon tibi dixit Hieronymus, supra §. 123., esse „*qui cruditos se aestiment, si de cunctis scriptoribus detrahant?* Denique ludicrum est videre, mi Comes, ut iste Commilito tuus, non dubium, quin grati animi et venerationis ergo, e magistri optimi literaria mantica, dextre dum potest, sibi aliquot furtive obolos tollat. Qui enim in textu §. 123. e *Krommero* adducto, post verba: *ineptire est,* diligenter addiderit consueta haec („)

c) Part. 2. Libr. III. Sect. I. §. 3. pag. 252. sub **.
d) Enchir. §. 8. pag. 32.

textus absoluti signa, lectores credere iubet, ex *Ernestio* et *Doederlinio* citationes subjunctas, e sua esse promtas penu. Sed tu confer *Krommerum*, et videbis usque ad apicem inde transcriptas. Verum haec obvia, alias integrae etiam paginae sine indicio ex aliis derivatae.

§. 124.

Sed iam abdico omnia, mi Comes, quae de Commilitone scripsi hactenus; vir summae fidei est, ipse dixit, tam quidem asseveranter, ut non dubium sit, quin de se hoc lectores velit credere. Ubi enim suum supremum principium (§. 41.) exposuit, non dubitat eius certitudinem a quovis perspectum iri, qui illud „*cum Religionis* inquit *a Christo revelatae cognoscendae principiis sedulo contulerit. Quod ego amore veritatis, cui toto impendor animo* (!), *ac gratia conciliandae differentiae, cuius scintillae ab extraneis jactae, domesticorum quoque animum accenderunt, illustraturus sum a*).“ Honesta oratio est, et laudanda pietas, cognoscendae religioni sese dedere: mansueti animi est, motas sedare mentes, divisosque mutuae reddere amicitiae. Primus erat Magister tuus, qui inter nos crepare coepit *Jahnii* haereses. Quorsum hae redierint, satis ex dictis vides: aemulationis et inscitiae partum esse palam est. Hic jam Commilito tuus Fetialis partes agere instituit, et porrecta Magistro dextra, anathema dixit *Jahnio*! Sapienter: si enim pater fieret patratus, non claresceret hodie *lege suprema* et *catholica*. Sed reponam, mi Comes, quod olim Hieronymus: „*rideo advocatum, qui patrono egeat b*)“: „*qui tam male videtur existimasse de ceteris, ut nemo possit de eius erroribus judicare c*).“

§. 125.

Ad *legem catholicam* venio Commilitonis tui, cuius §. VII., relato concilii decreto, ex *Vincentio* Lir. subjungit: „*hoc semper Haereticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis, catholica perfecit ecclesia.*“ Quoniam e principiis *Jahnii* §. 72. re-

---

a) *Leg. supr.* §. IV. pag. 5. *b*) Epist. XXVI. ad Marcellam Tom. 4. P. 2. pag. 63. *c*) ad eandem Tom. 2. Part. I. pag. 624.

latis impossibile est enasci haeresim, aut ullum contra sanam doctrinam errorem, intelligis, Commilitonem sine vitio elenchi et calumnia loqui non posse *a*). Postea distinctionem vellicat praecepti *affirmativi* et *negativi*, quoniam jus interpretandi scripturas sibi asseruisset ecclesia *b*). Explosum habes §. 102—7. et 110. et 114. Confirmationem addidit ex initio decreti de canon. script. Sess. IV. ubi non sufficiat traditiones non spernere, nisi et reverenter suscipiantur. Mira logica! Qui traditiones seu spernit seu seponit, spernit aut abdicat doctrinam fidei, quod de Jahnio ob §. 72. sine calumnia dici non potest. Qui autem negat Patrum interpretationes, quibus sua confirmarunt dogmata, infallibilia esse argumenta, et justis e causis seponit, ille non doctrinam seponit aut negat, sed argumentum infirmum nulla fidei laesione. Advertisset ad distinctionem erroris *exegetici* et *dogmatici*, et ipse risisset, mi Comes, suam comparationem. Rem enucleatam habes §. 95. et subsequis, et 102—4. Quod autem aeque extra oleas est, adducit etiam aliquot exempla definitorum textuum in concilio: quasi vero hanc potestatem ecclesiae negasset *Jahnius*! Sed fixum est, sine vitio elenchi nihil scribere.

§. 126.

Sed nunc iam, mi Comes, Commilito tuus minaciter stringit gladium: *Cajetanus* plus quam haereticus, Rationalistarum prope gemellus; *Pallavicinus* ubi adversus est, vix cassa nuce pluris. Sensit enim pondus inesse priori, qui ea scripserit, quae supra §. 90. retuli, probante *Pallavicino* supra §. 75. Prioris auctoritatem tollit, interposito *Cano a*) Canar. Episcopo; qui de *Cajetano* dixerit „*qui curiositatis libidine affectus, vel certe ingenii dexteritate confisus, cum literas demum sacras suo arbitratu exposuisset, felicissime quidem fere, sed paucis quibusdam locis, acutius sane multo quam felicius.*“ Existimavit enim ab eo illimitatam libertatem interpretandi concessam, Patrum nulla habita ratione. Hinc illi opponit: „*quod si semel admissa fuerit haec licentia, ut libros sacros pro suo quisque arbitrio interpretetur, horreo dicere, quan-*

---

a) Pag. 6. *b*) Leg. cathol. pag. 7.

a) Libr. VII. Cap. 3. Concl. 5. pag. 160. Col. 1.

rum abolendae religionis periculum consequatur. Porrò autem si totam scripturam hominum quorumlibet ingenio arbitratuque exponi liceat, nihil firmum relinquetur, sed sit ibi deinceps errorum lupanar necesse est, ubi erat ante castae et incorruptae sacrarium veritatis b)."

Quid iam *Cano* facias? Accusatio est non minima, dignitas viri spectata, et mens provida Commilitonis *Pallavicini* auctoritatem non suscipit, qui pro *Cajetano* apologiam texuit *c*). Et tamen *Neotericorum* interest quam quod maxime, *Cajetanum* salvum esse potius, quam *Canum*.

Hic, mi Comes, cum Commilitone agam liberaliter, et a *Pallavicino* praescindens, aliis momentis *Cajetani* innocentiam, quam ad lupanar deduxit *Canus*, ut res tulerit, asseram. Si meministi, qua opinione Cajetanus Romae fuerit, §. 114., facile dabis lectam fuisse summis quibusque *Praefationem* commentariorum, quos *Clementi VII.* dedicaverat. Si ergo reapse insunt illa monstra errorum, quae in illa *Canus* vidit, qui fieri potuit, ut nemo Romae, nemo in Italia, aut etiam in Tridentino concilio, cuius indictioni non nisi octo annis praemortuus est, tantae pesti occurreret, quae in exitium rei Christianae nata videretur? Ultimane Hispania fuit opus, ut Roma intelligeret fidei pericula, quae suo in gremio sunt nata?

Tum autem, si in ea praefatione tam perversum statuit principium, qui fit, ut *Canus* in illo ne unicum quidem arguere possit errorem, sed ultro fateatur, interpretationem passim felicissime cessisse, nec nisi in paucis quibusdam locis *acutius quam felicius*? *Acutius*, mi Comes, in hoc contextu, expositiones novas, nec sine ingenio notat, sed non erroneas, nedum monstrosas. Declamationem ergo illam *Cani* ad artes rhetoricas refero, non autem ad judicii limati gravitatem; uti etiam ex ea apostrophe intelligitur, quam postremis praemisit.

§. 127.

Nunc ipsa *Cajetani* verba, mi Comes, considera supra §. 90., ut videas quam *Canus* tota aberraverit

---

b) Ibid. pag. 164. Col. 2. *c*) Hist. concil. Trid. Libr. VI. C. XVIII. No. 2.

via. Juxta *Cajetanum* enim a ss. doctorum torrente sensus potest esse *alienus*; quia illis alligata non est expositio scripturarum; non tamen *dissonus* esse potest a doctrina ecclesiae, cuius *censurae* omnis subjecta sit interpretatio. Quod unicum sufficit, ut omnes *Cani* suspiciones inanes sint, cum impossibile sit, ut ille sanam laedat doctrinam, qui pro Cynosura sibi posuerit fidem ecclesiae. Sed ut Commilito tuus has res de trivio iam tandem intelligat, iube illum ad exemplum Hieronymi advertere, quem tibi supra §. 57. et in subsequis descriptum dedi. Quid ille praeter ecclesiae doctrinam praesidiorum habuit, quod non esset humanum et ab omni patrum interventu longe secretum atque remotum? Magistri eius erant Rabbini Tiberiadenses in critica et interpretatione, §. 55. et deinceps; adde quem supra praeterii locum e Jobi Praef. 1. „*Memini, ait, me ob intelligentiam huius voluminis Lyddaeum quendam praeceptorem, qui apud Hebraeos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis: cuius doctrina an aliquid profecerim nescio, hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram.*“ Ergo Jobi intelligentiam a Rabbino didicit.

Si igitur nullo aut ecclesiae aut Patrum interventu, novum fidei instrumentum, mille annorum usu, et decreto Tridentino roboratum, opera unice Rabbinorum per Hieronymum suscipi potuit et perfici; quis aut tam hebes sit, ut non intelligat eorumdem mediorum idem et hodie esse pretium quod olim? aut tam malevolus, ut crimen putet, iisdem uti praesidiis in exponendo, quibus usus est s. ille doctor in vertendo? qui non intelligat, aut *Hieronymum* pariter damnandum, aut *Cajetanum* cum illo pariter absolvendum esse? Est ergo sane ignoranter dictum a Commilitone tuo, *primum* fuisse *Cajetanum* qui *orthodoxam legem interpretandi temeraverit a*); cum ab *Hieronymo* et *Vincentio Lir.* nemo non idem senserit doctorum, §. 86 — 91. Commilitonis autem tui lex nova interpretandi manifeste absurda sit, §. 41. 42. 43. item 102 — 7. ne dicam temerarium esse, a Commilitone impugnari *Cajetanum*, quem probet Magister.

---

a) Leg. cathol. §. IX. pag. 8.

§. 128.

Nunc, mi Comes, dabo exemplum, quam temerarie et imperite tuus Commilito calumnietur *Jahnium*, cuius locum jam §. 72. relatum hic quoque commodo tuo ponam, ut habeas prae oculis. Ait ille: „*Id vero haud quaquam universim ita intelligi velim, ut omnis analogia doctrinae his limitibus concludatur. Quemadmodum enim discipuli primi quorumcunque antiquorum doctorum, ab his ipsis oretenus multo adcuratius edocti, libros quoque ipsorum, et facilius et melius omnibus aliis subsequentibus intellexerunt, atque si doctrinae magistrorum suorum fideles erant custodes, et rectius et adcuratius exponere poterant: ita quoque immediati et mediati discipuli Apostolorum, et doctores primitivae ecclesiae, sensum locorum s. scripturae, quibus doctrinae sublimiores proponuntur, ex ore Apostolorum et primorum discipulorum penitus hauserunt, et altius penetrarunt.*

Qui forte dixerit, hoc nihil esse aliud, quam scripturam ad dogmata ecclesiastica et theologica adcommodare, videtur non intelligere, quod diximus; nam longe absumus, ut ad auctoritatem ecclesiae catholicae, de qua, ubi hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus, sed testimonium duntaxat antiquissimorum ecclesiae doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus; quid enim? si loca profanorum antiquorum scriptorum et Talmudicorum ad comprobandum sensum N. T. admittuntur, cur non valeant loca scriptorum ecclesiasticorum eiusdem aut antiquioris aetatis, qui doctrinam immediate vel mediante una alterave generatione ab Apostolis acceperunt? Huic principio quid opponi possit, non video; imo reperi Clericum, celeberrimum Bibliorum ecclesiae reformatae interpretem, consentire; et alii Protestantes doctrinam primae ecclesiae diligenter investigare minime negligunt a).“

Ubi igitur Commilito tuus, *Cani* inanes accusationes contra *Cajetanum* retulit, in nota subjungit: „Ad verbum valent haec de auctore *introductionis* in LL. vet. foed. et *Enchiridii* hermeneuticae generalis. Nec tamen in eo deficit *vir aestimatissimus* (*sal-*

---

a) Enchirid. §. 32. pag. 98 — 100.

ve rex Judaeorum, et dabant ei alapas), *quod neget* loca scriptorum ecclesiasticorum, eiusdem aut antiquioris aetatis, qui doctrinam immediate vel mediante una alterave generatione ab Apostolis acceperunt, ad comprobandum sensum valere; *sed per id, quod hunc iis conformandum esse et verbis Enchiridii pag.* 100., *et factis neget :* sicque suprema sua *usus loquendi regula fallatur b*)." Dic, mi Comes, an hic non sit illa *attrita frons*, de qua supra §. 122. loquitur *Hieronymus* ? *Jahnius* contra Rationalistas urget testimonium primorum Patrum de sensu, quem ignorare non potuerint: Commilito negat hoc factum! *Jahnius* eorum Patrum sensum tamquam indubium habet: Commilito ait, ne conformandum quidem esse illis Patribus sensum scripturarum e *Jahnii* sententia! Legistine, mi Comes, aliquid impudentius in vita tua? Confer §. 82.

Sed vide mendaciorum perpetuum effectum. ut implicari secumque pugnare necesse sit, qui iis utatur. Ait Commilito, ex *Jahnii* sententia, non valere Patres apostolicos et proximos ad sensum probandum, nec qui hoc doceat ulla in re deliquisse. Et ipse tamen Commilito tuus summum principium statuit Ecclesiam et Patres! §. 41. Is idem etiam *Cajetanum* accusat (§. 127.), qui sepositis Patribus, *primus temeraverit orthodoxam legem interpretandi* et tamen *Jahnius*, qui idem docere hic praetenditur, una declaratur innocens! Si Commilito tuus, mi Comes, non dico doctus, sed vel naturaliter prudens est, valeant Critici cum sua regula: Virum prudentem sibi non contradicere intra paucas lineas eodemque in contextu. Utramque enim hanc de *Cajetano* et *Jahnio* declarationem idem paragraphus, eademque continet pagella. Non magno opus fuerit ingenio, mi Comes, ut si Patres apostolicos jure repellas a testimonio dicendo de sensu locorum, ubi sublimiores doctrinae traduntur, eosdem quoque explodas jure, dum ipsam tradunt velut ut ab Apostolis acceptam doctrinam. Tunc autem *traditionem* inter Sinenses et Indos requiras.

§. 129.

Nunc audias, mi Comes, quid *Jahnius* habeat Enchiridii pagina 100., quam tuus Commilito velut

---

b) Leg. cathol. §. IX. pag. 8.

documentum accusationis suae attulit. „*In usu*, inquit, *hermeneutico analogiae doctrinae duo extrema, utpote vitia aequalia, vitanda sunt: primum quidem, ne locis sacrae scripturae tribuatur sensus illi analogiae doctrinae oppositus; dein ne e contrario verbis sacrae scripturae, ut huic analogiae doctrinae conformentur, vis inferatur; quod esset sacris libris inferre sensum, qui ex ipsis efferendus fuisset.*" Aliud, quod ex ea pagina, dimidia parte vacua, huc ullatenus pertineat, omnino nihil est; quam autem praedicta absurde a Commilitone commemorata sint, mox intelliges. *Prima pars* sententiae si non vocula in omnibus operibus sensum suum manifestasset de interpretandi ratione, abunde sufficeret ad omnes obtrectatores eius in ruborem dandos. *Altera pars* ex intima humani sermonis natura sumta est. Si enim verba invito auctore quisque trahere posset in suam sententiam, ipso facto everteretur usus loquendi, unaque omne hominum intellectuale commercium, omnisque sermo humanus. Unde nisi res ipsa evidens esset, nullo labore hanc regulam e patribus tibi assererem. *Hilarius* certe iisdem prope verbis expressit. Demum adverte ad logicam commilitonis, qui e dictis verbis *Jahnii* infert, illum in *usu loquendi*, velut supremo principio, decipi; cum potius evidens sit, non servata *Jahnii* regula, inutilem fore omnem humanum sermonem, et reditura Babelicae turris spectacula.

Sed aliud hic subest, mi Comes: vix memineris, vetus historia est, et anterior *Inacho*; cum lupi rogarunt gregis dominum, inutiles ab caula ut removeat canes, fore ut ipsi pervigilent in commoda gregis. Sic, mi Comes, Commilito tuus suam improvide mentem indicat, et quid fecerit hactenus, quidve facturus esset in posterum, hac *Jahnii* accusatione incautus aperit lectoribus. Addit in eadem *nota*, „*Jahnii* opus ab erroribus castigatum esse per *praestantissimum Sandbichlerum.*" Mirum, mi Comes, quam huic nunquam tuto fidas? Vide §. priore, quam docte, quam catholice loquatur *Jahnius* in Enchiridio, cui addere adhuc possis eius §. 13. — Haec *praestantissimus Sandbichlerus* e suo Enchiridii Jahniani compendio expulit, nec vel in Introductione in vetus testamentum vestigium eorum invenias, quae supra §. 72. ex Jahnio relata sunt. Et ecce! *Sandbichlerus est praestantissimus*, *Jahnius* autem haereticus! Confer

supra §. 53 et 54. Lepide! Plurimi tamen fideliter ista credunt mendacia, nihil etiam suspicantes mali; eoque magis necessarium est, talia etiam literarum causa lectoribus ob oculos expandere.

§. 130.

Pergit Commilito tuus, etiam in subsequis sine lege vagari, et perpetuo vitio elenchi arguere *Jahnium*, nec verecundatur ex *Hieronymo* commemorare, ecclesiam non hominis evangelium accepisse, sed Dei *a*). Eadem fallacia in usu *Pallavicini*, cuius omnia diligenter praeterit, quae sibi adversa sunt, raptim carpens longe aliena a statu quaestionis. Quia tamen jam lippis et tonsoribus notum est, *Cani* accusationes §. 125. repulsas esse a *Pallavicino* et *Cajetanum* assertum *b*), quid tuus Commilito in illum commentus sit, audi. „Posito, inquit, Pallavicinum eius mentis fuisse, fas esse depromere sensum a sanctorum patrum expositione diversum; ipsum falsum esse, cur non ausimus profiteri, cuius s. l. auctoritas suscipienda est in iis, quae in concilio gesta sunt; in doctrinis non plus valet quam sit rationum quibus nititur momentum. Fidei ecclesiae nec unius alteriusue sancti patris sententia praejudicat, multo minus alterius doctoris.“ Leg. Cath. §. XI. pag. 12.

Nihil dicam, mi Comes, de critica Commilitonis tui, qui in *gestis* solum reponit historiam et referentis auctoritatem, cum tamen remota saepe occasio, agentium fines atque studia, ut gestorum, sic anima quoque sint historiae: id adverto, cum nec Magister tuus (§. 74. 75.), nec alter, quod sciam, hac in re elevare conatus sit *Pallavicini* fidem, verendum esse ne nihil sapiat, qui in re tam suapte aperta adversus omnes sapiat; ipsaque haec solitudo sententiae, non mentis judicium, sed desperationis partus sit. Si praeterea Commilitonem audias, patrum interpretationibus cum honore sepositis, quod Hieronymi exemplo fecit *Cajetanus*, praeferens sensum non *contrarium*, sed *diversum*, quem poscit usus loquendi „*proh dolor! ad invehendum Rationalismum magis, quam ad arcendum c*)“ adlaboras. Amplector: sed quaero, an cum

---

a) Leg. Cathol. §. 10. pag. 10. *b*) Hist. Conc. Libr. VI. cap. XVIII. §. 2. *c*) Leg. Cath. §. 16. p. 18.

ratione credere possis, ut *Pallavicinus* ex actis scribens decreti Tridentini historiam, tam aut impius credi possit, aut rudis, ut dum ab unanimi patrum sententia, secessum indulget in sensum novum, connivere voluerit Rationalistis; aut ex nimia inscitia, nec adverterit quidem hoc tantum fidei exitium? Alterutrum, vel utrumque etiam, si Commilito credere volet, non invidebo.

Demum, unde Commilito tuus illud hausit discrimen, ut *Pallavicini* auctoritatem admittendam putet „*in iis, quae in concilio gesta sunt: in doctrinis non plus valeat, quam sit rationum, quibus nititur momentum?*" Hocne ergo vult, ut per singulas propositiones singulorum referat dicta atque momenta, quibus disceptatum est? Quot tum volumina forent non tam historiae quam actorum? Legere haec ad historicum pertinebat, et legit etiam: sensum autem tradere, in dicata solum auctoritate suffecit, nisi judicium adimis aut fidem. Hoc autem praestitum esse, videre poterat Commilito, nisi studio avertisset oculos. Cum enim quidam de poenis etiam infligendis cogitarent, si quis scripturas explicasset „*aliter quam ecclesia, patresque sentirent, prudenter Clodiensis d) admonuit, id non de quacunque diversitate intelligendum, sed de ea, quae illis repugnaret: cum alioqui liceat e quovis scripturae loco novam sententiam elicere, ubi locus ille, nec ab ecclesiae auctoritate, nec a patrum concordi consensione certam iam interpretationem obtinuit e).*"

Hunc autem ipsum *Pallavicinus* pro teste ibi etiam adduxit, ubi *Cajetanum* adversus *Canum* vindicat *f*). Quid jam mutiet Commilito tuus? Dicet utique, unicum *Clodiensem* vel ipsi *Pallavicino*, quem rejecerit, imparem esse. At vide, mi Comes, *Clodiensem* tamquam *prudenter* locutum, laudari, seponi contrariam sententiam, atque in eius scita concedere synodum. Et sane *prudenter* ille vir locutus est pro *Neotericis*. Primo improbat eos, qui satis incaute patrum interpretationes tamquam inviolabiles sancire voluerunt: monet id unum vetandum, ne patribus *adversi* et *repugnantes* sensus statuantur; hac autem conditione

---

d) Nomine *Jacobus Naclantus*, Dominicanus, Episcopus Clodiens. *e*) ibid. Libr. VI. Cap. 15. §. 4. pag. 238. *f*) ibid. Cap. 18. §. 2.

servata, ait, liberum esse, novis indulgere sensibus, si iustae rationes exegissent, iis solum demtis locis, quos definivisset ecclesia, de quo nemini dubium est; et qui a patrum concordi consensione *certam* interpretationem accepissent Vides ergo, mi Comes, solam patrum consensionem nondum inviolabilem reddere sensum, nisi et alia adsint argumenta, quae *certum* efficiant; cuiusmodi iudicium circa novum testamentum dilucide evolutum habes in *Jahnii* Enchiridio §. 32. cui conferes supra §. 72 et 82. Calumnia quarta tui Magistri, ista non vel modo videntis. Supra §. 111. Atque hinc est, cur summi quique illico post concilium, ea conditione servata, etiam ab unanimi patrum consensione recedere, licitum esse non dubitaverint, uti docui §. 91. Ad. exemplum autem patris unius dissentientis a reliquis, tam a ratione alienum esset respondere, quam sine ratione allatum est.

§. 131.

Ne Commilito tuus, mi Comes, vel in disciplina peregrina hallucinatus videretur; neve ab suscepta semel de inviolabili patrum interpretatione sententia, toto orbe nequicquam repugnante, latum unguem decederet, adversus supra §. 95. allatum exemplum collectas novis curis suppetias in campum producit, sic scribens: „Versiculus 6. Psalmo 32. *Verbo domini coeli firmati* est *arundo longa* interpretum, consensum ss. patrum in rebus fidei, ac morum quoque falsi arguentium. Nec tamen vel hoc verum est, omnes hic *Logon* seu *Filium Dei* intellexisse. Sane *Chrysostomus* homilia VIII. et XIX. ad populum Antioch. intellexit de *verbo scripto; Ambrosius* Libr. IV. in Luc. C. 4, *de verbo omnipotente*, quo mundus hic structus est. Sic sumsit etiam *Euthymius. En peritiam patrologicam adversariorum nostrorum!*

Factum inclementer, mi Comes, a Commilitone tuo, ex ipsa adeo pauperie *Neotericis* ignominiam quaerere. Quid negem? Vobis jumenta, baiuli, coquorum, lixarum servorumque greges; nobis nil ultra paenulam, peram et *arundinem longam*: sic nostra conditio est, vivimus, quod aiunt, ut possumus, quando ut volumus non licet. Est tamen non minima consolatio, commilitonem tuum, ad huius *arundinis*, tamquam ad hesperii draconis conspectum ita expalluisse,

ut semianimis exclamaret: „*Vel unanimes (Patres) haud sunt; vel ad interpretationis apostolicae lineam modice attendebant; solum aut plus aequo, ingenii viribus, et collectis e Judaeorum, Graecorum philosophorum, haereticorum regno copiis, confisi ad interpretandum accedebant a).*" Primum fugati et desperantis (supra §. 95.), alterum victi, herbamque porrigentis est.

Sed nunc, mi Comes, Commilitonis tui, qui ne verrucas quidem arguere potuit in *Neotericis*, ingentia tubera vide. *Sermo est de unanimibus patribus* in rebus *fidei* et *morum*, ut is fatetur in textu; dat quoque *patres universos* ad apostolicae interpretationis lineam non nisi modice attendisse; plus justo sibi, plus aequo Judaeis, philosophis et haereticis confisos, interpretatos esse. An tu post ista negare audebis, unanimes patres in rebus fidei et morum absurde esse versatos? In *adiaphoris enim apostolica linea* non erat opus: in rebus autem *fidei*, *judaeos philosophos* et *haereticos*, promos condos habere non poterant, quin eodem fermento, earundem pestiferarum dapium veneno inescarentur. Et quia Commilito tuus, rebus ipsis congenitam distinctionem, inter *praeter* et *contra*, inter sensum *contrarium* et *diversum* negat *b*), Patres turbidas illas lacunas, apostolicae scaturiginis puritate neglecta, sectari non poterant, quin error interpretationis in ipsam quoque fidei doctrinam redundaret. Illud demum jucundissimum est videre, ut iste vir longe doctissimus in ambitu viginti quatuor paginarum, quas hoc gloriosum implet opusculum, iam altera vice (confer §. 128.) secum compugnet, dum patres, quos in fronte opusculi tamquam *legem supremam* interpretandi constituit, nunc ipsius adeo *tituli* et propositi sui oblitus, eosdem tamquam *lineae apostolicae* incurios, philosophorum, Rabbinorum et haereticorum, in ipsis adeo fidei morumque rebus coecos sectatores, publico probro objicit. En! iterum praeclarum aemulationis fructum. *Neotericos* perpetuo de violata fide accusat, quod salva licet doctrina atque fide, ubi necesse est, sepositis patrum interpretationibus substituant meliores: is ipse vero, et errasse eos in interpretando, et simul apo-

---

a) Leg. suprem. §. XVII. pag. 23. *b*) Supr. §. 120. 125. 128. et Leg. Cath. §. XI. pag. 12.

stolicam temerasse fidem, palam praedicat sine fronte atque pudore!

§. 132.

Sed produxit Commilito tuus, mi Comes, dissentientes ab eo sensu (§. priore) *Chrysostomum*, *Ambrosium*, et *Euthymium*. Sit ita; non tamen vel sic praejudicabitur sententiae, quoniam uno alterove demto, reliquos merito dicerem moraliter unanimes. Sed fateor, mi Comes, non sine risu legi haec Commilitonis tui oracula. Annon enim absurditatum omnium absurdissima est dicere: *verbo scripto* conditum esse hoc universum? Seu enim eo Psal. 32, 6. versiculo Deum universim, seu ss. trinitatem intelligas, de creatione sermonem esse, nec tuus Commilito diffitetur. Quoniam ergo sacrorum scriptorum antiquissimus est *Moyses*, hunc saltem cum stylo ferreo, plumbi lamina, celte et silice *a*) ante orbem conditum existere necesse fuit, quo nobis in statu quod ajunt logico, orbis physici creationem describeret! Utut ergo certum habebam in doctissimo patre nihil absurditatum istarum repertum iri, ne tamen jussis Commilitonis deessem, dictas homilias VIII. et XIX. primum in editione *Ducaei* Francf. ad Moen. 1709, post etiam in Bern. *Montefalconii* Parisina diligenter, sed incassum relegi. Vides ergo, mi Comes, ut ille omnia, quae fors et fortuna obtulit, sine discrimine rapit, non vel hoc unum considerans, an cum ratione consentiat, quod chartis illinit.

Neque felicior in *Ambrosio* est. Jam enim attentum facere poterat „*verbum omnipotens*, non de dicto, sed de persona usurpari; omne autem dubium sustulisset locus inspectus. Sic enim sonat: „Sabbato medicinae dominicae opera coepta significat, ut inde nova coeperit, ubi vetus antea disivit: nec sub lege esse *Dei Filium*, sed supra legem in ipso principio designaret. — Neque enim per legem, sed *verbo* factus est mundus, sicut legimus: *verbo Domini coeli firmati sunt.*" In subsequis etiam notat, Sabbato curatam Petri socrum „*ut ipsum se ostenderet creatorem*" etc. Confer Luc. 4, 31—40. Quomodo igitur *verbum* non sit persona, quando de creatione sermo est,

---

a) Job. 19, 24.

et inter *Filium Dei*, et Christum *Creatorem*, in eadem orationis serie medium locum occupat? *Euthymium* denique Zigabenum seculi XII. monachum Constantinopolitanum schismaticum, patrologi inter ss. patres referre obliti sunt.

Nihil denique a superioribus distat subjuncta in fine exclamatio: *En peritiam patrologicam adversariorum nostrorum b*)! Vide iam, mi Comes, ut tu in patrologia talpa futurus es, si unam alteramve sententiolam ex omnibus patrum scriptis ignores. Commilito enim tuus a *Clemente* Romano, nisi iam ab epistola *Christi* ad Abgarum, usque ad *Euthymium* Zigabenum universos praesentissima semper tenet memoria, ut si in voce aberres, indignus patrologiae tiro habendus sis.

Si tamen ex illo quaeras, quaenam opera *Ambrosius*, *Chrysostomus*, aut *Euthymius* scripserit? ingenue fatebitur, id ignorare se, quoniam titulos nunquam legisset, quo plus otii esset ediscendis textibus. Miror tamen non nihil, cur ille hos tres scriptores non jam in *lege suprema* protulerit, sed anno demum tardius in *lege catholica*? Nisi forte et ille in patrologia talpa est, qui non nisi cum tempore compilat, quod opponat Neotericis. Suadebis ergo, ne in posterum novos patres adferat, ne tanto latius percrebescat, talpam et ipsum fuisse in patrologia hactenus, qui tanta haud multo prius ignoraverit.

Jam nunc, mi Comes, tute judica, annon indignissimum sit, ab homine, qui nec prima quidem disciplinae huius libaverit elementa; qui sine perpetuo vitio elenchi scribere nolit; nec adversariis sine petitione principii respondere quidquam possit, doctissimum *Jahnium* fictisque haeresibus lacerari, proscindi, publicaeque invidiae objici? Si jam criminum numero calumniam exemistis, saltem bonis literis, honori patriae catholicoque nomini parcite; nec, si vobis nullus pudor est, alios quoque consimiliter vobis omni fronte et verecundia destitutos existimate, quibus non potest non esse acerbum ab talibus filiis intemeratam prostitui ecclesiam matrem. Tu autem, mi Comes, memore mente retine, nihil esse tam vile quod temere contemnas, cum et *neotericorum arundini*

---

b) Expos. in Luc. Libr. IV. No. 58. pag. 843. Tom. 2. Edit. Maur.

longae ea insit virtus, ut Commilitoni nec generosus bucephalus fuerit saluti; et qui se inconsiderate super omnes extulerit, eo jam redactus sit, ut nec defendere quidem se amplius possit; sed quanto plura, unde unde corrasa, attulerit in posterum. tanto majoris inscitiae proprio judicio accusandus sit.

§. 133.

Ad caetera, mi Comes, Commilitonis tui effugia potius quam argumenta, jam paucis reponam. Sensisse ille videtur, negato sensu decreti Tridentini, quem *Neoterici* cum antiquis, omnibusque doctis statuunt continuo sequi, e sensu ecclesiae, et unanimibus patribus non centesimam scripturarum partem suam accepisse interpretationem: cui, ut occurrat, aliquot ponit exempla ex concilio *Arausicano II.* tredecim episcoporum *a*). Sed multo fecisset consultius, si istorum loco *acta conciliorum* in genere obtulisset lectoribus, additis omnium nationum particularibus codicibus conciliorum! Quid enim talia prosint? Sint enim vel maxime authenticae expositiones antiquorum, quis vestrum unquam acta conciliorum legit aut patres? quis retinet memoria? Rogatis ergo leges aliis, quas nec ipsi observatis, ac ne observare quidem potestis, uti praeter plura alia supra exposui §. 102 — 108.

Ut autem Hieronymi forte sine patribus interpretantis defugiat auctoritatem, ait: „inter mortuam et inanimem scripturarum literam, et vivificum spiritualem sensum discrimen est. Hoc Hieronymum non fugit in Comment. sup. I. Cap. Epist. ad Gal. dicentem: *ne putemus in verbis scripturarum esse evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in radice rationis b*).“

Quomodo haec huc pertineant, non intelligo, imo ne ipsa quidem intelligo quae dicit. Quid enim est *mortua litera et vivificus sensus?* Video alludi ad locum Pauli, „*litera occidit, spiritus vivificat c*).“ Sed redit quaestio, quorsnm hic *lex* et *evangelium*, de quibus ea sententia sonat? Diceret ergo clare, ut alii solent; nunc quomodo vincam, qui non videam inimicum, et Andabatarum more pugnare nolim? Scrip-

---

a) Leg. Cath. §. XII. pag. 13. b) ibid. §. XIV. pag. 15. *c*) 2 Cor. 3, 6.

tura a Genesi ad Apocalypsim eadem est; iisdem humanis vocibus, eodem humano sermone in fonte non minus ac versionibus; fructus ex usu animoque dependet legentis: eoque tam suo illachrimatur Turca Corano, quam Christianus Evangelio. Valet hic illud Kempensis: „*Si quaeris in illis Jesum, invenies utique Jesum. Si tamen quaeris te ipsum, invenies etiam te ipsum, sed ad tuam perniciem d).*" Sed velim audire logicum, qui mihi inde extundat, in interpretatione sequendos esse patres. Annon advertit Commilito, in patribus quoque esse *mortuam literam et vivificum sensum*, quatenus in his ac in scripturis, fructus eadem ratione ab indole et scopo legentis pendet? Nihil in his, mi Comes, objectivum est, velut ex opere ut aiunt operato; subjectiva sunt omnia pro varia persuasione et animi comparatione lectorum. Obvius asceta plurimos magis aedificat, quam exquisitissimi Psalmi, aut sublime Evangelium Joannis, profundusve Paulus.

Quam autem a proposito aliena sit Hieronymi sententia, satis, mi Comes, vides. Neque enim ille seu de *mortua* seu de *vivificante litera* loquitur, sed de *radice rationis*; ut Rationalistam effeceris citius, quam nescio quem Ascetam, aut spiritualis sensus patronum. Vereor, mi Comes, ut Commilito tuus satis videat, quid vel ipse *Hieronymus* verbis illis voluerit dicere. Ponam igitur quaedam e consequentibus illius sententiae. „*Tunc* scriptura utilis est audientibus, quum absque Christo non dicitur; cum absque Patre non profertur; quum sine spiritu non eam insinuat ille, qui praedicat. Ego quoque ipse, qui loquor, si Christum in me habeo, non habeo evangelium hominis *e*)." Vides, ut ista non ad scripturam, sed ad animum dicentis vel audientis referantur; ut adeo scriptura aliis possit esse mortua aliis vivificans, non ex se sed ex indole eius qui legerit. Quare Commilito tuus minime ex arte locutus est, cum *vivificum et spiritualem sensum* commemoravit. Illud enim, quod *spiritum* dicimus in oppositione ad *literam*, non est *sensus* scripturae, sed usus, et translatio veritatum ad animum, mores omnemque vitam;

---

d) de Imit. Libr. II. C. 7. §. 3. Edit. Tyrn. *e*) Comment. in Cap. 1. ad Gal. Tom. 4. P. 1. pag. 231.

quae tamen genuinum sensum literalem, historicum iam praevie supponunt.

Audi *Hieronymum* de Paula: „*Scripturas tenebat memoriter. Et quum amaret historiam* (sensum literalem historicum) *et hoc veritatis diceret fundamentum; magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem: et hoc culmine aedificationem animae protegebat f).*“ An cernis, mi Comes, discipulam Hieronymi? Primum sensus literalis; post spiritualis intelligentia, ut cuiusque fert aut poscit animus. Confer supra §. 63.

Alias ad Vitalem episcopum, post expositum sensum literalem (vid. supra §. 65.) ait: „*Si aut tu volueris, aut spatium fuerit, spirituale suprastruendum est aedificium, ut imposito culmine, perfecta ecclesiae ornamenta monstremus g).*“

Alias: „*Quia iuxta historiam, ut potuimus, interpretati sumus, et inter confragosos scopulos nostram naviculam reximus; spiritualis intelligentiae vela pandamus h).*“

Denique loquens de Origene, Didymo, Hippolyto ait: „*Sed tota eorum exegesis allegorica fuit, et historiae vix pauca tetigerunt. Itaque imitari cupiens illum patremfamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera, historiae hebraeorum tropologiam nostrorum miscui, ut aedificarem super petram et non super arenam, ac stabile iacerem fundamentum i).*“ Vides, mi Comes, ut ille iuxta rei naturam, primum *historiae*, seu ut alias loquitur, *hebraicae veritatis* rationem habuit, id est sensus literalis; postea *tropologaim*, id est moralem, et quidem *nostrorum* ait id est, non e loco sumtum, sed ab aliis mutuatum, attulit. Si tuus Commilito de his aliquam ideam habere cupit, legat *Gregorii Magni* libros Moralium seu commentarium in Jobum, et videbis, quid distet sensus historicus ab spirituali intelligentia. In priore parcus est ob rei difficultatem; in altero pientissimi animi thesauros torrentis instar fundit, quorum minima pars Jobi sed sua sunt. Recte ergo monueris Commilitonem, ut nisi comparatis

---

f) Epist. LXXXVI. ad Eustoch. seu Epitaph. Paul. T. 4. P. 2. pag. 686. *g*) Praef. in Libr. V. Comment. Isaj. Tom. 3. pag. 107. *h*) Comment. in Abd. C. 1. Tom. 3. pag. 1468. *i*) Praef. Comment. in Zach. Tom. 3. pag. 1705.

armis, aut saltem *brevi arundine* non procedat in proelium.

§. 134.

Nunc, mi Comes, culmen imponet suae hermeneuticae et patrologicae (§. 131.) eruditioni Commilito tuus sic scribens: „*Verborum significationem didicit Hieronymus a Judaeis, sensum ab auctoribus s. intentum, Majorum institutioni in acceptis retulit: scripturarum sacrarum intelligentiam absque gratia Dei et doctrina Majorum, sibi imperitissimi maxime vindicant. Ait in Comment. in Dan. C.* 11. *a*). Nova haec sunt, mi Comes, inaudita a seculis! Omnes putabamus, nec dubium quin tecum una, ex hebraeis fontibus, nullo Latino, nullo Graeco opitulante, qua Marte suo, qua Hebraeorum ope, Hieronymum novam adornasse versionem. Et ecce, quanto in errore versati sumus! At illo, numine quidem propitio nos levavit hic socius tuus, Puer didascalicus erat *Hieronymus*, vocabularium edidicit hebraeum, ductu autem Latinorum iunctis vocibus, sententiarum genuinum sensum cognovit. Quid rides? Mediusfidius velut serpens epidaurius tam cernit acute Commilito tuus! Hoc ego inventum lucro appono, nec dubium quin mecum *Neoterici* universi. Sume exemplum e §. 34. E Vocabulario suo probe novit Hieronymus *Sachach* esse *tegere*, *Regel* notare *pedem*; sed Latini jusserunt vertere „*purgare ventrem.* Stolidus ego, qui putarim defecisse hic magistros hebraeos, ubi e traditione majorum acu rem tetigere Latini! Abdico omnia, quae supra scripsi de Hieronymo: totus mundus in illo deceptus est (§. 64. 65.), mentitur egregie, dum versionis *Judith* et *Tobiae* nobis narrat historiam. Vidit enim Commilito tuus Graecos Latinosque inde a Clemente Romano in cella Hieronymi, qui sollicite intenderunt oculos in Rabbinum, an ille ex chaldaeo rite in hebraeum transferret, unaque monuerunt Hieronymum, quomodo eadem ex stapede iuxta perpetuam traditionem redderet latine (vid. §. 59.) Nec iam illi fido, dum alibi ait: „*Necessitate compellimur, ut crebrius quam volumus de verbis hebraicis disseramus. Nec enim possumus scire sensum, nisi eum*

---

a) Leg. Cath. §. 14. pag. 15.

per verba discamus b)." Quam astute! Vocabularium didicisti, non sensum ex hebraeo. Pudeat vel in coelis *Martianaeum* indoctum, qui contra *Clericum* apologiam scripserit Hieronymianae eruditionis hebraeae!

Jam nunc, mi Comes, post tanta inventa, post patrologiam tanto errore purgatam, Commilito tuus non immerito cristas erigit, et gloriosum caput attollens sidera ferit vertice, impium despiciens *Neotericorum* genus, *qui scripturarum intelligentiam sine gratia Dei imperitissimi sibi vindicant.* Sunt enim non minus conscelerati ac *Antiochus Epiphanes*, de quo ibidem loquitur *Hieronymus*, et quem antiqui typum *Antichristi* putaverunt. Ergo jure suo dicit: *recedite polluti, recedite, abite, nolite tangere c*); *non sum sicut caeteri hominum, velut etiam hic Publicanus d*) *Jahnius.*

Hic fructus est, mi Comes, aemulationis, haec consectaria interpretationis vestrae, quam in decreto Tridentino assumsistis. Hic unus error praecipites vos egit in omnia absurda, quaecunque toto hoc capite incurristis. Deponite tandem supercilium triste Catonis, et si ab *Neotericis* saniora discere pudet, antiquis insistite, quorum vestigia *Neoterici* presserunt. Occurrite, porrigite dextram, commune sit studium, eadem omnium nostrum opera in asserenda et vindicanda fidei doctrina. Nolite nos inimicos ducere, quibus nihil magis cordi est, quam fidei integritas. Post tot atroces accusationes nihil in nos protulistis, quod vel ambiguam habeat speciem, nedum adversam fidei. Plurima atque horrida in nos commenti estis: haec vobis ignoscimus, ut dudum et palam id declaravit Jahnius *e*).

Recogitate quanta Origenes, quanta Hieronymus novaverunt? Vetera non haberemus, si animo tam illiberali, nova nostri sprevissent Majores. De fide atque scripturis inter nos convenit: de utriusque docta et systematica tractatione, de consentanea praesentibus necessitatibus methodo tradendi, de justis denique praesidiis ad utramque stabiliendam et vindicandam quaestio vertitur. Colite veteres, quos nemo *Neotericorum* contemsit; inde eruite doctrinam Apostolorum,

---

b) Comment. in Cap. 1. Ecclesiastis. Tom. 2. pag. 721. *c*) Thren. 4, 15.

inde primae ecclesiae fidem, ut jubet *Jahnius* (§. 72.) una tamen advertite quanta philosophiae, medicinae, omnibusque artibus accesserint incrementa. Neque *Chodorlahomoris* eadem quae nostrorum strategia fuit, nisi talpas existimatis *Epaminondam*, *Polybium*, *Folardum*. Ergone soli exegesi tam irati sint superi, ut velut concha scopulo, nullo proventu, nullo novo incremento, eodem perpetuo haereat loco immota? Sin minus, communem nobiscum in provehenda operam date. Nihil tum laudis sibi *Neoterici* sument; vestris applaudent meritis, vestraque, quoniam sic vultis, sonabit nomina tellus, si quid protuleritis, quod dignum cedro, quod seris dignum sit posteris.

De Inspiratione.

§. 135.

Hac in tractatione, mi Comes, iidem estis, qui dudum, semper vobis consimiles atque aequales: in optimis rebus hospites; in gravissimis nugatores; in aemulando constantes; in calumniando promti atque expediti. Quarum laudum encomia in ipsa tractatione ordine promam, ne qui reos vos tantorum postulem, nisi singula probavissem, majori jure ipse postuler a vobis.

Acturus autem de hoc argumento, quid in eo fidei, quid scholae sit, secernam: tum autem, quomodo in utroque versati sitis, dispiciam. Interest enim, mi Comes, nosse, an Magister tuus, quem nec satis intellectum quidem, ubique resonas, suum suorumque in usum verterit praesidia, quae reperit recentius aevum? an vero in veteri adhuc theoria resideat, quae non amplius sufficit? An consentanea sit institutio praesentibus necessitatibus et commodis auditorum, quos nunquam diligentius erudiri oportuit, ac hoc tempore nostro, quo doctrina haec gravissima, inter adversarios abdicata passim, et acutius ac unquam impugnata est? Qua in re id primum praedico tibi, ne a me tractatum de inspiratione exspectes. Nihil ultra adferam, quam dijudicandis nugis vestris necessarium videbitur, et commodo lectorum,

---

d) Luc. 18, 11. *e*) Leg. Cath. pag. VII.

ut intelligant vos et ignorare haec, et commentis vestris pretium quaerere, quo *tanto* certius omnibus, qui dissentiant, publicam quaeratis invidiam apud rerum ignaros.

§. 136.

Si fatearis, mi Comes, sacrorum, quos dicimus, librorum, in fidei morumque rebus et historia universim divinam esse auctoritatem; nullum ibi esse errorem in doctrina, nullum in summa historiae; etiamsi tota vita voces *Inspiratus*, *Inspiratio* nunquam pronunciaveris, hac in re perfecte Catholicus eris; et nisi aliud quid obstabit, etiam futurae felicitatis haeres. Dixi in historia universim, in summa; quia licet historia fundamentum sit, cui ipsa revelationis auctoritas superstructa est: non tamen de dogmate est, in minimis quibusvis circumstantiis, quae cum doctrina nullum nexum habent, suntque prorsus adiaphora, infallibiles fuisse earum scriptores. Quod si tamen infallibiles vis credere usquequaque, nullus repugno, sumque plene persuasus, prorsus improbabilem esse, gravissimisque premi difficultatibus oppositam Holdenii Sorbonici doctoris sententiam: id unum dico, si hac in re limites exacte signare velis, de dogmate non esse eam ss. scriptorum usque ad minima et adiaphora, inerrantiam.

§. 137.

Nunciam, mi Comes, quoniam Magister tuus etiam in argumentis, meraeque eruditionis rebus, nihil nisi antiquos laudat, osor omnis praesidii, quod posterior tulit aetas: paucis commemorabo, quomodo in ea librorum praerogativa demonstranda versati sint veteres. Primus, qui eam ex professo tractare aggressus est, fuit *Origenes a*), quem sexto seculo secutus est *Junilius b*) in Africa Episcopus, quorum summa huc redit. I. Libri divini sunt quia continent *mysteria*. II. *Prophetias* eventu probatas. III. Quia eorum auctores claruerunt *prodigiis*. IV. Quia *divi-*

---

a) Libr. IV. de Princip. §. 1 — 7. Tom. 3. pag. 300 — 322. Ed. Virceb. Gr. Lat. *b*) Biblioth. Max. PP. Tom. X. pag. 350. aut Biblioth. Galland. Tom. XII. pag. 79 — 92.

niore quodam *sensu* commovent lectores. V. Quod *stylus* eorum planus et simplex est.

Sed, ut vides, haec quaestionem nec tangunt quidem, nedum demonstrant. Ubinam enim prodigium editum est in confirmationem divinae auctoritatis librorum? Doctrina, mi Comes, sed non libri, prodigiis commendata est. Revelatio mysteria habet et prophetias: sed quid vetat, quominus prophetae aut apostoli ea, quae per revelationem accepissent, retulissent ad populum, et annis praedicassent in gentibus: postea utpote optime sibi nota, suo unice Marte in scriptum retulerint? Sensus autem ille pius, quo lector librorum afficitur, nec doctrinae quidem divinam commendationem habet, nedum divinae auctoritatis librorum; quia epistolae *Clementis* R., *Ignatii*, *Polycarpi*, ac etiam *Gregorii* M. Commentarius moralis in Jobum, in ecclesiis hinc inde legi solebant, haud dubie pari cum scripturis aedificatione, quin ipsa illa scripta crederentur divina. Imo experientia est, fabulas thalmudicas et coranum inter lachrymas legi ab earum cultoribus. Demum in tota scriptura non unicum caput est, cui scribendo humanum non sufficiat ingenium, si notum supponas argumentum. Vides ergo momentosam hanc doctrinam patrum aevo pie creditam, sed nec pro dignitate tractatam, nec demonstratam esse.

Perseveravit tamen haec argumentandi ratio usque ad nostra tempora, nec desunt opera cum fine superioris seculi vulgata, atque etiam scholis illata, in quibus elumbia illa momenta usurpari videas, quorum unum etiam Magistro tuo arridet in praesens. Ubi vero post dimidium superioris seculi, ab doctis adversariis haec pars doctrinae in dubium trahi, revelatio ab libris secerni, et status quaestionis pressius determinari coepit: tum enim vero patuit, quam labili fundamento omnis haec causa nixa fuisset hactenus; patuit, nova et severiore indagatione esse opus, si non tam revelationis, quam ipsa librorum dignitas asserenda, et accepta a Majoribus doctrina sarta tectaque praestanda sit. Quid enim? an quia prophetae jussu domini legatione functi, divina cum auctoritate retulerunt ad populum, tales quoque habendi sunt, dum nullo jussu divino sua postea retulerunt in literas? Aut docere potes, universa veteris foederis volumina Deo jubente fuisse perscripta? Quid in tri-

bus Salomonis libellis est, quod eius naturalem sapientiam excedat? Quid in libris Regum et Paralipomenon, quod divinum poscat auxilium, dum ipsi nobis indicant eorum auctores, nihil in his esse nisi compendia annalium regni Juda et Israel, aut biographias contractas, quae ipsae cum annalibus olim a prophetis fuerint exaratae? Si Flavius Josephus divino praesidio opus non habuit, ut Maccabaeorum historiae e libris nostris exhibeat compendium; quaeso, cur eo praesidio fuerit opus ignoto secundi libri Maccabaeorum auctori, qui simile prorsus nobis compendium dedit e V. libris Jasonis *c*)?

Haec, mi Comes, et alia plura tibi devoranda et digerenda erunt, si digne in hoc argumento voles versari. Sed qui libellum, non volumen instituerim scribere, quod res postulat, Magistri tui tractationem expendam, ut intelligas, quid praestiterit, et qua eruditione suorum necessitatibus iverit consultum.

§. 138.

Dicavit, mi Comes, Magister tuus duo capita huic argumento: Alterum de *inspiratione librorum*, alterum de *divina librorum auctoritate*. Prior sic incipit: „Dum scriptura sacra se ipsa divinitus inspiratam praedicat, quemadmodum in prooemio §. 5. demonstratum est; nemo, nisi qui ipsam etiam revelationem divinam infitiatur, hanc non dat et confitetur *a*).“ Raro, mi Comes, reperias tam nitidam petitionem principii. Ipsa se dicit inspiratam: quis ergo tam impudens erit, ut inspiratae scripturae reluctetur? Ut video, mi Comes, omnes vos conjurastis, nihil nisi per vitium elenchi, aut petitionem principii dicere, adeo per omnia haec vobis argumentandi ratio familiaris est.

Illud novum est: qui inspirationem neget et revelationem infitiari: cum tamen nunquam defuerint, qui negata inspiratione, revelationis sinceri perseverarint cultores. Neque enim video, cur altera abdicata, amittatur et altera. Quid enim, si nec quidem scripturas haberemus, quas in novo foedere nullo

---

c) 2. Mach. 2, 24.

a) Instt. Vet. Test. Tom. 2. Cap. IV. §. 32. pag. 52. Edit. 2.

Christi praecepto, sed per occasionem solum natas nemo ignorat? An traditio non sufficeret. tametsi nec patres, nec episcopi, ac ne concilia quidem generalia inspirata sunt, ut infra docebit Magister? Quomodo etiam sibi constet, dum eodem §. *Grotio* et J. D. *Michaelis* negat inspirationis fidem, quibus tamen fidem revelationis sine summa calumnia aut stultitia negare non potest? Sed mitto prolapsionem apertam; tuum ingenium miror, mi Comes, qui hinc optimo nexu deduxeris, *Neotericos* esse Naturalistas, quoniam jure tuo sumis, inspirationem ab iis pernegari. Sed videbis paulo post, nihil fidei detractum iri, si, quae de *inspiratione* toto capite scripsit Magister tuus, missa facias. Nunc iam, etsi non leve vitium est, duo capita implere inanibus litibus, id vero quod praecipuum, per transennam attingere in prooemio; tamen quoniam sic tuo placuit Magistro, quintus ille §. adeundus est, et videndum, an se ipsa inspiratam dicat scriptura?

§. 139.

Sic autem habet: „*Libri se ipsos vocant scripturas sanctas, eloquia Dei, verba Dei, et sermones, quos ipse Deus locutus est per os prophetarum; Paulo adstipulante et Petro, qui inspiratam dicant scripturam et sanctos Dei homines a).*“ Habes iam paucis omnia quae allata sunt; nec diffiteor, petitionem principii (§. prioris) legitime esse probatam. His addit notum *Flavii Josephi* testimonium contra Apionem; cui patres subjungit, tamquam testes de fide ecclesiae, quae ista negantes pro haereticis habuerit: concludit demum: „*quod fieri non potuisset, nisi divinum hoc esset, quod ab istis contemnebatur, creditum ab Ecclesia fuisset.*“ His tamen in capite de *divina auctoritate librorum b*) adhuc unum egregium argumentum addidit *a prodigiis* Moysis, Pauli et Christi, quibus se a Deo missos probaverint. „Quare, ait, libri etiam ut habeantur pro *canonicis* certae atque indubitatae fidei quidpiam extra se habere pro se debent, ut certo nobis constet eorum di-

---

a) Instt. Vet. Test. Tom. 2, §. 5. pag. 7. b) ibid. §. 36. pag. 72.

vina origo et auctoritas." Atque his momentis spatio unius pagellae demonstratio absoluta est.

Quantum intelligo, vos, mi Comes, estis astuti homines: Demonstrationem dogmatis transfertis in *Neotericos*, quo tanto liberius atque iucundius scholasticis velitationibus oblectetis animum; quod integris duobus capitibus agit Magister tuus, qui ipsum dogma vix dignatus est per petitionem principii contingere. Impletur ergo in vobis illud vatis antiqui: „*sicut populus, sic sacerdos c*). Et certe, tua dictum sit venia, nihil ultra sapitis, quam plebecula rudis. Interroga inter nos anum obviam, quare divinas credat scripturas? et reponet: quia sic docet s. Mater Ecclesia. In hoc ergo illi aniculae estis aequales: in eo autem multo inferiores, quod hanc simplicem et apertam ecclesiae fidem deturpatis petitione principii, et illo crasso errore, dum a *prodigiis* argumentamini, quorum nullum unquam in librorum divinam auctoritatem est editum, ne dicam multorum librorum auctores nec de nomine quidem esse notos, nedum illustres prodigiis.

Sed plura adhuc graviora a vobis desiderantur, mi Comes, si contra adversarios modernos mutire, aut vel Catholicis satisfacere vultis. Obvia recensui superius §. 437. Sed lubet addere sensum ipsiusmet Magistri de hac sua demonstratione. Scribit alibi: „Authenticum librum esse, significat ea auctoritate praeditum, quae fidem faciat. Sunt hi libri divina inspiratione scripti. Ergo divinam in se continent auctoritatem. Atque de hac constat per testificationem ecclesiae *d*)." Alibi autem: „Eadem authentia ss. librorum est nobis asserenda etiam adversus eos, qui revelatam religionem simpliciter omnem negant *e*)." Post pauca demum: „unde ergo istos convincam inesse his libris divinam auctoritatem? Ex ipsis his librisne, qui se sic scriptos profiteantur? Ridebunt hanc meam argumentandi rationem, quibus hi libri non sunt authentici. Ex ecclesiae testificatione? At vero huic nihil auctoritatis deferunt, et habent mersam penitus superstitionibus *f*). Cum ergo nunc e scripturis divinis et ecclesia divinam probaverit scriptu-

---

c) Isaj. 24, 2. *d*) Instt. Vet. Test. Tom. 1. p. 57. Ed. 1. *e*) ibid. p. 59. *f*) ibid.

rarum auctoritatem, satis ipse vides, hanc demonstrandi rationem ab ipsomet Magistro iam dudum merito fuisse derisam. Neque autem interest de incredulis agas, an de catholicis: petitio enim principii hic et ibi ex aequo vitiosa est. Haec ergo tandem est tui gloria Magistri, ut hac in re nihil mutiat sine turpi vitio, nihil proferat, quod suo jam praevie judicio non sit damnatum. Credit ergo fide coeca cum plebecula rudi, cum tamen theologi sit, causas nosse, cur et ipsa hoc credat ecclesia, et quod credit, etiam contra adversarios vindicare.

Sed confer *Jahnium*, mi Comes; non plane ille octo pagellas de hoc argumento scripsit; Magister tuus, si illum §. V. una computo, viginti octo nullo prorsus fructu auditorum. Quam e contra lucida in *Jahnio* etiam in tanto compendio tractatio, quam fundata et praesentibus necessitatibus consentanea deductio! Manibus palpes quid a tirone distet Magister. Ceterum vestram moderationem non miror: semper enim veriti estis *ne quid nimis*. Laudo: novis enim dogmatibus operam dare impium; veteribus autem novas demonstrationes quaerere, vestra vetat modestia. Vobis sufficit, ecclesiam etiam sine opera vestra persrituram.

§. 140.

Ad ea venio, mi Comes, quae *scholae* sunt. Primo veterum proponam theoriam de inspirationis modo: subjungam adamatam Magistro, eius momenta, calumnias et quae alia in *Neotericos*, attulit.

Natura comparatum est, mi Comes, ut homines non contenti simplici veritate eiusque momentis, in ipsam quoque rerum, si fieri posset, naturam atque modum penetrare conentur, tanto fere contentiosius, quanto haec magis inaccessa sunt. Id videas in hoc quoque argumento factum. Primi enim patres, quidquid ad genesim librorum pertinet, ut *voluntas* scribendi, *notitia* rerum, *delectus*, *verba* et *ordo* universorum, haec ita in spiritum sanctum unice contulerunt, ut praeter physicam scribendi operam nullae essent sacrorum auctorum in iis concinnandis partes; verbo, hac in theoria scriptores aptius *machinas* dixeris quam homines. Istorum iam praecipuos audi.

Justinus de prophetis: „non quidquam proprio Marte excogitatum nos docuerunt, — sed puros seip-

sos divini spiritus operationi praebuerunt, ut divinum illud e coelo delapsum plectrum, veluti quodam *citharae aut lyrae instrumento*, ita justis hominibus utens, divinarum nobis et coelestium rerum cognitionem recluderet *a*).“ Nec in prophetis modo, sed in universis omnino libris usque ad apices, divino spiritui deberi omnia, ex infra dicendis intelliges.

Athenagoras in Legatione pro Christianis: „Nos, ait, eorum, quae perspicimus et credimus, testes habemus prophetas, qui divino spiritu afflati de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt. Atque id quidem ipsi quoque confirmabitis, qui prudentia ac pietate in verum numen ceteros superatis, alienum esse a ratione, ut Dei spiritui, qui prophetarum ora tamquam instrumenta pulsavit, credere supersedentes, animum ad humanas opiniones adjungamus *b*).“

Alibi autem: „Si enim eiusmodi tantum rationibus niteremur (uti philosophi), doctrina nostra nonnullis humana videretur. Sed quia prophetarum vocibus argumenta nostra confirmantur, — *qui mente et animo extra se rapti*, impellente spiritu sancto, quae ipsis inspirabantur, ea sunt locuti, utente illis spiritu sancto, *velut si tibiam inflet tibicen* *c*).“

Theophilus ad amicum Autolycum „Moyses autem, vel potius verbum Dei, ita *per eum velut per instrumentum* Dei loquitur *d*).“

Hippolitus Arabs Irenaei discipulus: „Hi (prophetae) namque spiritu prophetiae aptati, digneque ab ipso verbo honorati, quo nimirum *velut organa in seipsis semper unitum verbum tamquam plectrum haberent*, cuius nutu atque afflatu, quae Deus vellet, haec enuntiabant *e*).“

Idem: „Hic autem (Deus) dedit legem et prophetas, et dando *coegit hos per spiritum s. loqui*, ut accipientes virtutis inspirationem, consilium et voluntatem patris nuntiarent *f*).“

---

a) Cohort. ad Graec. §. 8. pag. 13. Ed. Congr. Maur. *b*) §. 7. inter Opp. Justin. pag. 303. *c*) ibid. §. 9. pag. 304. *d*) §. 10. pag. 379. inter Opp. Justin. *e*) Demonstr. de Christ. et Antichrist. Cap. 2. in Galland. Biblioth. Tom. 2. pag. 418. *f*) ibid. C. 11. pag. 460.

§. 141.

Habes in his, mi Comes, theoriam seculi secundi et prima parte tertii; quam arbitrariam prorsus esse, superfluam atque nimiam, fateri cogeris, nisi desertae traditionis reum peragere voles Magistrum. Si causas requiris, in promtu sunt. Male scilicet intellectae scripturarum sententiae, in quibus de earum praerogativa sermo est, et de quibus dicam inferius, ubi Magistri momenta expendam. Tum judicia aetatis de LXX. interpretibus usque ad verba et apices inspiratis: denique credita fabula de abolitis in captivitate Babylonica libris ss. et per Esdram dictante spiritu sancto restitutis *a*). Pro utraque sententia ponam tibi praecipuos, ut tamen a molestia ipsos locos transcribendi me absolvas.

Pro LXX. interpretum divina per omnia inspiratione facit *Irenaeus b*), *Justinus c*), *Tertullianus d*), *Clemens Alex. e*), *Cyrillus Hier. f*), *Epiphanius g*). Postremus a superioribus differt, quod binos et binos in 36 cellulas condat cum notario, volens ut videtur, Aristeae narrationem de Demetrio scripto excipiente quod LXX. dictassent, conciliare cum 72 cellulis Justini, eoque et cellulas ponit, et binis notarium. Confer libellum Aristeae Josephi Tom. 2. pag. 130., et huius narrationis compendium Antiqu. Libr. 12. Cap. 2. Edit. Haverc. Novi, mi Comes, occasione editi Romae Danielis juxta LXX. Interpr. ex codice *Chisiano*, vulgatam una apologiam prolixam pro eminente illa praerogativa interpretum: at qui non nisi Danielis textum in Germania repetitum habeam, judicare non possum, an apologiae doctus auctor hanc inter nos universim abdicatam sententiam ita asserat, ut mutatis judiciis in veterum sententiam concedere, animum inducturi sint critici. Sed de hoc quidquid futurum est, de edito vetusto monimento merito omnium doctorum laudem tulit eruditus auctor.

---

a) Libr. IV. Esdr. C. 14, 21—47. *b*) Libr. 3. C. 21. pag. 215. et L. 2. C. 28. §. 2. pag. 156. Tom. 1. Edit. Mass. *c*) Cohort. ad Graec. C. 13. pag. 16. Ed. Congr. Maur. *d*) Apolog. C. 18. pag. 17. Ed. Rigal. *e*) Libr. 1. Str. C. 22. p. 410. T. 1. Ed. Pott. *f*) Catech. IV. C. 34. p. 68. Ed. Toutt. *g*) de Pond. et Mens. C. 3. p. 160. Ed. Petav.

Ab *Esdrae* autem IV. stant *Irenaeus h)*, *Tertullianus i)* *Clemens Alex. k)*, *Basilius l)*, *Theodoretus m)* et *Ambrosius*, qui postremus etsi de libris restitutis minus expresse loquatur, superioribus tamen accenseri debet, quia IV. Esdrae pro genuino ac per revelationem scripto opere habet, sic loquens in libro de *bono mortis*. „Animarum autem esse habitacula, scripturae testimoniis valde probatur, siquidem et in Esdrae libris legimus; quia cum venerit judicii dies, reddet terra corpora defunctorum, et habitacula reddent animas suas, quae his commendatae sunt! Hae sunt habitationes, de quibus dicit dominus, multas esse mansiones apud patrem suum.“ IV. Esdr. C. 2, 11 — 16. Coll. Joh. 14, 2. Idem ejus judicium vide in Epist. ad Horontianum XXI. Confer Calmeti Dissert. in L. IV. Esdr. Tom. 1. pag. 249.

Ex his vides, mi Comes, apud quos haec et superiora de LXX. Interpr. judicia valuerunt, eos dubitare nullatenus potuisse vet. foed. libros per omnia esse inspiratos, quoniam ipsa librorum originalia nemo postponere potuit graecae versioni usque ad apices per spiritum s. dictatae.

§. 142.

Proximis seculis moderatiores quidem in informanda inspirationis idea obtinent expressiones; et disparent comparationes illae parum decorae sacrorum auctorum cum *lyra* et *cithara*, et vehementior impulsus, quo erepta libertate, in machinas vertebantur olim: idea tamen de rebus atque verbis divinitus suggestis, si obvie loquentes audias huius aetatis scriptores, nunc etiam perseveravit; sic tamen, ut quoniam theoria haec per omnem scripturam obtinere non potest; ipsi eius patroni non raro eam deserere coacti vel pugnare secum, vel in adiaphoris habuisse inspirationis modum dicendum sit. Sume, mi Comes, exempla.

---

h) Cont. Haer. L. 3. C. 21. §. 2. T. 1. p. 216. *i)* de Cult. Foem. C. 3. p. 151. *k)* L. 1. Str. C. 22. Tom. 1. p. 410. *l)* Epist. 42. §. 5. Tom. 3. pag. 129. Ed. Paris. *m)* Praef. in Cant. Cant. T. 2. pag. 4. Ed. Hal.

Origenes non dubitat ad ipsa usque verba inspirationem extendere, dum ad illa Davidis: *eloquia Domini, eloquia casta* (Psal. 11, 7.) sic scribit: „Exquisitissima cura et studio spiritus sancti per ministros verbi ista subjecit, ne unquam nobis latere possit ratio, secundum quam divina sapientia, omnem scripturam divinitus datam, *vel ad unam usque literulam attigit.* — Ita nos censemus de omnibus ex afflatu s. spiritus scriptis, tamquam illa, quae sapientiam humana superiorem tradit, magna providentia per divinas literas hominum generi salutaria documenta inseruerit, et *in singulis ut ita dicam literis*, quoad unaquaeque capere potest *vestigia sapientiae impresserit a).*"

Grandisona haec sunt, mi Comes, sed quae ipse cogitur abdicare *Origenes.* Cum enim frequenter sacri scriptores in sua persona loquantur, dicere non audet haec esse *verba Dei*; vel etiam talia, quae impleta non sunt, etsi a propheta praedicta. Sic illud *Jonae „quadraginta dies et Ninive subvertetur"* (3, 4.), de quo ait: „*sermo iste qui scriptus est, et non est factus, a Jona potius quam a Deo prolatus esse videatur.*" Hoc vero inde concludere vult, quod nullibi legatur, illa verba ad Jonam a Deo fuisse prolata. Verum inane esse effugium, patet e 1, 2. 3, 2. ubi commisso officio praedicandi, haud dubie et argumentum praedicationis commissum fuit. Post alia quoque id genus exempla subjungit: „*similiter etiam in ceteris prophetis, aliqua quidem dominus locutus est, et non prophetae: alia vero prophetae et non dominus.*" Observat tamen et ipse, hac via difficultates non expediri; eoque ad misericordiam Dei se recipit, qui mutaverit sententiam. Sed et his repugnat *Pauli* exemplum, qui ait: „*iis qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed dominus b)*," item: „*ceteris ego dico, non dominus*" et „*de virginibus praeceptum domini non habeo, consilium autem do*;" ac demum „*puto autem quod et ego spiritum domini habeam c).*" Quae et ipse commemorat, et in quibus theoria illius non obtinet *d*). Imo innumera sunt in Pauli epistolis, de quibus

---

a) Select. in Psal. psal. 1. §. 4. pag. 195. Tom. 7. Edit. Vireeb. *b*) 1 Cor. 7, 10. *c*) ibid. V. 12. 25. 40. *d*) Homil. 16. Num. §. 4. Tom. 6. p. 413—16.

Christus nihil in evangelio locutus est, et defectu occasionis nec loqui potuit, uti sunt, quae ad mixta matrimonia pertinent, ad idolothyta, ad usum donorum extraordinariorum etc., de quibus nec id quidem constat, quod de his ad Paulum *locutus sit*, ut sic conformiter ad theoriam *Dei verba* dici possint.

Adde vanam prorsus esse eam verborum *Dei* et *hominis* distinctionem theoriae huius, cum obviis exemplis constet, Deum a Moyse et prophetis induci loquentem; non quod reapse sic locutus sit, sed quomodo anthropopathice loqui decuisset: quare qui in his severe sumat verba tamquam proprie a Deo prolata, tam peccet contra sanam hermeneuticam, ac qui de oculis, manibus et pedibus in Deo proprium putaret esse sermonem.

Quia vero nec *Origenes* dubitavit, divinae auctoritatis esse ea etiam, quae Paulus suo ingenio suisque verbis protulisset, nihilque ad auctoritatem intersit seu Paulus doceat apostolus, seu Christus, seu pater omnipotens: tute intelligis, omnem hanc theoriam non tantum esse arbitrariam et insufficientem (quid enim fiet libris historicis, ubi semper auctor, rarissime autem Deus loquitur?), sed inanem prorsus atque inutilem; tum quod scripturarum major auctoritas non esset, etiamsi omnia spiritui s. immediate usque ad ultimum apicem deberentur, nec nisi machinae fuissent ipsi scriptores §. 140.; tum etiam, quod modum, quo auctores seu loquentes seu scribentes, infallibiles facti sunt, tam parum perspectum habebant veteres, ac hodiedum habemus. Qui ergo eam spiritus s. operationem ad pollices et lineas demetiri volunt, eos credas una cum tuo Magistro oleum perdere et operam; et esse rem prorsus ridendam, numinis arcanam vim velle recensere in digitis, qui in objectis naturae, quae nos undique circumstant, tam parum videamus, ut cuique etiam doctissimo haereat, a qua si *modum* requiras, cur e. c. ex glande quercea aut faginea perpetuo non nisi quercus nascatur aut fagus, nunquam autem pyrus aut pomus? et sic usque ad frutices et herbas. Sunt nempe sua naturae non minus mysteria ac religioni, ipseque adeo homo sibi summum mysterium est.

§. 143.

Origeni simillimus est *Basilius*, quia illo magistro profecit. Quin rem et verba pro inspiratis

habeat, non dubium est ex §. 141.: addam tamen exemplum. Loquens enim de luna et aestu maris ait: „Haec a me dicta sunt, ut luminarium a me demonstretur magnitudo, utque constaret *in verbis divinitus inspiratis* ne ullam quidem syllabam esse otiosam *a*).“ Sed quomodo his consonant, quae alibi scribit? „Omnia, inquit, quaecunque Spiritus et Filius loquitur, Dei sunt oracula. Et eam ob causam omnis scriptura divinitus inspirata etiam utilis est, quippe quam locutus sit spiritus. Hoc namque vere ostendit spiritum non esse creaturam; quoniam rationalis omnis creatura, modo a seipsa loquitur, modo ea, quae Dei sunt: ut cum dicit Paulus: *de virginibus praeceptum domini non habeo*, et *iis*, *qui juncti sunt matrimonio*, *praecipio non ego sed dominus* (1 Cor. 7, 10. 25.); et Propheta: *o domine* — Jerem. 12, 1. et rursus *heu me mater* — ib. 15, 10. Nonnunquam autem ait: *Haec dicit dominus* — ibid. 30, 2. Et aliquando Moyses: *gracili voce et tarda lingua ego sum.* Exod. 4, 10. Aliquando vero is ipse: *Haec dicit dominus* Exod. 5, 1. Spiritus autem non sic. Non enim modo sua, modo quae Dei sunt loquitur; id namque pertinet ad creaturam: verum omnia spiritus verba Dei oracula sunt, similiter et filii dicta *b*).“ Est ergo Basilii eadem theoria quae Origenis, tam arbitraria quam insufficiens.

Addam *Chrysostomum*, qui ad Gen. 2, 20. „*Adae vero non inveniebatur adiutor similis ejus*“ causam reddens adverbii *vero*, additam ait: „ut doceamus vos neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis literis contentam esse praetereundam. Non enim verba qualiacunque sunt, *sed spiritus s. verba*, et propterea magnum ibi thesaurum invenire licet, etiam *in una syllaba c*).“ Sed videas quam longe hinc discedat alias. Loquens enim de Paulo ait: „rursum humano more disserit, nec semper gratia fruitur, sed etiam permittitur, aliquid a se ipso adferre (adverte,

---

a) Hexaem. Homil. 6. §. 11. Tom. 1. pag. 61. Ed. Maur. *b*) Contr. Eunom. Libr. V. Cap. penult. §. 2. Tom. 1. pag. 319. *c*) Homil. 15. in Cap. 2. Gen. §. 1. pag. 115. Tom. 4. Ed. Montf. confer etiam Homil. 1. ad Pop. Ant. §. 2. pag. 3. Tom. 2. et Homil. 21. in Cap. 4. Gen. §. 1. pag. 180 et 181. etc.

mi Comes, *a se ipso* dicit), id quod sane facit: et in hac et in sequente rationem reddit, ut scindat multitudinem contra se male conjunctam *d*)." Valent hic omnia, quae §. 142. de *Origene*.

Demum *Theodoretus* Cyri, quem iam ex §. 141. vides verborum inspirationem habuisse persuasam: Unicum ergo ponam exemplum. Is de Actorum 21, 11. sic scribit: „Omnes autem istae voces a Deo inspiratae dicuntur, quoniam et quae patris sunt, Dei sunt voces; et quae filii et quae spiritus s. Dei sunt voces *e*)." Iterum ergo quae nomine Dei scribunt auctores, haec immediate verba Dei sunt; quia tamen saepissime etiam suo nomine loquuntur, distinguere coactus fuit inter verba Dei et hominum: quod facit Psal. 129, 1. „*De profundis clamavi ad te domine*," sic scribens: „Et nunc quidem ait propheta Jeremias Deo universorum; *prope es ori eorum, et longe a renibus eorum*. (12, 2.) Nunc vero Deus ipse per Isajam prophetam Judaeos arguit: *Hic populus labiis me honorat, corde autem longe abest f*)," Vides ergo Graecos, eos etiam, qui suo ingenio aliquid ausi sunt in scripturis, firmissime retinere *Origenis* inventum quamcunque arbitrarium et insufficiens, eoque contra omnes valere, quae supra §. 141. contra theoriam *Origenis* allata sunt. His addere possis *Irenaeum g*), *Eusebium Caes. h*) et *Epiphanium i*).

§. 144.

Ambrosius in prooemio in Lucam scribit: „Matthaeus, Marcus, Lucas et Joannes non conati sunt, sed divino spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine coepta compleverunt": Et tamen, eiusdem Comment. Libr. 8. in Cap. 16. de verbis Matth. 19, 7. libello scilicet repu-

d) Homil. 49. in Act. 23, 6. Tom. IX. p. 364. Sic quoque Homil. 23. in 2 Cor. 11, 6. Tom. 10. pag. 598. §. 3. et Homil. 39. in 1 Cor. 15, 27. T. 10. pag. 368. *e*) de ss. Trin. Dialog. 3. pag. 1021. Tom. 5. Ed. Hal. *f*) Comment. in Psal. 129. p. 1502. Tom. 1. *g*) Confer supr. §. 141. et junge contr. Haeres. Libr. 3. Cap. 7. §. 2. Tom. 1. pag. 182. *h*) Hist. Eccl. Libr. V. Cap. 28. pag. 221. Ed. Vales. Coll. L. 3. Cap. 24. *i*) Haeres. 04. Cap. 29. pag. 552. Tom. 1. Ed. Petav. Coll. Haeres. 22. alias 42. Tom. 1. pag. 362.

dii a Moyse Deuter. 24, 1—5. praescripto ait: „ostendit hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo esse scripta.“ Et nihilominus supra §. 141. vides, per spiritum s. totum vet. foed. Esdrae dictatum fuisse, Ambrosium cum ceteris firmissime credidisse. Conf. §. 142.

Augustinus: „Itaque cum illi (discipuli) scripserunt, quae ille (Christus) ostendit et dixit: nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, *quod dictante capite cognoverunt.* Quidquid enim ille de suis factis aut dictis nos legere voluit, hoc scribendum, illis *tamquam suis manibus imperavit.*“ Quae omnia ita suscipi jubet, tamquam *si ipsam manum domini,* quam in proprio corpore gestabat, *scribentem conspexerit a).*“ Alias tamen longe aliter; sic autem habet: „Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit, quod alius praetermittit. *Ut enim quisque meminerat,* et *ut cuique cordi erat,* vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est *b*). Haec inter se dissidere clarum est. Juxta priora enim argumentum et verba a Deo sunt, et insuper jussu divino omnia perscripta: iuxta postrema vero, salva libertas, delectus scribendorum liber, prolixitatis autem mensura sola memoria est. Confer §. 142.

§. 145.

Denique *Hieronymus*, cui scripturae „*a spiritu sancto conscriptae et editae sunt a*),“ alias: „*singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus b*).“ Alias ait se non tam crassae rusticitatis esse „*ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverimus, aut non divinitus inspiratum c*).“ De Apocalypsi autem: „*Tot habet sacra-*

---

a) De Consens. Evangelist. Libr. 1. C. 35. §. 54. Tom. 3. Part. 2. pag. 26. Ed. Maur. *b*) ibid. Libr. 2. Cap. 12. §. 27.

a) Ad Mich. C. 5. Tom. 3. p. 1550. Ed. Mart. *b*) in Epist. ad Ephes. Cap. 3. Tom. 4. Part. 1. pag. 350. *c*) Epist. XXIV. ad Marcellam ibid. p. 62. Confer etiam Epist. L. ad Paulin. ibid. pag. 572.

menta quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiae d)." Quanta encomia! credo haec sola sufficere ut intelligas, syllabas et apices divino munere collatos scriptoribus censuisse Hieronymum. Sed iam alia audi.

De *Paulo*: „Quum haberet scientiam scripturarum sacrarum et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret (tamen), divinorum sensuum majestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum." In proximis autem ob varietatem styli in Petri epistolis, infert, varios ei fuisse interpretes *e*). Salva veneratione tanto doctori debita, id monitum te volo, mi Comes, dum veteres *Marcum* faciunt Petri *interpretem*, id neutiquam sic sumendum, tamquam suam sermonis peritiam commodasset Apostolo; quid enim linguarum noverat Marcus; quod non aeque novisset Petrus? ne quid de dono linguarum dicam Apostolis Actorum 2. collato. Sed *interpres* illis est, qui alieno nomine procurat negotia, quo sensu etiam Mercurius Deorum audit *interpres*. Hoc sensu etiam Timotheus et Titus dici possunt *interpretes* Pauli, quia videmus eorum opera usum esse Apostolum rebus in sua absentia administrandis.

Idem alias de Paulo: „Galatis, quos paulo ante stultos dixerat, factus est stultus. Non enim ad eos argumentis usus est, quibus ad Romanos, sed simplicioribus et paene de trivio quotidianis et vilibus, et quae possent (nisi praemisisset *secundum hominem dico*), prudentibus displicere *f*)."

Alias: „qui putant Paulum iuxta humilitatem, et non vere dixisse: *si imperitus sermone, non tamen scientia* (2 Cor. 11, 6.), defendant huius loci consequentiam. Debuit quippe secundum ordinem dicere: *Vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis considerantes vosmet ipsos, ne et vos tentemini* (Gal. 6, 1.), et non plurali inferre numerum singularem *considerans te ipsum ne et tu tenteris.*

---

d) ibid. pag. 574. *e*) Epist. ad Hedib. Cap. 11. Tom. 4. Part. 1. pag. 183. *f*) ad Gal. 3. Tom. 4 Part. 1. pag. 261.

Hebraeus igitur ex hebraeis, et qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus in aliena lingua exprimere non valebat; nec curabat magnopere de verbis cum sensum haberet in tuto *g*)." Alias: „Hebraeus ex hebraeis iuxta legem Pharisaeus, profundos sensus graeco sermone non explicat, et quod cogitat in verba vix promit *h*)." Alias: „Iste igitur, qui soloecismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam *i*)."

Idem „Paulum Apostolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire sed tonitrua. Legite epistolas eius et maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est: et videbitis eum in testimoniis, quae sumit de vet. test. quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit eius quod agit. Videntur quaedam verba simplicia et quasi innocentis hominis ac rusticani; et qui facere, nec declinare noverit insidias: sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Haeret in causa, capit omne quod tetigerit: tergum vertit ut superet: fugam simulat, ut occidat *k*)."

Denique: „Job, exemplar patientiae, quae non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur? Omnesque leges dialecticae, propositione, assumtione, confirmatione, conclusione determinat *l*)."

Nunc iam, mi Comes, coram vides utriusque ecclesiae praecipuos scriptores, eorumque sensa de inspiratione librorum. Si satis nosti quod dicunt, necessitate mihi concedes, vel unumquemque illorum, dum de praecipuo religionis instrumento agunt, secum ipso pugnare turpiter, dum nunc ad apices usque omnia immediate in Deum conferunt; nunc magnam partem ingenio, delectui, et naturali eloquentiae suorum tribuunt auctorum: vel inspirationis

---

g) ad Gal. 6, 1. Tom. 4. Part. 1. p. 309. *h*) ad Tit. C. 1, 1. Tom. 4. Part. 1. p. 409. *i*) ad Ephes. 3, 1—4. Tom. 4. Part. 1. pag. 347. 348. plura id genus. *k*) Epist. XXX. advers. Jovin. Tom. 4. Part. 2. pag. 236. *l*) Epist. L. ad Paulin. Tom. 4. Part. 2. pag. 572.

modum apud eos in adiaphoris fuisse, nec illa grandisona dicta, de syllabis, literis et apicibus, aliud sonare in illorum ore, quam libros hos in historia aeque ac fidei doctrina, per omnia infallibilis divinaeque esse auctoritatis.

Postremum unice verum est. Cum enim nullum sit dubium, viris illis summis, ea etiam, quae suo protulissent ingenio sacri scriptores, divinae fuisse fidei et auctoritatis; nihil autem huic ponderis accedere possit amplius, etiamsi omnia a summo ad imum numinis interventu fuissent dictata; nec demum nobis quidquam ultra necessarium sit, quam ne parvulorum instar fluctuemus, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia erroris, cernere jam satis potes, in toto hoc argumento id unum firmum esse eoque profitendum, quod §. 136. praemissum est; cetera ad scholarum opiniones releganda, ea tamen lege, ut in his postremis quemque suo in sensu sinas abundare, nec nisi eos rudes statuas aut malevolos, qui impietatis aut desertae fidei arguunt universos, quos ab sua theoria commentitia, angustissimisque ideis latum digitum declinasse cognoverint. Talia oracula, mi Comes, quamcunque ominosa et tristia, haud secus ac Pythiae rideas, quia semper aut fallacia subest, aut inscitia.

§. 146.

Ex hoc patrum dissensu, dissidere deinceps coeperunt etiam theologorum scholae, dum alii patrum imitatione universa immediate in spiritum s. contulerunt; alii eorumdem pariter exemplo plus minus sacrorum etiam tribuerunt auctorum ultroneae voluntati, proprio ingenio atque studio, rudiori denique aut cultiori modo dicendi. In concilio autem Tridentino, quoniam hac in re nihil ab adversariis mutatum est, adeo nullum est huius quaestionis vestigium, ut ne *inspirationis* quidem vocabulum in eo reperias; sed profitetur unicè libros s. et traditionem *pari pietatis affectu et reverentia a se suscipi a*). Sed nondum quinque lustra ab celebrato concilio elapsa fuerunt, cum controversia in Belgio catholico melioribus judiciis et novis incrementis occasionem dedit. *Les-*

---

a) Sess. IV. Decret. de Can. script.

sius nempe et *Hamelius* Jesuitae in collegio Lovaniensi, Anno 1586 tres sequentes propositiones defenderunt:

1. *Ut aliquid sit s. scriptura, non est necessarium, singula eius verba inspirata esse a spiritu sancto.*

2. *Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a spiritu sancto ipsi scriptori inspiratae.*

3. *Liber aliquis, qualis est fortasse secundus Maccabaeorum, humana industria sine assistentia spiritus sancti scriptus, si spiritus s. postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur scriptura sacra.*"

Has tamen *Lovaniensis* academia 1587, *Duacensis* autem 1588 sequenti censura notarunt: *Peregrina, offensiva, et periculosa dogmata, manifesti erroris periculum continentia b*). Sed et episcopi, proximo anno in synodo provinciali eas proscribere parabant, eratque futurum, nisi causae intercessisset Sixtus V. pontifex, qui, quod nullum secum veheret periculum, huic controversiae penitus supersedit. Ex hoc igitur tempore iam liberius propugnatae, atque ab auctoribus pro suis agnitae, summorum quoque virorum ita probabantur judiciis, ut si Magistrum tuum demas, neminem invenias hodie scriptorem, qui ullum inde periculum ominetur auctoritati s. librorum, quoniam assertis suapte rationabilibus, e patrum quoque consensu, si lubeat, praesidium sumas.

Videas hinc, mi Comes, quantum opiniones, tali nixae quamcunque infirmo, convalescant seculorum usu; ut nisi obfirmato omnino sis animo in veritate, frustra moneas meliora, et nequicquam obnitaris praejudiciis plurimorum, qui non fidem modo, sed ipsam quoque veterum tractandi rationem ita cupiunt immote retentam, ut si latum unguem transversum eas, suspicionibus et dicteriis te undique velut atra nube involvant, et religionem scelere impio temeratam conclament. Videas, ut id genus antiquitates Patroni pio prorsus studio optimoque animo, necessaria subtrahant praesidia literis et religioni, dum mire mutatis apud adversarios judiciis, systematibus omnique

---

b) Rich. Sim. Hist. Crit. Nov. Test. Tom. 1. Cap. 23. et 24.

arte pugnandi, hodiedum tirones arcu, pharetra et sagittis instructos, educendos jubent in proelium; quasi post tot secula, nemo hodiedum praeter *Chodorlahomorem* hostili in acie pugnaturus compareat. Quam strategiam dudum obsoletam ut hactenus sedulo frequentari vidisti a Magistro, ita firmiter hic quoque cernes retentam.

§. 147.

Sententia Magistri. Hanc is sic expressit: „Inspirationem esse eam hominis *motionem et excitationem* per Dei supernaturale *lumen ac vim*, ad literis mandandum, quod a Deo vel per revelationem percepit, vel jam alia ratione notum habuit *a*).“ Alibi insuper requirit *flatum Dei*, dum scribit „scriptura *divina* ut *divina* sit (anne divina nondum divina est?), facta esse debet auctore Deo, quae secus non a Deo veniens (Quid est Deo auctore fieri? a Deo venire?), nec divina esse potest. Quae autem divina scriptura est, haec facta *Dei flatu est b*).“ Alias exigit etiam *impulsum* iuxta 2 Petr. 1, 21. *c*). Nondum satis, ait enim alibi: „Advertendum autem est, scripto quod confectum esset Deo assistente et cavente errorem, accessurum quidem *divinam auctoritatem*, et erroris omnis expers habendum esse: aeque scriptum humano ingenio et industria confectum, et sine illa etiam assistentis Dei vigilantia adversus errorem, sed approbatum postea virum Dei spiritu praeditum, et testantem vi et lumine divini spiritus, esse vera omnia, quae in eo contineantur; futurum munitum pariter testificatione divina, facta per hominem spiritu sancto afflatum de sua immunitate ab errore et falsitate. Attamen nondum sic esset *verbum Dei d*).“

Haud dubie una mecum nondum intelliges, mi Comes, quid sit *verbum Dei*; quoniam iuxta Magistrum ut aliquid scriptura s. sit, amplius aliquid requiritur quam divina auctoritas. Id ergo quantum potero ex alio loco tibi declarabo: „Dum mihi, inquit, evangelium Lucae per ministrum proponitur, ego huic credere debeo tamquam loquenti in eo Christo,

a) Instt. V. T. Tom. 2. §. 35. pag. 68. Ed. 2. *b*) Instt. N. T. Tom. 1. §. 15. pag. 213. *c*) Instt. V. T. Tom. 2. pag. 61. *d*) Instt. N. Test. Tom. 1. pag. 211.

atque hoc *verbum est auditus Dei* (!!), sive quod *Dei loquentis est verbum, ad aures meas missum*, et quod ego non ut *verbum hominum*, sed sicut *verbum Dei*, et quale reipsa sit, debeo suscipere. Si autem Lucae evangelium, Lucae tantum humana vi et industria scriptum est, *hominis hoc tantum verbum est*, nec illi credendo Christo credo, sed homini, cuius est verbum. Quamvis enim illud sit, quod ponitur, spiritum sanctum esse testificatum, vera illa esse, quae a Luca dicuntur in eius evangelio, *tamen non desinunt esse Lucae.* Testificatio enim de veritate verborum cuiusdam nondum facit, ut non *huius, qui illa pronunciavit*, vel scripto expressit, *verba maneant.* Ita vero mea fides rebus praestita, quae Lucae evangelio sunt, non erit divina, sed tantum humana fides; hoc est, qua loquenti *homini non Deo credo e*)." Magister tuus doctum putat, multis parum dicere, eoque in re obvia opus fuit plaustro verborum. Et nihilominus quid velit nondum intelligas. Negat enim inspirationem verborum *f*) et tamen nisi *desinunt esse verba Lucae, homini credo, non Deo!* Habemus ergo in scripturis novum sermonem e verbis nec hominum nec Dei. Vereor ut se ipse intelligat; eoque haec mysteria missa facio, eius argumenta expensurus.

§. 148.

Ex Magistri igitur tui sententia, mi Comes, ad inspirationem opus est, *lumine, vi, impulsu, flatu divino, verbis autem nec hominis nec Dei.* Summum tamen omnium est *impulsus*, quo s. auctor ad scribendum inductus est: hoc unum enim si abfuit, liber non erit scriptura, quantumlibet divinam habeat auctoritatem §. priore.

Hanc vero theoriam commentitiam derivat e 2 Petri 1, 20. „*hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit.* (v. 21.) *Non enim voluntate humana allata est ali-*

---

e) Instt. Vet. Test. Tom. 1. cap. 2. pag. 27. Ed. 1.

f) Instt. Vet. Test. Tom. 2. pag. 62. Ed. 2. ubi 2. Lessii Propos. admittit; et Instt. Vet. Test. Tom. 1. pag. 30. Ed. 1.: „ubi in rebus iam notis *de vocabulis cogitandum non est, haec illis suggessisse Deum.*"

quandō prophetia, sed spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines." In fonte, inquit, est *φερόμενοι acti, impulsi.* Sed artem, mi Comes, qua Magister hunc de solis *prophetiis* sonantem locum ad *integras scripturas* extendat, operae pretium est eius verbis referre: „At vero s. Petrus, inquit, quamvis hanc *prophetiam* dicat, quae non allata voluntate humana sit, sed quam spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines; tamen *prophetiae* nomine hocce loco generaliter intellexit, et *comprehendit universam scripturam.* Nam hoc, prophetiam non esse allatam humana voluntate, eo dictum ab ipso pertinet, quod prius posuerat, omnem *prophetiam scripturae* (ubi prophetia pro interpretatione posita est, quod res ipsa loquitur, et quo pacto sumitur etiam Rom. 12, 6.) *propria interpretatione non fieri*, idque pro causa, *cur omnis scripturae prophetia, id est, interpretatio, propria interpretatione non fieret.* Quae sufficiens causa nullatenus esset, nisi quod in hac est, se ad omnem etiam scripturam extenderet, pro qua omni scriptura hanc rationem et causam attulerat *a*)."

Iterum farrago verborum sine determinato conceptu. Si sanctus Petrus hoc reipsa dixisset, quod tuus fingit Magister, jure diceres apostolorum principem delirasse. Si enim cum Magistro *omnem prophetiam scripturae* sumis *pro omni interpretatione scripturae*, tum, ut ipse non erubuit scribere, sensus erit: *omnis interpretatio scripturae propria interpretatione non fit.* Dic mihi Comes, an his insit scintilla sanae exegeseos? Si enim ab omni scriptura propria interpretatio, id est exegesis ex humanis praesidiis, e naturali ingenio et dexteritate excludenda est; dic obsecro, qua revelatione, qua inspiratione usus est *Hieronymus* in vertendo? Lege §§. 57 — 62., inprimis §. 59., et intelliges, quam putidum sit Magistri commentum. Dic insuper, si praesidia humana nullibi sufficiunt, quo duce divino, quibus geniis coelestibus vos utimini, dum legitis libros historicos, qui dimidium totius scripturae efficiunt? Nisi ergo vos inspiratos, aut semper et undique divinis praesidiis septos suspicio, dum eos libros legitis, thrasones aut simulatores vos esse necesse est, qui specie pietatis

---

a) Instt. Vet. Test. Tom. 2. pag. 62. Ed. 2.

imperitos illuditis, et principia normamque interpretandi crepatis, quam nec vos quidem sequimini, nec alius quisquam secutus est, aut vel sequi potest. Confer §. 84. 107. 108.

Adde, mi Comes, contextum. *Causa, cur omnis prophetia propria interpretatione non fiat*, adfertur v. 21. quoniam *prophetia* allata non sit humana voluntate: ergo prophetia utroque versu eadem notione sumitur, adeoque sensus utriusque versus erit: Mementote fideles, *omnem interpretationem scripturae propria interpretatione* non fieri; non enim humana voluntate, humano ingenio atque studio aliquando *interpretatio* allata est, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt, id vero est, *interpretati* sunt *sancti Dei homines*. Ut ergo vides, si *omnis prophetia* v. 20. et *prophetia* v. 21., juxta Magistrum pro *interpretatione* sumenda sunt, tunc *sancti Dei homines* ob intimum nexum non aliud esse possunt, quam *interpretes*, qui spiritu sancto communiti veteris foederis libros illustraverint. Ingenio ergo tui Magistri vates sacri, e quorum oraculis argumentum sumit Petrus ad Jesum velut Messiam commendandum, subito transformati sunt in commentatores inspiratos, qui aliena scripta illustraverint quidem, sed ipsi nihil de Christo scripserint! Dic iam, mi Comes, an Magister tuus non sit jocularis, qui sibi persuaserit, quamvis absurdissima quaeque scripsisset, ea tamen reverenter ab omnibus suscipienda esse et oraculorum instar adoranda.... Cape ex his iterum exemplum, mi Comes, et adverte, quorsum aemulatio ducat et indomitus affectus.

§. 149.

Nunc, mi Comes, etsi multa adhuc dicenda essent de contextu antecedente, praesertim versus decimi noni, ea tamen compendii causa abdico, et ad *grammaticam* ducam Magistrum. Negare non potest, sententiam „*Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit*,“ continere idiotismum hebraeum, eoque ex usu loquendi vertendam esse „*nulla prophetia scripturae propriae interpretationis est*“: quia כל cum negativa junctum, absolute negat. Sume exempla: de *sabbato* dicitur: *non facies omne opus in eo a)*,

a) Exod. 20, 10.

i. e. *nullum*; quia nec e loco quidem licuit egredi *b*), et qui sarmenta collegerat in deserto, lapidatus est *c*). Sic et alibi „*Pauper autem nihil habebat omnino praeter ovem d*)": in fonte „*Pauperi non omne praeter ovem*" etc. Alias „*non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens e*)," id est *nullus*. Et „*cum interierit non sumet omnia*," id est *nihil f*). Iterum „*nec quemquam Deorum curabit g*)," in fonte „*et ad omnem Deum non, attendet*. De idolo: „*et omnis spiritus non est in visceribus eius h*)," id est, nulla anima, nulla vita. Idem etiam in novo foedere, de quo vide infra sub *i*). Stante ergo hoc certissimo usu loquendi de *omnis* et *non*, si nomine *prophetiae* cum Magistro *interpretationem* intelligis, erit sensus: nulla scripturae *interpretatio* propriae *interpretationis est*; non enim unquam humana voluntate *interpretatio* allata est. Credo sentis, mi Comes, quam hoc inepte dictum foret, cum et ea aetate et proxima sub Christianis semper contraria fuerit experientia, rabbinis scilicet et ss. patribus, unoquoque pro ingenii sui et praesidiorum modulo interpretante.

Cogit ergo ipsa necessitas, vocem *prophetia* v. 20. et 21. notione obvia et trita pro *oraculo* sumere; idem postulante contextu, quoniam v. 19. Petrus tractare coepit de *sermone prophetico*, quem nec attingere quidem ausus est Magister tuus, quia vidit impossibile esse, iis verbis intelligere *totam scripturam*, tamquam divino impulsu conscriptam. Adde, ibi dici *firmiorem evasisse propheticum sermonem*. An hoc de lege aut libris historicis dici potuit? Annon istorum, quae hodie, eadem fides et olim fuit? At longe aliud est in argumento prophetico. Hoc enim, Christo demum adveniente, suam veram firmitatem nactum est; quatenus ex perspicuo implemento patuit, et eos qui talia praedixerant, fuisse divinitus collustratos: et eum, qui adventu suo prophetias impleverat, Deo auctore praeordinatum et missum.

Hinc jam cetera quoque clara sunt. Prophetiae enim ante implementum re ipsa sunt tenuis lucula in

---

b) Exod. 16, 29. *c*) Num. 15, 32—35. *d*) 2 Reg. 12, 3. *e*) Psal. 142, 2. *f*) Psal. 48, 18. *g*) Dan. 11, 37. *h*) Habac. 2, 19. *i*) Matth. 24, 22. Marc. 13, 20. Rom. 3, 20. etc.

magnis tenebris. Ostendunt aliquid, attentionem ac etiam desiderium excitant: res ipsa tamen nondum cognoscitur, quia defectu experientiae adhuc caligine involuta manet. Clare id habes in epistola prima *k*), ubi ipsorum prophetarum hanc experientiam refert, et causam quoque cur illis manserint obscurae prophetiae propriae; eo scilicet, quod non sibi, sed iis sua nunciaverint, qui sub et post adventum Christi ex praedictis characteribus judicare debebant, num is, qui pro Messia suscipi vult, praedictis illis notis insignitus sit. Apte ergo monet, ut huic argumento attentionem adhibeant, quia facta et fata Christi cum vaticiniis comparantes, non tantum divina consilia clarius intelligent, sed fide quoque erga Messiam, velut aurora in meridianum solem, provehentur, suaeque saluti stabiliter consulent.

Hac quoque occasione opportune monet, quare prophetiae tanto tempore fuerint tamquam lucerna in *caliginoso* loco, non satis lucis foenerantes lectoribus: quoniam, inquit (v. 20.), ante eventum ex se intelligi non poterant, ut ipsi vates experti sunt *l*), ut res ipsa indicat, utque exemplum dedi §. 69. Ratio est, quia (v. 21.) nec originem suam debent humano ingenio; divina autem consilia perspicere nemo possit, nisi perspicue revelata, quod in prophetiis nec quidem fieri semper potest, nisi ipsa illa claritate praepediatur implementum.

Nunc iam, mi Comes, frustra quaeres vestigium eius, quod ex hoc loco demonstrare voluit Magister tuus. Nam *omnis scriptura*, ut ostendi, sumendum hic est pro *nulla scriptura*: haec igitur ad *omnes libros* contra usum loquendi trahuntur. *Prophetia* autem, ut vidisti, non nisi ridicule sumi potest pro *interpretatione*. Neque huc pertinet locus ad Romanos 12, 6. quem adduxit, nisi clara illustrare cupit per obscura. Cum enim dona illa extraordinaria dudum ab usu disparuerint, non possunt non multa nobis in illis esse obscura, quae coaevis erant perspicua. Vid. 1 Cor. 12, 1 — 12. et toto capite 14. et Confer §. 53. Est igitur toto hoc Petri loco sermo de *prophetis* et *vaticiniis*, e quibus, uti e voce methaphortca φερο-

---

k) 1, 10 — 12. Coll. Luc. 10, 23. 24. *l*) 1 Petr. 1, 12 — 12.

μενόι, theoriam velle educere de *modo inspirationis omnium librorum*, vix tironi in mentem venire potest. Confer §. 46.

§. 160.

Demum, mi Comes, si recta est *definitio* Magistri, quam de *inspiratione* dedit supra §. 147., tum proximum genus *motio*, *concitatio*, *vis* et *impulsus*" libris singulis, singulisque eorum partibus convenire debent, aut desinent esse *verbum Dei*. ibid. Quaeram igitur, an si auctores, seu ex ipsa argumenti natura, seu ex pio animi studio, aut aliunde gravissimas causas habebant scribendi, erantque indubie scripturi, an tum etiam opus fuerit ea prodigiosa *incitatione*, *vi* atque *continuo impulsu* ad operis usque finem? Hoc ut affirmes non credo, foret enim prodigium sane superfluum. Sume exempla. Moysem ipsa legum copia coëgit scribere. Quia vero ipsa reipublicae coordinatio, et in Palaestinam inductio pendebat a promissis olim Abrahae et posteritati datis, intelliges una Moysem suapte moveri debuisse, ut propter nexum et necessariam claritatem patriarcharum vitas praemitteret; imo et creationis dudum ante Moysem revelatae et cognitae texeret historiam, non modo propter *sabbatum* festum sanctissimum, quod Moyses suis iam dudum frequentatum supponit; sed eo etiam, quod lex Mosaica non mere civilis, sed una religiosa est, quae clara notitia creationis et numinis providi carere non potuit.

Sed et *historicos* suapte habuisse momenta scribendi, quis neget? cum in omnibus populis, ubi a prima ruditate emerserant, id genus invenire sit documenta, quibus suorum facta majorum, aut sua coaevorumque praeclara gesta, naturali philautia et gloriae studio ducti posterorum commendata memoriae voluerunt.

Prophetas post acceptam relatamque ad populum numinis revelationem, ut plurimum res ipsa coëgit scribere, ut ubi praedicta evenissent tardius, horum virorum monitis et pondus accederet, et numinis simul veracitas et providentia commendaretur.

An *Davides*, mi Comes, tam inhumanus tam ingratus fuit, ut ubi victoriam retulit, non nisi superis stimulis impulsus in Dei laudes linguam solveret, epinicion cithara comite cantaturus? An amissa pugna,

acceptis injuriis, proditus ab amicis, ad necem quaesitus, et iam iam trahendus ad supplicium, causas e rebus natas non habuit opem postulandi ab numine, cuius promissa futurae gloriae tam aperta habebat? Idem dicas de ceteris Psalmorum auctoribus, atque etiam de *Salomone*, qui, ut opus non habuit divino impulsu, quo naturae plantarum a cedro Libani usque ad hyssopum historiam texeret, sic facile causas invenerit, ut sua aliorum acute dicta perscriberet. Pauca exempla, in quibus peculiari ex ratione quaedam literis signare jubentur s. auctores, dictis non praejudicant, imo confirmant.

§. 151.

Ad novum foedus venio, mi Comes, quod tam parum *divino impulsu* caruit ac vetus e Magistri sententia *a*), et quidem quod mireris e loco Petri deducta, quem supra §. 149. explicui. Tu tamen, mi Comes, de Magistri dictis ne dubita. Etsi enim patres de singulis evangeliis nobis ordine referunt naturales causas scribendi, quas obvie in quavis introductione legere poteris, Eusebius autem Matthaeum et Joannem necessitate ad scribendum impulsos perhibeat e veterum sententia (H. E. Libr. 3. C. 24. pag. 103. Ed. Vales), Magister tamen tuus, qui a *posse* ad *esse*, ut ajunt logici, nervose argumentatur *b*), impulsum quoque hunc adfuisse, sin minus ex revelatione, e conjectura certe, unus ipse indubitate cognovit. Quid enim? putasne Paulum, quem omnium ecclesiarum sollicitudo premit; qui quovis infirmato infirmatur et ipse; quovis scandalizato uritur: ortis in ecclesia dissidiis, instantibus seductoribus aut imminente corruptione doctrinae, scripturum fuisse eminus, nisi ita fuisset impulsus ut difficile fuerit contra stimulum calcitrare? Annon membrana cara fuit? annon libros et membranas Troade curat Romam adferendas cum penula? Acute vidit Magister tuus, tali viro coelestibus stimulis esse opus, ut ab somno excitetur et desidia.

Onesimum Philemonis convertit quidem, atque ex aequitate naturali remittendum putavit domino: at

---

a) Instt. N. Test. Tom. 1. pag. 213. §. 15. *b*) Instt. V. Test. T. 2. pag. 66.

vero ut illum commendaret, ut veniam peteret, et conciliaret Philemoni, parum tu nosti Paulum, mi Comes, si hoc sine insigni impulsu suapte fecisse arbitraris. Idem pari jure dixeris de *Jacobo*, *Petro*, *Juda* et *Joanne*. Nisi enim impulsu scripserunt, hominum, non Dei verbum scripserunt!

Habes ergo, mi Comes, unde hoc de argumento statuas. Si lubeat Magistro dicere non impulsos modo scripsisse, sed chartas quoque, calamos et atramentum ministrata fuisse e coelis; aut cum Commilitone vestro statuat, libros sacros iam ante orbem conditum exstitisse, §. 132. per me sane licet; nihil obloquar, ac ne obmussitabo quidem, qui unumquemque, quanto magis hunc tantum polygraphum Magistrum tuum libenter sinam in sensu suo abundare. Sed tamen veniam dabis, mi Comes, si ego homo Christianus Romano-Catholicus, atque etiam theologus, annis decem lacessitus a vobis, impatiente iam stomacho tandem in campum proeliaturus descendo. Si fidem *Jahnii* atque meam adversus calumnias vestras assero, qui in hoc quoque argumento, quoniam a Magistri tui dissentimus commentis, tamquam rem ipsam negemus, praepropera humanitate haereticis meruimus accenseri; si demum eadem opera ostendo, quam libere, et quam incohaerenter, neglecto omni usu loquendi, et exegeticis praesidiis, ipsis adeo patribus et sensu ecclesiae, quae sibi tamen pro summo principio posuit, sensum fingat verbis repugnantem, quem aemulatio et perpetua calumniandi cupido suggessissent.

§. 152.

Ad alterum locum venio, ubi „*scriptura sacra se ipsa divinitus inspiratam praedicat*“ §. 138. Pauli scilicet dictum: „*Omnis scriptura divinitus inspirata*“ etc. *a*). „Quis horum verborum, inquit, verus et legitimus sit sensus, eo lumine adhibito petendum erit, quomodo in ecclesia catholica semper intellecta sit inspiratio, et quid de ea tenuerint et docuerint Patres *b*).“ Docebo te, mi Comes, virtutes Magistri, quas tu hactenus ignoras. Prudens ille est ut ange-

---

a) 2 Tim. 3, 16. Coll. Instt. V. T. Tom. 2. pag. 58.
b) ibid.

lus Dei, hominumque ita noscit ingenia, ut non magis suum. Vide modo, ut ille providus foribus appendit tabulam: „*De inspiratione quid semper in ecclesia catholica, quid item Patres?*“ Quis talia praeteriret, quin bene precetur tam pio, tam docto scriptori? Sed si, mi Comes, in toto hoc IV. capite de *inspiratione*, et proximo V. *de divina auctoritate* ullum inveneris Patrem tamquam testem promissi, tu mihi auriculam in perpetuam servitutem subula suffigas postibus, ut ignavis olim servis dominus fecit Hebraeus. An satis pignoris? Stabitur tamen. Solum *Hieronymum* demo, nec hunc tamquam testem adductum, sed per occasionem unice ad removendam objectionem *c*).

Hoc ille fuco, hac specie incautos illudit, et tibi adeo quod miror, mi Comes, qui relato Pauli textu subjungis: „Frustra haec verba obscurare contendunt (*Neoterici*): nam in ecclesia catholica semper *ita* intellecta est inspiratio, et idem Patres omnes docuerunt *d*).“ Lepide, mi Comes, ut per transennam moneam, errasti: nullibi enim dixisti quid inspiratio sit, et tamen provocas ad ecclesiam et Patres ita sentientes! Sed, mi Comes, qui nos in *Patribus* tam turpiter decepit, idem pari modo facit in *Ecclesia*. Crederes a Patribus apostolicis usque ad *Neotericos* recensenda esse systemata de inspiratione promissa: cum ecce! ab reformatione incipit, inde ad Lovanienses (supra §. 139.) ad Grotium, Clericum et J. D. Michaëlem. En! tibi exsolutum promissum „*quomodo in ecclesia catholica semper intellecta sit interpretatio!*“ Sed illud jucundum est; ne periculo vacare forte viderentur Lovaniensium Jesuitarum sententiae (§. 139.), maluit meticulositatis arguere Sixtum V. S. P. „*Ne vero, inquit, maius aliquod fortasse incendium oriretur, Sixtus V. R. P. causam ad se revocavit, in neutram vero partem quidquam decidit.*“ Non videns, aut caute dissimulans, hac ipsa conniventia pontificis ita auctum fuisse incendium, ut paulo post totum orbem flamma corripuerit usque in praesens. Majori nunc jure argues Magistrum contemtus erga pontificem, quam supra §. 115. *Jah-*

---

c) ibid. pag. 64. *d*) Pag. 103. *e*) Instr. V. Test. Tom. 2. pag. 54.

nium. Si ergo nec in particulari quidem argumento servatis promissa, annon thrasones videamini, dum polliciti estis, scripturam non nisi iuxta unanimem consensum patrum explicandam a vobis? Vid. §. 102.

§. 153.

Sed jam ad locum Pauli venio „*Omnis scriptura divinitus inspirata* etc. Praetereo hic minores quaestiones, an nempe *inspirata* cum *scriptura* subjectum faciat, an ex se praedicatum sit? An item particula *et* genuina sit, nec ne? Haec enim, mi Comes, ad praesentem quaestionem non attinent: neque enim Magister tuus de auctoritate hic quaerit sacrorum librorum, quam supra §. 139. per petitionem principii iam demonstravit; sed *modum* ostendit, quo natae sunt scripturae. Nisi enim per utramque auriculam spiritus s. tam potentem *flatum* immisit, ut organa omnia pervadens usque ad sedem animae pertigerit, fieri non potest, ut quod postea scripserunt, desinat esse *verbum hominum* et fiat *verbum Dei*; quidquid autem tale non est, nec sacra scriptura est §. 147. Sufficiet ergo solam vocem *inspirata* indagare, ut videas, an tanta in ea lateant mysteria.

Paulus scripsit *Θεοπνευστος*, in quo explicando Magister optime se facturum non vane existimavit, si eorum sequeretur exemplum, qui prima vice scripturas legunt novelli tirones. Hi enim seu ductu naturae, seu venerationis studio, seu experientiae defectu, singula captant vocabula, omnemque premunt et excoriant apicem, ne quid elabatur, quod a s. auctore dictum aut intentum videretur: et si quam, quantumlibet crudam et indigestam, ideam apprehendissent, sequelas inde ducunt aliam ex alia usque ad decimam generationem. Sic quoque Magister tuus: nulla illi cura de potestate phrasium, nulla de usu loquendi, tamquam peregrinis mercibus.

Ubi igitur spatio non plane unius pagellae tredecim vicibus eam vocem perurget, sapienter vidit, eam compositam esse ex *θεος Deus* et *πνεω spiro.* Quia vero *spirare* nihil potest sine *flatu*, rite intulit „*quae divina scriptura est*, *haec facta Dei flatu est*, „supra §. 147. Vides ergo, mi Comes, sacros auctores primum *impulsu* commotos esse ad scribendum (ibid.); utprimum autem stylum aut calamum

impresserunt membranae, etiam efficacissimus *flatus* eos pervasit. Prius illud ad *cor* referendum, tamquam ad sedem *volitionum* et *nolitionum*, posterius ad *caput*, tamquam organum intellectualis potentiae. Jam nunc, mi Comes, dubita si potes, an *verbum Dei* sit, quod e conjunctis illis potentiis *impulsu*, et *flatu* chartae commissum est? Sequelas reperti mysterii vides, nec paucas, nec leves; quarum firmissima ea est, *Neotericos* esse haereticos, qui de hoc *flatu* dubitent, aut illum plane pernegent *). Hactenus plausibiliter Magister.

§. 154.

Ali, mi Comes, aliam ingressi viam, vident vocabulum θεοπνευςος ita esse rarum, ut ante Pauli aetatem non nisi unica vice occurrat apud auctorem profanum *a*). Usus ergo loquendi hic locum non habet; qui enim deinceps passim usurpant Patres, etymologiam pro arbitrio secuti sunt, quae nunquam docet usum loquendi, sed solum illustrat aliunde iam notum. Ad theoriam autem effingendam de arcanis divinisque operationibus vox tropica suapte insufficiens et inepta est: eoque vides, quem inde deduxerunt inspirationis modum antiqui, alias ab iis ipsis velut insufficientem iterum abdicatum esse. Supra §§. 140 — 45.

Juvat tamen scire, mi Comes, verbum πνεω spiro tam simplex quam compositum in novo foedere semper usurpari intransitive. Sume exempla compositorum: refertur de Paulo εμπνεων απειλης και φονε εις τους μαθητας τε κυριου. Act. 9. 1. „*Spirans minarum et caedis in discipulos.*" Alias: υποπνευσαντος τε νοτε *adspirante austro* Act. 27, 13. Alia exempla in novo foedere non exstant. Simplicium tamen plura sunt, uti Joh. 3, 8. το πνευμα οπε θελει πνει *spiritus ubi vult spirat.* Et η τε θαλασσα ανεμε μεγαλε πνεοντος διηγειρετο *Et mare vento magno flante exurgebat.* Confer etiam Matth. 7, 25. 27. Luc. 12, 55. Act. 27, 40. Apoc. 7, 1. Pluries non occurrit. Dabo tibi etiam verba-

---

*) Instt. V. Test. Tom. 2. Cap. 4. §. 32. pag. 56. Ed. 2.

a) Της δε θεοπνευςε σοφιης λογου εςιν αριςος. Phocolid. in Admonit. Vers. 122.

lia eiusdem prorsus formae cum nostro θεοπνευςος, intransitivae significationis. Sic απνευστος et αναπνευςος, *exanimis, qui non spirat;* ευπνευςος, ευαναπνευςος *facile spirans*, πυριπνευςος *ignem spirans*, ηδυπνευςος *gratum, suave spirans.* Feceris ergo jure tuo, mi Comes, si etiam θεοπνευςος verteris, *Deum, divinum spirans, divini spiritus.*

Neque rem apertam negare audet Magister tuus, sed ait *probandum esse, tale istud reipsa esse b).*" Hoc equidem, mi Comes, probatu facile est. Notio enim quam usurpat Magister, etsi etymologia non repugnat, ad eum tamen usum translata, quem ille facit, cruda, indigesta, anthropomorphica, et nulli prorsus usui est, eoque a nemine doctorum, ex quo hoc argumentum penitius tractari coepit, sic frequentata; ab iis autem, qui olim usurparunt, tamquam arbitraria et insufficiens deserta. En! causas, cur notio intransitiva praeferenda sit, praesertim cum et ii, qui transitivam usurpant, nihil alienum a priore sentiant, sed unice divinam libris auctoritatem inde asserant, Magistri fabulis procul ablegatis.

Sed aptius fecisset Magister tuus, si advertisset, scribere hominem hebraeum, qui quod in animo, suo idiomate concepit, ut potuit, expressit graece. Vid. srupra §. 1455. *Hieronymum.* Jure ergo dixeris θεοπνευςος esse ברוח אלהים, *in spiritu Dei,* spiritu divino, quae trita phrasis est de praesidio extraordinario, prophetis et scriptoribus collato. Hinc David de se ait „*spiritus domini locutus est per me c).*" Isajas Messiam loquentem inducens ait: *spiritus Domini super me d).* Christus quoque adducens Davidem ait: „*quomodo David in spiritu vocat eum dominum e)*" Talia autem sunt innumera, quae ex concordantiis facile colliges: nec raro etiam de donis naturalibus, quod Magistro tuo insigniter fraudi fuit, ut dicam infra. Hinc videas etiam intrrpretes Syrum et Aethiopicum, quibus tuus Magister assurgat, vertisse; „*omnis scriptura per spiritum s. scripta est.*" *Omnis scriptura a spiritu s. est.* Quod frequentissimo usu loquendi divinam quidem auctoritatem exprimit, sed non aeque *modum*, quo illa procurata est. Hac igitur sola ob-

---

b) Instt. V. T. Tom. 2. pag. 59. *c)* 2 Sam. 23, 2. *d)* Isaj. 61, 1. *e)* Matth. 22, 43.

servatione, omnia illa infantilis exegeseos monstra, *de spiratione* et *flatu*, *de verbo Dei* et *hominum*, et *nec Dei nec hominum* §. 148. in nihilum recidunt.

§. 155.

Sequeris igitur, mi Comes, exemplum Christi, si de hac re statuere voles prudenter. Is quid de scriptura sentiat, tribus verbis edixit „*non potest solvi scriptura a*)," id est, dicta eius vera esse necesse est, omni falsitate remota. Sic senserunt omnes Judaei parati pro libris mori potius, quam quidquam mutare, eoque Flavius Josephus eos vocat *θεια βιβλια*, *divinos libros b*), *ιερα γραμματα sacras literas c*). Doctrinam vero in iis contentam *θεȣ δογματα Dei praecepta d*). Erat autem Josephus sacerdos, templique minister, Magistro tuo haud paulo doctior et religiosior. Dum ergo Paulus ad Timotheum judaice educatum, et ab infantia in his libris exercitum, prorsus ut Josephus ait: *ιερα γραμματα οιδας sacras literas nosti*; dum asserit, *πασα γραφη θεοπνευςος omnis scriptura inspirata* etc. nisi omnino receptum usum loquendi deseruit, de libris illis, quod universis contribulibus, idem et sibi persuasum esse indicat. Locus ergo Pauli omnimode opportunus est asserendae divinae auctoritati librorum, sed non inficetis commentis Magistri, a quibus, si devies, ecclesiae abjecisse doctrinam videaris.

Explicato iam Pauli loco, chaos Magistri tui eo magis evanescit, quod etiam temerarium et alienum a prudentia est, ex unica voce, et quidem tropica, theoriam comminisci, divinae virtutis et inscrutabilis operationis modum, haud secus ac physica corpora in longum, latum et profundum dimetiri; ejus limites, et effectus velut in tabula describere, et tanta confidentia obtrudere aliis, ut ipsam hanc ludiciam explicandi rationem nihilo minore fide ac ipsum dogma credendum sit! §. 166. Obsecro! mi Comes, sanusne est Magister tuus, qui nisi consiliarius Dei est, unde haec arcana didicit? Nec Christus, nec apostoli, nec prophetae verbulo ea protulerunt, nec Patres similia unquam aliter usurparunt, quam ut

---

a) Joh. 10, 35. *b*). Flav. Joseph contr. Apion. L. 1. §. 8. *c*) ibid. §. 10. *d*) ibid. §. 8.

humani ingenii tentamen, quod ultro iterum tamquam insufficiens abdicant, prout supra §§. 142—45. videre potes. Et ecce! seculo XIX. novus adest vates, nova ex vocum apicibus extundit mysteria, revelatque quod nemo perspexit hactenus, et libere opinantes tractatores istarum rerum, adamantinis constringit vinculis, et tamquam Promethei impiam progeniem etiam clavis trabalibus affigit Caucaso, ne sine illius imperio quisquam amplius manum moveat aut pedem! Superi, quam inclementer de aliis, quam de se commode sentit, mi Comes, iste Magister tuus!

§. 156.

Sed tu, mi Comes, quaere ex illo, an, qui se vivere non dubitet, qui anima et corpore constare se firmissime credat et sentiat, id etiam intelligat et sciat, *quomodo* spiritus agat in corpus, et corpus in spiritum tam subito, tam potenter, ut obvie conspecto *Neoterico*, toto corpore sanguis ebulliat, pallescant genae, et concita vox, quasi vorticibus suum sibi praepediat meatum? Videbis ut docto etiam haerebit ad tempus aqua Magistro: at ubi mentem satis collegerit, dicet forte non parce, ne parum aut nihil dixisse videatur, etsi ab re alienum erit, quidquid dixerit. Qui ergo, ne se quidem norit, qui in obviis scripturarum sententiis tam hallucinetur frequenter, qui hodiedum nec elementa quidem suae perspiciat disciplinae (§. 73 et 83.), tune credas humanae mentis divinique praesidii orbitas, hunc ita dimensum, ut, ubi illa desinat, ista incipiat, ducta per medium linea discreverit? Magnus mihi erit Apollo, qui id praestet; huncque in id unum natum ducam, ut inter dogmaticos arbiter sedeat, et supremam ferat sententiam, quaenam sit virium naturae, quaenam pars gratiae in opere salutari? Quisnam coelestis auxilii modus, quod imperium in voluntatem? sene pondere librent aequali? Sin minus, ut salva sit libertas sub alieno imperio, quod etiam rebelles sibi insuperabiliter parere facit voluntates? Id genus arcana, nisi tuus illustraverit Magister, ab alio mortalium frustra opem exspectes.

§. 157.

Ceterum, mi Comes, sic statuas velim; me, etsi non concedo in placita Magistri, nihilo tamen minus

mirari ingenium. Primus ille est, qui anatomiae mechanicaeque nondum tentatis praesidiis, profundius hoc introspexit argumentum, singula in suas partes rite discrevit, supernarumque virium modum limitesque definivit. Ubi unquam audivisti antea, mi Comes, ab tractatoribus hoc argumentum bifariam discretum? quis unquam distinctis capitibus *inspirationem*, et *auctoritatem divinam* exposuit? Defunctos se putabant docto officio, si modo *revelationem* ab *assistentia* discrevissent, projecta omni ulteriore indagine; eoque factum, ut non satis perspecta crederemus solum, cum nunc intima pateant, et tantum non cernere oculis et palpare manibus possimus. Nempe:

In priore capite de *inspiratione* praecedunt simpliciora, propaedeutica; mechanica scilicet illa sublimior, quae supernarum virium proximam applicationem ad s. auctoris intellectum et voluntatem explicat. Vidit nempe Magister tuus, cuncta hic *impulsu* et *flatu* absolvi. §. 153. Prudenter sane, qui quotidie videamus his duabus potentiis plurima et maxime stupenda phaenomena produci per omnem naturae ambitum. Has iam, mi Comes, si iungas una, miros cernas effectus. Fac *impulsu* commoveri in organo folles, *flatus* continuo sequitur; e juncto autem utroque, vox sane sonora, capax omnis modulationis. Haec vero Magister ad sacros transtulit scriptores felicissimo successu. Impulsus enim atque etiam afflatus Lucas, iam non sua, sed Dei verba resonabit (§. 147), ut e proximis intelliges. En! tibi expromtum hodie, quod tot seculis frustra quaesivit orbis. Cetera minora sunt. Rite enim sic constitutis mechanicis operationibus, hincque *verbo divino* resonante, quidquid idearum et conceptuum eius ope exprimitur, divinae esse auctoritatis, quis sanus abneget? Hinc Magister tuus caput de *divina LL. auctoritate* aptissime sic exorsus est. „*Ex inspiratione divina, qua libri scripti sunt, sequitur, hos etiam divina auctoritate praeditos esse a*).“ Mirarer, mi Comes, si tu huic apodixi adversarere, quae fidei et bonis literis nata est.

---

a) Instt vet. test. Tom. 2. pag. 71. Ed. 2.

§. 158.

Ad tertium venio, ad *verbum divinum*, cuius genesin ex *impulsu* et *flatu* exhibui. Hic origo et fundamentum est omnium, quaecunque Magister tuus tam docte quam nove hoc in genere tradidit. Propria huius inventi sedes novum testamentum est, cuius libris pariter, uti in veteri, duo capita dicavit; alterum de *inspiratione*, alterum de *divina auctoritate a*). In illo eadem tractatio, quam priore §. exposui. Praemisit nempe *impulsum* et *flatum* e *Petro* et *Paulo b*), quibus alterum longe gravissimum junxit ex epistola ad Thess., cui sic praefatus est: „*Quos autem canonicos* libros Nov. Test. habemus, eos ecclesia pro divinis et divina inspiratione confectis semper habuit. Ex ipsis etiam his libris patescit, eos, qui in his loquuntur, Dei spiritu actos locutos esse (!!). Nam quod praedicarunt evangelium apostoli, id vocat Paulus *verbum auditus Dei*, hoc est, verbum quod Deus locutus est, *perceptum auribus*, *quodque non sit verbum hominum, sed vere verbum Dei c*). Quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut *verbum hominum*, sed sicut est vere *verbum Dei*. Et rursus: *Pro Christo legatione fungimur*, tamquam Deo exhortante per nos *d*).“

„Nam cum hoc Paulus asseveravit de *doctrina* sua, quam *vi et auctoritate apostolici sui muneris tradidit et praedicavit;* eius autem *doctrina* non minus illa sit, quam per scripturam tradidit, atque ea, quam ore enunciavit, nec intersit aliquid, utrum haec ore vel calamo proposita sit; sequitur, aeque illud, quod de evangelio Paulus scripsit ad fundandam et instruendam ecclesiam, esse *vere verbum Dei*, non hominum, et tamquam *ex ore Dei acceptum*, atque id erat, quod ore annunciavit. — Et quoniam pares erant apostoli, nec ceteri aliud nisi vere *divinum verbum* annunciarunt. His demum addit: *An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus e*).“ Multas, mi Comes, superis agas gratias, quod de loco ad Thessalonicenses sensum suum Magister hic at-

---

a) Instt. Novi Test. Tom. 1. p. 206. et 214. *b*) 2 Petr. 1, 22. et 2 Tim. 3, 16. *c*) 1 Thess. 2, 13. *d*) 2 Cor. 5, 10. *e*) 2 Cor. 13, 3.

tulit, cuius ille in XVI. voluminum commentario non vocula indicavit.

§. 159.

Vides iam hinc, mi Comes, omnium eorum, quae hactenus erravit Magister, in hoc ad Thess. loco esse originem. Ut primum enim in sensu sententiae *verbum auditus Dei* tam turpiter lapsus est, eoque *verbum Dei* contra omnem usum loquendi tam presse sumsit, ut verba s. scripturae desinant esse suorum auctorum (§. 147.), sed nescio quo sensu propiore evadant *verba* ipsius *Dei*, necesse fuit, ut a Genesi usque ad Apocalypsim in singulis sententiis et vocibus immediata et efficax Dei cooperatio statueretur. Hoc autem effecit per commentitium illum et anthropopathicum *impulsum* et *flatum*.

Sed iam de sententia *verbum auditus Dei* dicendum est. Dictum hoc tam asperum, tam confragosum est, ut non possit non morari attentum lectorem: et tamen in graeco ob trajectionem pronominis paulo etiam durior est, nempe: „*Οτι παραλαβοντες λογον ακοης παρ᾽ ημων τȣ θεȣ, εδεξασθε ȣ λογον κ. τ. λ. Accipientes verbum auditus a nobis Dei, accepistis non verbum* etc. Locum hic habet quod iam supra monitum est §. 154., loqui hominem hebraeum, qui sui idiomatis sententias totidem verbis graecis exprimit, quae tamen in graeco et in latino vix tolerabilem sensum habent, planum e contra ex usu loquendi hebraeo. Et primo quidem si imitatione Vulgatae „*a nobis*“ conjungis cum „*accepistis*“ reliqua „*verbum auditus Dei*“ lucem accipiunt a contextu inde a versu primo eiusdem capitis, ubi commemorat, quanto studio et labore Thessalonicenses in fide Christi instituerit. Huic adde vocem *ακοη auditus* respondere hebraeo שמעה *institutio, praedicatio*, qua notione aperte sumitur Isajae 53, 1. *Quis credit auditui nostro*, ubi LXX. Interpr. eadem voce reddunt, qua hic utitur Paulus, et quam adhibet Joannes quoque 12, 38. dum Christum ea Isajae sententia utentem inducit. Sed ipse

---

a) Job. 41, 5. Numer. 19, 2. Psal. 39. 8. in Vulg. 47, 1. 67, 1. 104, 27. 144, 5. Eccl. 23, 17. (in graec. 13.) Rom. 1, 23. 10, 17. 2 Cor. 5, 1. Ephes. 4, 23. 1 Thess. 2, 5. Apoc. 16, 19.

etiam Paulus Hebr. 4, 2. loquens de incredulis in deserto, ait in graeco: „non profuit illis *verbum auditus*“ id est, institutio, quam acceperunt per legem. Denique *verbum* hic abundat, ut alias saepissime *a*); *Dei* autem adjective usurpandum, uti fit obvie, quia sermo hebraeus adjectivum *divinus* non habet, sed supplet substantivo.

Si vero ordo graecae sententiae, quem supra posui, retinendus est, tum *Dei* adjective sumtum referendum est ad *verbum*, quod saepissime pro *doctrina*, in specie pro *Christiana* sumitur. Illud autem *auditus a nobis*, determinat doctrinam, quam Pauli institutione accepissent; ut sensus sit: accepistis divinam doctrinam a nobis traditam, non ut verbum hominum etc.

Demum *verbum Dei* et *verbum hominum*, nullam difficultatem habet, quia clarum est, haec cum superioribus ad eandem praedicationem primam apostoli inter Thessalonicenses referri, Act. 17. Quis autem nisi somnians id sibi persuadeat, Thessalonicenses non tantum de eo fuisse sollicitos, an doctrina apostoli vera sit, sed an *verba* quoque, quibus praedicavit, illius sint propria, an vero Dei? Tanta insania, nec si Thalmudistae fuissent universi, indefessi nugarum fabricatores, in mentem illis venire poterat, tanto minus in coetu, in quo *multitudo magna* (ibid. v. 4,) erat gentilium credentium et *mulieres nobiles non paucae* (ibid.), qui tam reconditae eruditionis tui Magistri usquequaque expertes erant. In eo, mi Comes, quaestio vertebatur, an qui probrose inter latrones crucifixus fuit, possit esse Christus, id est Messias? Hoc fine videas illos scrutantes scripturas, an haec vilia et probrosa de Messia per prophetes praedicta sint? Confer Act. 17, 2—11., et Lucae 24, 25—27. et 44—46. Simile prorsus exemplum in Palaestina, et supra locum Petri 2 Epist. 1, 19.

Tu igitur, mi Comes, sume *verbum* utroque loco iuxta receptum usum loquendi pro doctrina; *Dei* autem et *hominum*, in ore Hebraei adjective, ut supra, et habebis huic loco unice consentaneum sensum: accepistis doctrinam meam, non tamquam humanam et incertam, sed ut vere est, divinam, a Deo revelatam, eoque nulli fluctuationi obnoxiam. Poterat enim Paulus Judaeis videri doctus Rabbi, uti certe erat, qui e Palaestina nova quaedam illis suaque

propria in lite tum fervente de Jesu Messia judicia adferret; cuiusmodi videmus inter Corinthios, apud quos ea de causa pro varietate magistrorum sectas invenimus varias, ut alii se dicerent *Pauli*, alii *Cephae*, alii *Apollinis*, ac etiam *Christi*. Gentilibus vero quid aliud videretur primo obtutu, quam doctus Judaeus, qui more philosophorum proprias meditationes communicaret cum aliis? Certe sub simili forma Athenis ad areopagum deductum legimus Act. 17., 16—34. vixque aliud in exordio plerisque fuerit, dum biennio disserebat Ephesi in schola tyranni. Act. 19, 9. Erat ergo, cur gratias ageret Deo, dum iam ad primam eius praedicationem, contradicentibus undique Judaeis, tantum retulit fructum, ut magna multitudo gentilium virorum et matronarum suam doctrinam non tamquam humanam, sed velut indubitate divinam amplecteretur. Sed hic obtutus, qui cum argumento et temporum illorum ratione tam intime jungitur, in puerilem lusum dehiscit, si hanc gentilium multitudinem Thalmudistis superstitiosiorem ponis, de eo inprimis sollicitam, an, quae nova et non parum offensionis habentia de Messia inter latrones crucifixo annuntiasset, suisne an Dei verbis nuntiasset apostolus?

§. 160.

Haec, mi Comes, tam clara sunt, ut etiam Magistro, vel invito, vel non advertenti, e calamo defluxerint. Ait enim supra §. 147. et 157. de hoc loco ad Thessal. et altero ibidem ad Corinthios adducto: „nam cum Paulus asseveravit de *doctrina* sua, quam vi et auctoritate apostolici sui muneris tradidit; eius autem *doctrina* non minus illa sit, quam per scripturam tradidit, atque ea, quam ore enunciavit, sequitur, aeque illud, quod scripsit, esse *vere verbum Dei, non hominum*.“ Est ergo argumentum ex munere apostolico, cui infallibilitatem divinamque in promulganda *doctrina* auctoritatem conjunctam supponit; nullibi autem vel verbulo meminit, muneris apostolici eam fuisse praerogativam, ut non suis sed *ex ore Dei acceptis* verbis resonent *doctrinam* a). Qua logica igitur ille inferre potuit, id quod scripsit Paulus, esse

---

a) Instt. Novi Test. Tom. 1. pag. 207. in fine.

non verba apostoli, sed Dei? An huius rei in praemissis ullum vestigium est? annon de sola *doctrina* in illis sermo praecessit? Sic fit, mi Comes, ut ipse testis fiat veritatis, unaque mensuram impleat mendacii, cuius natura est, ut sibi non cohaereat.

§. 161.

Nunc, mi Comes, lubet esse liberalem et dare omnia, quae cupit Magister. Scripserint s. auctores per *impulsum*, per *flatum*, nihil suorum verborum sed Dei, et sapientissimam hanc theoriam, quae nobis verba dedit nec hominum nec Dei (§. 147.), esse una tam firmam, ut si digito contingas. *Neotericis* consimilis haereticus sis: quaeram, quorsum haec tanta prodigiorum moles? An ad auctoritatem? nihil minus Si enim cum *Neotericis* fateare, s. auctores infallibiliter divinaque cum auctoritate scripsisse, quoniam in hac major minorve certitudinis gradus dari non potest, nec si Iesu ad Abgarum epistola genuina sit, certius quid ferret scriptis Petri aut Pauli; cernis, in adornanda hac theoria nova parem esse temporis, chartae et atramenti jacturam.

Nec hoc modo, sed etiam quaeram, quem tanta prodigia ecclesiae aut fidei praestent usum? *Critica* enim, ut nostis, dudum fontibus ita interiit *integritas*, ut in locis bene multis, aut funditus evanuerit genuina lectio, aut inter plures haereas anceps. Fontis graeci rarior inter Latinos, hebraei nec inter hos, nec inter Graecos, usus erat. Versionibus nunquam non usi sunt populi, quarum una Graecis, altera Latinis authentica est. Fidem ut latius propagarunt apostoli divino magistro, sic discipuli provexerunt ultra apostolos. Quaeram igitur, an secundo et subsequis seculis usque in praesens, doctrina tam certa sit ac aevo apostolorum? si negas, domabunt dogmatici; si affirmas, fateare, ad divinam auctoritatem doctrinae suffecisse inerrantiam sacris scriptoribus divino munere collatam, aut quorumlibet scriptorum approbationem divinam. Viden' mi Comes, nihil a Magistro praeter crepundia allatum, et qui omnium improbaverit sententias et nova finxerit verba nec Dei nec hominum, errando vicisse universos? Quid enim, obsecro te, juvent verba ex ore Dei ad aures Magistri tui missa §. 147., quando illa tota vita nec audis, ac ne intueri quidem dignaris, qui linguas orientales:

„*allium, hircum, haram, suem, canem* et *capram*" a planta ad verticem totus festivus atque urbanus compellas *a*)? Quid demum prosint e coelis allata verba, cum post Augustinum fateatur Magister *b*), sermonem in scripturis esse mere humanum et vocum notiones ex more loquendi usurpandas? §. 26. Per multiplex igitur prodigium produxit Magister effectum prorsus humanum, quod divinae sapientiae adversari existimes.

§. 162.

Nunc tibi, mi Comes, in *Synopsi* dabo, quid tuus praestiterit Magister, et quid per summam incuriam neglexerit. Supra §. 138. per petitionem principii demonstravit LL. V. T. esse divinos; quod §. 158. exactissime imitatus est etiam in novo. Alterum quod addit argumentum ab *ecclesia* §. 139. ea ratione tractatum contra adversarios nulli usui est; a *prodigiis* autem §. 139. a quaestione longe alienum. Atque hac tractatione totum hoc argumentum absolvitur, ut jure dicas Magistrum et auditores coeca fide cum plebe pia credere dogma, quod nesciunt seu demonstrare seu, vindicare.

Reliqua ad scholasticas opiniones pertinent, uti ille *impulsus*, quem e loco Petri de solis prophetis sonante frustra tentavit deducere §. 148 — 152. — Neque aptior est locus Pauli §. 153 — 156. pro *flatu*: in quo, quod non inest, quaesivit, quod autem continetur pro divina auctoritate veteris testamenti argumentum, non vidit, aut neglexit. Discere id ut alia poterat ab *Jahnio*, nisi esset *Neotericus*. Demum *verbum Dei* crassiore sensu vane quaeri in epistola ad Thessal. a §. 158. ostendi hactenus. De libris ergo historicis, qui omnium primum, nec sine specie controverti coeperunt ab adversariis (vid. §. 137.), nihil prorsus, etsi sumere poterat ex *Jahnio*, cuius elegantes in hoc genere observationes sunt.

In novo autem testamento major etiam incuria est. Cum enim nec Petri nec Pauli dictum huc pertineat, locus autem ad Thessal. ad effingendam theoriam unice adhibitus sit, intelligis, non ultra piae plebis fidem Magistrum progressum esse, tametsi ipsa

---

a) Pag. 137. *b*) Instt. Vet. Test. Tom. 1. pag. 156. Ed. 1.

prope progredi coegit necessitas. Ut enim e §. 158. patet, singulare momentum pro doctrina Pauli inde repetit Magister, quod eam *vi et auctoritate apostolici muneris tradiderit.* At quaenam muneri apostolico praerogativa coniuncta fuerit, non verbulo monitum invenies. Quis te oro, mi Comes, hic non exspectet, si non evolutos, saltem commemoratos nude eos textus, quibus splendidissima insunt Christi promissa de docendis per spiritum sanctum apostolis, quos ipso adhuc ascensionis die tam rudes conspicimus, ut ne id quidem nossent, spiritale fore imperium magistri a)? Annon commemorationem aliquam exspectes de experientia apostolorum super datis promissis? Aut considerationem eius, quod Christus, cuius jussis universa parebat natura; cuius finis erat coetum fundare per omnes gentes in omne aevum; cuius triennii labore inceptum tam laete efflioruit: nulla habita seu propositi sui, seu salutis hominum ratione, ultro ex hoc mundo discedens in medio cursu abruperit opus, provectionem committens hominibus, quorum obtusis mentibus, nec triennii quidem institutione qua publica qua privata, vel prima instituti sui elementa inserere poterat. Quibus tanta inesse mihi videtur pugna et absurditas, ut stante evangeliorum fide, ratio ea nec admittere, nec solvere possit, si destinati orbis magistri suis unice relicti sunt viribus.

Et tamen cum tanta suppeterent, omnisque hinc pendeat evangelicae doctrinae auctoritas, hanc supponere et coece credere maluit cum plebe pia, quam ullo monstrare indicio, cur hanc apostolorum dignitatem ipsa credat ecclesia; tametsi huius doctrinae praecipua sedes novum testamentum sit, nec unquam magis fuerit necessarium, hac in re versari solide, ac nostro tempore, quo ista nervosius ac unquam impugnata sunt.

Quid autem de Paulo, cuius ad Thessalonicenses sententiam tamquam unicum fundamentum usurpat, ductu Magistri statues? An ille probavit, illum esse apostolum? an vi muneris huius infallibilem ostendit? id quidem certe per petitionem principii ut §. 158, vidisti. Qui ergo, mi Comes, omnia Magistri

a) Act. 1, 6.

tui dicta nec intellecta quidem, quod ait Cajetanus de libro transscribas in quinternum, tamquam Pythiae probes oracula, nec hilum sapias ultra, te tuumque Magistrum in nugis exercitos, in summis et necessariis peregrinos et hospites a pia plebe neutiquam segrego, eoque et theologorum nomine prorsus indignos duco.

§. 163.

Demum unicum exemplum accipe, mi Comes, de delectu rerum, quem facit Magister tuus. Si ejus Cap. 4. de *inspiratione* librorum veteris testamenti relegeris *a*), suspicari possis, *Marcum* et *Lucam* apud illum haberi in canone veteris testamenti librorum; quoniam de his ac etiam epistola ad *Hebraeos*, de *Jacobi* et *Judae* atque *Apocalypsi* per sex paginas litigat cum *Neotericis* et *Michaele*; et quod mireris cum postremo, qui eas epistolas et apocalypsim neget inspiratas, si non essent apostolorum, ut ipse expresse notat Magister *b*). Non satis erat, quae eius essent loci tractare tam perfunctorie, nisi heterogeneis admixtis etiam magis deturparet. Quid enim hic *Marcus* et *Lucas*, si non studio omnia obturbat? aut quis tam ineptus sit, ut, si opuscula cetera apostolorum non essent, ignotorum hominum spurios partus pro divinis habeat? Quaenam ergo causa est tam peregrinae litis? Dicam, mi Comes.

Suspicabar primum, cum haec scriberet, nondum apud animum suum decrevisse novi etiam testamenti institutiones scribere, ideoque ne super hoc argumento meditata orbi literario perirent, maluisse etiam alieno loco tradere. At ubi observavi ab scriptis his, mox anno proximo etiam Institutiones novi testamenti fuisse vulgatas, nunc iam istoc videtur verius, Magistrum ea huc inserere voluisse, quo *Neotericos* ab negata evangeliorum etiam inspiratione suis commendaret auditoribus, unaque suam in iis vindicandis solertiam pietatemque faceret testatam. Ut ergo de *Marco* et *Luca* merita Magistri magis intelligas, rem paucis exponam.

---

a) Instt. Vet. Test. Tom. 2. pag. 52. *b*) ibid. pag. 55. 56. 65. 66. 67. 68.

§. 164.

Nosti, mi Comes, *Marcum* et *Lucam* aequali semper auctoritate fuisse cum evangeliis ceteris, tametsi non erant apostoli, nec quae his facta sunt divini praesidii promissa ad illos ullatenus attinerent, qui cum *Timotheo*, *Tito*, *Clemente*, *Ignatio*, *Polycarpo*, quorum scripta nemo in divinis censuit, paris essent conditionis.

Huius igitur, mi Comes, de tanta illorum auctoritate problematis solutio, iam antiquis curae fuit. Redit autem eo, ut discipulis ab magistrorum consensu et approbatione fidem quaererent.

Sic *Papias*, qui ab apostolorum discipulis sua hausit *a*) referente Eusebio „ajebat *Marcum* Petri interpretem, quaecunque memoriae mandaverat, diligenter scripsisse *b*).“

E *Clemente* autem Alexandrino refert Eusebius *Marcum* precibus auditorum Petri inductum ad scribendum, „quod cum Petrus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprabasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur *c*).“ Quorum testem adjungit etiam *Papiam*. His autem neutiquam obstat, quod Eusebius alibi ex eodem *Clemente* retulit, nempe rogatus a fidelibus „Marcus evangelium composuit, iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus cognovisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec, ut fieret, incitavit *d*).“ Postrema enim verba indicant, indifferentiam Petri non tam de scripto evangelio, quam de consilio scribendi intelligendam esse.

Justinus ait, in Petri commentariis scriptum esse, filiis Zebedaei a Christo nomen *Boanerges* inditum *e*). Locus memorabilis est, quia in solo *Marco* ea compellatio occurrit. Huius ergo evangelium tribuit Petro, cuius causam e proximo Tertulliano intelliges. Neque locum hic habet suspicio tamquam ex apocrypho sumtus sit locus, cum ad liquidum per-

---

a) Euseb. H. E. Libr. 3, C. 39. init. pag. 117. Edit. Vales. *b*) ibid. pag. 119. *c*) ibid. Libr. 2. C. 15. pag. 59. *d*) ibid. L. 6. C. 14. pag. 238. *e*) Dial. c. Tryph. §. 106. pag. 211. Edit. Maur. Coll. Marc. 3, 17.

ductum sit, Justinum sola nostra 4 evangelia usurpasse, ut ex citatis cuique evangelio propriis sententiis patet.

Tertullianus, ubi praemisit *Marci* evangelium Petri affirmari, *Lucae* autem Paulo adscribi, addit: „capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarint *f*). Quod autem non de vana opinione loquatur, ostendit alter locus: „Igitur inquit, si ipse illuminator Lucae (Paulus) auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae aptavit (Gal. 2, 2.), quanto magis eam evangelio *Lucae* expostulem, quae evangelio magistri eius fuit necessaria ?)."

Irenaeus loquens de Petro et Paulo Romae evangelizantibus, addit: „Post horum excessum *Marcus* discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit. Et *Lucas* autem sectator Pauli, quod ab ipso praedicabatur evangelium in libro condidit *h*). Quod de *Marco* hic refertur cum prioribus non pugnat, non enim loquitur de evangelio post Petri et Pauli mortem *scripto*, sed *tradito* in usum fidelium: et quamvis hic locum non habuerit „*nonum prematur in annum*" nihil tamen etiam obstat sub finem vitae Petri scriptum fuisse eo conscio et probante, praesertim cum Petrus ipse simile quid insinuare videatur dicens: *morte* sibi iam *e vicino instante* daturum se operam, ut quae a se audivissent, eorum memoriam recolere possent in posterum *i*). Quibus verbis historiam de Christo indicari, subjuncta de eius transfiguratione narratio, quam et Marcus C. 9. retulit, suadere videtur. Scripserit ergo paulo ante exitum Petri, eoque per martyrium glorificato vulgasse.

Origenes de *Marco* ait: „prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit." De Luca vero: „Tertium evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur in gratiam gentilium conscriptum *k*)."

---

f) Adv. Marc. Libr. IV. C. 5. pag. 416. Ed. Rigalt. *g*) ibid. C. 2. pag. 414. *h*) Cont. Haer. L. 3. Cap. 1. pag. 174. Ed. Mass. Coll. Euseb. Lib. 5. C. 8. p. 189. *i*) 2 Petr. 1, 12 — 18. *k*) Comment. in Matth. Tom. I. Ed. Virceb. Tom. 10. pag. 327. Coll. Euseb. Lib. 6. C. 25. pag. 252.

Epiphanius. „Itaque post Matthaeum statim *Marco*, qui Romae s. Petri comes fuerat, scribendi evangelii provincia committitur. Quod cum fecisset, a beato Petro in Aegyptum mittitur *l*).“

Hieronymus ubi praemisit, quod Titum Paulus habuerit interpretem, subjungit, „sicut et b. Petrus Marcum. Cuius evangelium Petro narrante, et illo scribente compositum est *m*).“ Clementis autem et *Papiae* supra relata pariter refert *n*).

De evangelii *Lucae* approbatione autem tanto probabilius videri debet, quod in prooemio testetur, se ab iis sua hausisse, qui ministri fuerunt sermonis (1, 2.); quod ceteris altius exorsus, etiam in subsequis multa habeat ab aliis praeterita. Non ergo apostolis insciis scribi opus potuit, quibus suum debebat argumentum, nec adeo invalescere, nisi ab iis fuisset comprobatum.

§. 165.

Altera solutio problematis de *Marci* et *Lucae* auctoritate non minus antiqua est, eiusque primum vestigium occurrit apud Eusebium *a*), qui ex Clemente Alex. refert: „Perlatis iam in omnium ipsiusque adeo *Joannis* notitiam supra dictis tribus evangeliis, approbavisse ea Joannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum, quas Christus circa initium praedicationis gesserat, desiderasse. *Et profecto ita se res habet.* Nam superiores quidem tres evangelistas ea duntaxat, quae post conjectum in vincula Joannem B. unius anni curriculo a servatore gesta sunt, literis mandasse perspicuum est; idque ipsum in principio operis sui aperte significasse.“ Quod postea confirmare pergit, etiam dicto Joannis de baptista: „*nondum missus fuerat in carcerem b*).“ Vides, mi Comes scholam Alexandrinam in his rebus acutius et diligentius versatam esse. Tot enim insunt in Joannis evangelio indicia, illud cum relatione ad cetera fuisse scriptum, ut si hinc praescindas, non facile tam abruptum in anti-

---

l) Adv. Haer. Lib. 2. Haer. 31. alias 51. Cap. 6. pag. 428. Tom. 1. Ed. Petav. *m*) Epist. ad Hed. ib. C. 11. Tom. 4. Part. 2. p. 183. Ed. Mart. *n*) Catal. script. eccles. Tom. 4. Part. 2. pag. 104.

quitate opus invenias. Quam critices partem post alios eleganter ornavit *Hugius* in sua docta Introductione in novum testamentum.

Idem paucis repetit alias: „Joannes omnium postremus cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino spiritu afflatus, spirituale evangelium, familiarium suorum rogatu conscripsit *c*).“ Justo severior criticus fuerit, qui tantorum judiciis nihil solidi subesse existimet. At Magistro tuo, secus facili fabellarum patrono, haec vel ignorata fuerunt, vel certo non hilo pluris sunt. Audi causas, „de re enim primi ecclesiae seculi hoc testatur Eusebius seculo 4.“ Mirare, mi Comes, hominem criticum, qui olim scripserit historiam! Annon enim Eusebius suos testes nominat, qui id acceperint ab anterioribus? annon hoc solo figmento omnem Eusebio anteriorem evertas historiam? Addit, Eusebium de *Marco* et *Luca* adhibuisse: *dicitur*. Sedan non expresse confirmat in subsequis et traditionem aliorum de appoobatis per Joannem evangeliis, et eorundem rationem qua concinnata sunt, inquiens: „*et profecto ita se res habet?*“ An demum postremo loco non confirmat simpliciter? De *Irenaeo* demum, qui Marcum post mortem Petri et Pauli scripsisse dicat, vide supra in *Irenaeo* notata.

Sed tu ne mirere mi Comes, si ille tantis etiam obnititur. Acute enim videt hanc veterum defendendi rationem supponere suo utrumque ingenio scripsisse evangelistam, nec scripturis accenseri nisi ex consequente approbatione apostolorum: hinc autem suapte futurum, ut ejus *impulsus* et *flatus*, scripturarumque verba nec Dei nec hominum §. 147., merces fiant obsoletae, quas nemo cassa nuce redimat.

§. 166.

Avidus ergo eris sciendi, mi Comes, cum veterum sensum repudiet Magister, quid ille sua de penu protulerit novi? Exquisitum esse ne dubita: eoque ne quid tibi pereat eius verbis referam. „Neque enim inquit inde quod Christus donum spiritus sancti pro-

---

a) H. E. Libr. 3. C. 24. pag. 103. *b*) 3, 24. *c*) Euseb. Lib. 6. C. 14. pag. 238.

miscrit apostolis, dum istam promissionem non sic istis fecerit, ut excluserit omnes alios, consequens est, hocce donum non esse collatum etiam aliis *a*).“ Quantum, mi Comes, nobis otii fecit hoc ingenium Magistri! quanta nova ostendit! Possis enim iam dicere: quoniam Petrus *impulsum*, Paulus asseruit *flatum* scriptoribus, nec tamen chartam, calamos et atramentum excluserunt, iam non dubium est, haec quoque praesidia fuisse coelitus missa. Quoniam item evangelium praedicare jussi sunt apostoli, nec temporalis potestas exclusa est, hanc quoque iis et successoribus collata fuisse. Vide ut tot Patres nihili sunt pro approbatione *Marci* et *Lucae* per apostolos; at silentium Christi de *Marco* et *Luca*, argumentum, ut ajunt a *posse* ad *esse*, perspicue probat, his quoque promissum esse spiritum sanctum! Mihi crede, Aristoteles ad tuum Magistrum merus nugator est.

Sed inquit, si ea promissa non extenderentur ad alios etiam, nec Pauli epistolae essent inspiratae *b*). At sycophantia in aperto est: nemo enim hactenus ita insaniit, ut e Christi promissis, quae apud Joannem praeprimis factae sunt apostolis, Pauli quoque derivaret apostolatum, e quo auctoritatem docendi supra §. 157. et repetiit Magister. Tale est etiam cum ibidem ait: si illis promissis „*Christus promisisset spiritum sanctum apostolis ad scribendos canonicos libros, omnes scribere debuissent.*“ Quaeras ex illo, mi Comes, an J. D. *Michaelis*, an *Neotericorum* ullus, aut ullus unquam fanaticus, ea Christi promissa ad praeceptum de libris scribendis retulerit? annon tirones norint libros novi testamenti nullo Christi praecepto, per occasionem unice enatos esse? Sed vide iterum sycophantiam. Supra §. 158. tradit, eadem auctoritate docuisse apostolos verbo et scripto: cum ergo promissa illa nemo non sumat de munere docendi in *genere*, qua fronte *Michaelis* et *Neotericis* sensum obtrudit tamquam de praecepto scribendi? Ut vides, semper viles artes in suorum recidunt capita auctorum.

Atque his, mi Comes, *Marcus* et *Lucas* asserti sunt. Cui si addas argumentum ex epistola ad Thessal. supra §. 158—60. expositum, a re prorsus alie-

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 66. *b*) ibid.

num, intelliges, nec in ipsis quidem institutionibus novi test. praeter ecclesiae fidem quidquam allatum esse, quod non ineptum sit.

§. 167.

Nunc, mi Comes, de *Neotericorum* inspirationem negantium impietate novi aliquid audies. Ubi de H. *Grotii* et J. D. *Michaelis* inspirationem negantium sententiis more suo disseruit, sic pergit: „Has sectantur etiam ii, qui ex catholicis novae interpretationis luce tincti sunt, plus vel minus, prout proprium eorum ingenium fert et voluntas: *qui perinde ut illi*, scripturis omnibus canonicis, quae argumentum tractant historicum et morale, originem detrahunt divinam, tamquam ad quae scribenda nulla opus fuerit inspiratione divina, ne quidem ut saltem assisteret Deus, sed abunde suffecerit proprium illorum ingenium. — Ita fucum faciunt, *inspirationis* nomen retinentes, quae *re* inspiratio non est, ut adhuc postea declarabitur *a*)." His pagina sequente continuo subjungit de *flatu* ex Paulo, et postea de *impulsu* e Petro.

Hic tibi, mi Comes, si lubet, licebit esse liberali, licebit accusationi per omnia subscribere, et tamen paulo post experiri, tironum more Magistrum haerere in apicibus, et obtrudere commenta pro dogmate. Quisnam enim libros *Josuae*, *Judicum*, *Regum*, *Psalmos* item non paucos (mitto Deutero-canonica) scripserit, ut nosti, nemo dicere potest; sed neque ulla ratione ostendere, prudentes viros, his suo ingenio conscribendis haud fuisse pares: quod tanto magis extendes ad scripta Salomonis. Et tamen haec omnia sunt s. literae, sunt scriptura divina: quia haec quoque uti universim proto-canonicos Judaeorum Christus et apostoli probaverunt, eo prorsus sensu ut a Judaeis erant recepti, de quo dixi §. 155. Hoc ergo sensu dices *inspiratos*, id est divinae auctoritatis. Eo vero sensu, ut vult Magister tuus, per *impulsum*, per *flatum* in utramque auriculam scribentis, per verba item nec Dei, nec hominum §. 147. *inspiratos* negabis iure tuo, quia haec unice nituntur male intellecto loco Petri, Pauli item ad Thessal. et

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 56. 57.

Timotheum, ut supra ostendi a §. 147. — et quia de divini illius praesidii modo, nemo quidquam dicere potest, §. 155. et 156. Imo vehementer dubito, an vel illi ipsi, qui illud experti sunt, nobis super eo claram ideam possent informare. Hinc etiam videas, a patribus Tridentinis sollicite vitari nomen *inspirationis*, et hypotheses scholasticas porro quoque relinqui cuiusque arbitrio.

Adde, quod Magister tuus concedat, opus humano unice ingenio scriptum, et a divino legato probatum, divinae fore auctoritatis, at non aeque fore *verbum Dei b)*; quam exceptionem in centum locis invenias, ut omnino dubitare non possis, Magistro tuo sub inspiratione physicum quid intelligi, e qua divina auctoritas sequela sit §. 156. Ideo apte dicit in fine eorum, quae retuli „quae *re* inspiratio non est: *Neoterici* enim ab omni *re* praescinduut; non illis curae est Magistri *impulsus* aut *flatus*, non commentitia verba nec Dei nec hominum §. 147.; contenti sunt doctrinam e revelatione repetere, divinum praesidium universim agnoscere, in prophetis praeprimis et apostolis; si quis autem contentiosius agat, in libris quibusdam, ut historicis et moralibus, nullum ostendi posse intrascribendum spiritus s. immediatum praesidium, tum illi uno ictu omnes lites amputant, et e Christi et apostolorum evidentissima approbatione pro divinis habent, etiamsi illorum auctores suo unice ingenio scripsissent.

Si quid hac in re saperet Magister tuus, videret, similem prorsus historicorum librorum defendendi rationem iam seculis frequentatam. Non commemorabo Iudaeos, qui ex approbatione prophetae librorum auctoritatem reptebant c); non tot patres hactenus allatos, qui et voluntatem scribendi, et argumenti delectum, memoriae verborumque usum liberrime sacris indulgent auctoribus: sed ad tot remittam superioris seculi theologos, qui sine ullius offensa, etiam bene se mereri de scripturis existimabant, si scriptoribus, qui res sibi notissimas retulissent, quas nec Magister quidem e coelis denuo suggestas audet dicere, *assistentiam* tribuissent spiritus sancti, qui ab

---

b) Instt. novi test. Tom. 1. pag. 211. *c)* Jos. Flav. cont. Apion. Libr. 1. §. 8.

errore retraheret, in quem forte prolapsuri essent auctores. Sed ut vides, mi Comes, id nuda hypothesis est, qua similibus libris ita divinam fidem assererent, ut tamen non offenderent contra prudentiam, ex inspiratione repetendo, quae naturaliter habuissent notissima.

In horum igitur sententia, quis dicere audeat, evenire non potuisse, ut auctor, qui vel suam scribebat experientiam, vel e prudentia naturali, haustaque praevie revelatae religionis notitia, vitae prudenter degendae leges, morumque praecepta condebat; qui demum e monumentis anteriorum sumebat sua: in concinnando libello usque in finem pede inoffenso decurreret, etiam sine efficaci interventu altioris praesidii? Hoc ergo in casu, quem excludere nemo potest, erit opus origine mere humanum, divinae tamen auctoritatis ob *praesumtam assistentiam.* Id vero, quoniam multo certius praestatur per *Jahnium* aliosque, qui Christi et apostolorum approbatione nituntur, annon insolentissimi animi est, haeresim impingere iis, qui dogmate integrius asserto, commentitiam Magistri tui probandi rationem valere jubent, missasque faciunt fabellas cum argumentis est opus? Sed, mi Comes, ingenium in Magistro vehementer desidero hac vice. Vide, ut ille provide praemisit §. 138. inspirationem negari a nemine, nisi qui una neget et revelationem. Paulo ante autem aiebat, inspirationem cum *Grotio* et *Michaelis* pariter negari a *Neotericis*; qui ergo nunc auspicatissimo syllogismo inferre poterat, Naturalistas esse *Neotericos*, en tibi pulcherrimam hanc demonstrationem incredibili incogitantia praeterit silentio! Tu autem quanto acutior? optime tu ex iisdem praemissis naturalismi propagandi provinciam nobis detulisti §. 138. Ergo tibi gratulor, mi Comes, qui etiam in hoste soleam suspicere virtutem.

§. 168.

Ad argumenta vestra venio, mi Comes, tuis hac vice supersessurus, quoniam nihil praeter dicta Magistri resonas. Ille vero pro voce *θεοπνευςος* inspiratus, Graecos patres citat, Josephum quoque Flavium et Philonem *a*). Quam cupio, ut e postremis deca-

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 60.

dem saltem attulisset exemplorum, qui ista tam habeat in numeratis! Priores vero in voce rarissima ante eorum aetatem (§. 154.), usu loquendi destituti, non aliud medium habebant quam etymologiam, ad theoriam inspirationis e tropo derivandam prorsus inutilem atque ineptam. Sed ne in vos morosus sim, amplectar patres vel infallibiles si vultis, seu interpretes, seu testes genuinae notionis. At quaeram: Cur eos non sequimini? Cur s. scriptores non facitis *machinas*, ut ab iis factos videtis (§. 140.), qui viciniores erant apostolis, adeoque vestro judicio, quid *θεοπνευςος* sit, quam maxime intelligere debebant? Demum cur non advertistis, omnia illa grandisona praedicata, nihil illis esse nisi nudam theoriam, quam abdicant, ubi vident in usu stare non posse, uti ostendi §§. 140 — 45. Vos autem ita ineptitis, ut nudum tentamen *inspirationis modum* explicandi, pro ipso dogmate habeatis, utque mos vester est, dogma divinae auctoritatis, cum quaestione scholastica perpetuo confundatis.

Alterum quod opponit a *conciliis* sumtum est. Ait enim quod, assistente solum spiritu sancto scriptum est ne erretur, hoc non est *inspiratum*, ergo neque *sacra scriptura*; „idque perinde ut decisiones fidei in oecumenicis conciliis, quamvis fiant assistente spiritu sancto, tamen non sunt scripturae canonicae, nulli obnoxiae errori *etiam extra res fidei et morum*. Deinde si hocce modo ponantur omnes libri canonici esse divinitus inspirati; consequens esset, nihil in his esse supra humani ingenii vim et captum, utpote qui scripti quidem citra errorem, attamen solo humano ingenio essent *b*).“

Qui fit, mi Comes, ut Magister tuus, qui institutionum volumina iam repetita dedit, quid scriptura sit, nondum etiam ne hodie quidem intelligat? Alioqui si rectam haberet ideam, haec proferre non potuisset, quae iam ipsi adeo rident tirones. Ponas, mi Comes, historicos vet. test. Salomonis item, ac Marci quoque et Lucae opuscula solo humano ingenio conscripta, probata tamen, illa quidem a divino Magistro, haec vero ab apostolis; an tu non sentis, quam mirum inter haec etiam, et conciliorum dogma-

b) ibid. pag. 63.

tica decreta discrimen sit? Essentiale illud est, quod hoc quoque sensu inspirata futura sunt fontes et primum principium fidei; conciliorum autem decreta sint tantum media, index, manuductio, quorum ope, divina aeque cum auctoritate intelligitur, quid in illo primo principio, quid item in traditione super certo doctrinae puncto sit traditum. Alterum, quod mireris, ipse dedit discrimen, dum ait: scripturas *etiam extra res fidei et morum* nulli errori esse obnoxias, quibus tamen subjaceant concilia An potes non mirari hominis incogitantiam, qui alios invadens, suis se armis conficiat?

Demum adversus nugas Magistri audi summos Pontifices: Pius IV. de patribus Tridentinis ait: quod Deus „suo nomine congregatos *divinitus inspirare* dignatus sit *c*).“ *Leo Magnus* de decretis concilii Chalced.: „nihil ei regulae, quae ex *divina inspiratione prolata est*, addi posse aut minui *d*).“ *Gregorius Magnus* demum ait: se quatuor prima concilia, *ut quatuor evangelii libros suscipere e*).“ Ergo aut crudas vestras ideas de *pulsu*, de *flatu* et verbis nec Dei nec hominum §. 147. abdicate, aut hos dicite blasphemare, et Naturalistas sedisse in sede Petri et centro unitatis.

Quis malum demum, mi Comes, iste Magister tuus, qui neget, nisi impulsi et inflati scripserunt non fore in libris mysteria! Nullumne ergo legit dogmaticum in vita sua? An ille ipse per *impulsum* et *flatum* scripsit tot prophetias, tot mysteria in commentario? An prius quam scripturae exstarent, nemo praedicavit doctrinam, nemo mysteria tradidit fidelibus praeter apostolos? Et tamen has offucias non te puduit repetere, mi Comes! O seri studiorum! Dicite, si non essent scripturae, annon haberemus trinitatem; incarnationem, redemtionem et quae alia sunt plurima? Quomodo ergo ad nos pervenissent? Certe orali primum institutione apostolorum, postea vero praedicatione pastorum. Aut ergo omnes praecones facite *inspiratos*; aut negate hodie exstare mysteria, aut concedite, mysteria scribi posse etiam sine inspiratione. Ut ergo

---

c) In Bull. concil. subjunct. *d*) Epist. 115. al. 73. *e*) Epist. 120.

iam tandem, quod iacet pro pedibus, intelligatis, huc animum advertite: *Propheticae* et *mysteria* sciri non possunt nisi per revelationem, disci tamen possunt sine inspiratione, uti omnes didicimus in scholis. Ubi autem arcana illa semel revelata sunt, non est necesse, ea revelari denuo, dum scribuntur. Demum non omnis, qui revelata scribit, dicendus est ex revelatione scribere, sed is unice, cui immediate facta est revelatio.

Haec multum diversa vos misere confunditis, quia objectio vestra id aperte supponit, mysteria sub ipsa primum scriptione fuisse auctoribus revelata, cum tamen multis annis tradita fuerit omnis doctrina, nulla adhuc exstante scriptura. Hinc videtis, cur nullius ponderis sit argumentum Origenis §. 157. I. loco positum a *mysteriis*; potest enim is, qui mysteria scribit, illa didicisse ab aliis, prorsus ut *nos* in scholis; vel potest ea accipere ante scriptionem, ac demum suo ingenio in literas referre. Hinc cernitis, non omnem, qui scribat mysteria, esse inspiratum, uti nec omnem prophetam, etiam qui veraciter praedixerit futura, quia naturali via haec disci poterant ab iis, qui ex revelatione hauserunt. Ut tamen id genus scripta fontes esse possint religionis fideique nostrae, providendum fuit divino qualicunque praesidio, ut ne auctores in referendo laberentur; aut si suo unice Marte scripsissent, ab legato divino infallibile testimonium acciperent super immunitate ab errore, qua e testificatione nec Magister dubitat, operi accedere divinam auctoritatem, etsi jure suo negat, crasso illo sensu, quem e ludicra hypothesi arripuit, fore *verbum Dei f*). Atque hoc sensu dicimus libros inspiratos, cui si vestram theoriam de *impulsu* et *flatu* praefertis, per me sane licet, nec vestras quisquam vobis merces invidebit, modo ei stultitiae temperetis, qua igni et aqua interdicitis universis, qui a vestra ridicula theoria dissensissent.

§. 169.

Postremum tibi adhuc, mi Comes, aliquid dicam de *gradibus* inspirationis, quos judice magistro sibi fabricaverunt *Neoterici*, ne nimis aperte inspiratio-

---

f) Instt. novi test. Tom. 1. pag. 211.

nem negare viderentur *a*). Humanus est, mi Comes, Magister tuus, tribuens *Neotericis* eam modestiam, qua non nisi per cuniculos eius inspirationis theoriam impetant, incapaces eius impudentiae, ut fronte aperta eidem occurrant. Quem benignum viri sensum, etsi laudo, non tamen accepto, quoniam *Neoterici* non clam, sed aperte omnem illius physicam inspirationem negant atque repudiant, quin ideo fidei quidquam detrahant, ut hactenus vidisti.

Sed quam difficile sit, mi Comes, de re scribere quam nescias, hinc sumere potes exemplum. Ait Magister, supremum gradum esse, dum auctores a spiritu sancto hauriebant, quae docebant. (Quasi vero hic de origine doctrinae agatur, et non potius, qualiter in scriptum relata sit.) Alterum eum, cum spiritus sanctus solum impedivit errores per *assistentiam* (*assistentiae* in gradibus nullus locus est); ac post alios, dum divinus legatus probat scriptum origine mere humanum *b*). Intelligis hinc Magistrum eminus rei huius aliquam famam audivisse, quin ille intelligat, quid hic negotii sit. Paucis ergo dicam. Ubi acriores hostes nactum est hoc argumentum recentiori tempore, indagari coepit haec doctrina penitius non sine proventu. Inter alia ergo etiam ad Genesim cuiusque libri adverterunt animum; scilicet ad omne scriptum requiri *voluntatem* scribendi, *notitiam* argumenti, *delectum* rerum, ordinem et *verba*. Clarum est autem, quod Deus hic varia ratione possit concurrere, ut aliquid evadat scriptura, id vero ést divinae auctoritatis. Vel enim universa sub ipsa scriptione a Deo immediate tribui possunt auctori, vel tantum quaedam.

Jam autem prout Deus ad plura vel pauciora sub ipsa scriptione immediate concurrit, ita sex varii distingui possunt gradus perfectionis cuiuspiam, non tamen auctoritatis. Infimus horum foret, si scriptum humano unice ingenio exaratum, probaretur a divino legato. Quia vero omne scriptum, ad cuius existentiam Deus extraordinarie cooperatus est, imo si opus mere humanum vel a consequenti approbat, divinam

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 57. Coll. Instt. novi test. Tom. 1. p. 211. 212. *b*) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 57.

nanciscitur auctoritatem, ut ultro quoque fatetur Magister *c*); in hac autem, utpote suprema et absoluta, discrimen esse non possit: sequitur quocunque gradu inspirationis opus aliquod scriptum ponas, unam eandemque in omnibus fore auctoritatem divinam. Quoniam autem nemo mortalium de ullo libro scripturae dicere potest, quantumnam Deus sub ipsa scriptione in *voluntatem*, in *cognitionem*, *delectum*, *ordinem*, *verba* extraordinarie influxerit; suapte sequitur, nec de ullo libro dici posse, quo gradu inspirationis conscriptus sit; tametsi divinae eoque aequalis auctoritatis esse universos, iidem graduum fabricatores *Neoterici* certissime demonstrent; quod tuus Magister nec tentavit quidem scholasticae theoriae et ludicris commentis unice intentus. Hinc videas hanc de gradibus ideam non tantum *Iobenzio d*), sed et praestantissimo *Sandbichlero e*) placuisse

Hinc intelliges etiam, mi Comes, cur Magister tuus ad solam famam methodi huius commotus sit animo. Non vane enim ominatus est, latere hic aliquid, quod eius in *impulsu*, *flatu*, verbis nec Dei nec hominum (§. 147.) asserendis irritum reddat conatum. Senties, qua seu notitia seu fide asserat, a *Neotericis* graduum fabricatoribus revelationem confundi cum inspiratione; et diversos etiam gradus statui divinae auctoritatis *f*)! Intelliges, qualiter sibi constet, qui duas Lovaniensium theses probet *g*), quae tamen varium cooperationis divinae modum manifeste indicant.

Atque haec hactenus de hoc argumento, in quo, ut vides, sic versatus est Magister tuus, ut, quoniam de *modo* inspirationis unice quaesivit, nec praeter ecclesiae fidem pro divina librorum auctoritate quidquam attulit: momentosam hanc veritatem credere possis cum pia plebe, demonstrare vero et ab adversariis defendere non possis sine perpetua petitione principii. Doctum nempe putat Magister tuus, mi Comes, ab omnium judiciis dissidere: pium, prodigia fingere, ubi nullum eorum vestigium est. Mare

---

c) Instt. novi test. Tom. I. p. 211. *d*) Instt. Tom. 1. Cap. 3. pag. 29. *e*) Introd. in vet. test. pag. 6. §. 11. et supra §. 53. sub *). *f*) Instt. novi test. Tom. 1. p. 212. *g*) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 65.

rubrum in ictu oculi ingenti cum strepitu erigitur in altissimos muros *h*); Jordanes pariter e lecto suo assurgit in altum *i*); muri Jerichuntis *solo* vocis *sono* iacent prostrati *k*); sicarius vilis et sacrilegus *Aod* impulsu divino occidit Eglonem *l*); *Beselecl* faber cum sartoribus, divinitus inspirati *m*), tabernaculum pararunt et vestes Aaronis; quoniam incredibile sit, tantas artes naturaliter illis fuisse cognitas. Jurat nempe Magister tuus, nationem semitertii millionis ad ultimum usque, luto et paleis fuisse affixam, etsi contrarium discere poterat e paralipomenis *n*), e libris item *Judith* et *Tobiae* in simili calamitate nationis. Sed quaere ex illo, an etiam *Aaron* cum suis, per impulsum et flatum divinum paraverint vitulum aureum, antequam tabernaculum strueretur *o*)? *Nabuchodonosor* demum versa figura, adhuc haud multo prius cornua produxit et ungulas, ne vel in scripturis deessent metamorphoses *Ovidii p*). Laudo ingenium, quod in defensionem revelationis tanta nobis peperit portenta etiam invitis scripturis. Si corrumpitur, si contemtui talibus objicitur publica institutio, aut rident adversarii jure suo; nihil est cur mentem mutetis, et novis nos ditare opibus desinatis in posterum: probe enim nosti, mi Comes, etiam sine opera vestra perstituram fidem. nec si vel omnes rideant, minus recte docebit Magister tuus, quem nisi pia, nisi docta sentire, longae possessionis praescriptio est.

De fide historiae ss. librorum.

§. 170.

Tuis verbis referam, mi Comes, quod prodigiose accusas in *Jahnio*. „Divinam inquis inspirationem sublatam a s. codice nostri antecessores satis esse non putant, et subsidia quaerunt, ut se moveri de falsa

---

h) Instt. vet. test. Tom. 1. p. 378. et Tom. 3. p. 349. Ed. 1. *i*) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 5. Ed. 1. *k*) Vot. de LL. sch. §. 4. *l*) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 55. Ed. 1. *m*) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 69. Collat. Exod. 31, 1 — 10. *n*) Libr. 1. C. 4. *o*) Exod. Cap. 32. *p*) Instt. vet. test. Tom. 3. p. 217 et 218. Ed. 1.

opinione nequeant (!). Audent enim auxilium etiam ac praesentiam divinam infirmare. *Ex hoc pendere videtur* (ipsi dicunt verba de libro Josuae facientes); *sicut a quolibet antiquo historico praesertim in hoc, si ille nempe apud se habuerit prisca originalia documenta; et si ea fideliter educere curaverit.* Nullum igitur discrimen intercedit inter libros historicos sacros, et quoscunque alios? Hinc divini auxilii praesentia penitus sublata est, et omnis inspiratio a sacris his libris ademta *a*)." Atque huius sententiae auctorem aut patronum citas *Jahnium* Introd. vet. test. Part. 2. §. 28. (Ed. germ.) Pro perpetuo autem more tuo haec sumsisti e Magistri institutionibus *b*), qui hanc in rem *Jahnii* germanicum textum attulit, quem nescio, studione, an incuria optima parte truncasti; siquidem *Jahnius* non *prisca* modo *documenta*, sed et *fide digna* postulat et asserit. Magistri calumniis, quas ea occasione in *Jahnium* contulit, respondebo inferius; tuos autem errores paucis illustrabo.

§. 171.

Es, mi Comes, germanus discipulus tui Magistri, eoque eodem haeres in cortice, iisdem lusitas crepundiis, eademque ratione indigna, quaestiones scholasticas permutas dogmate. Supra cum Magistro accusasti Jahnium, qui *inspirationem* neget; eum scilicet physicum *impulsum* atque *flatum* (§. 157.) et *verbum Dei* crassiore sensu, quod ad aures eius pervenerit, nec sit tamen sacri scriptoris (147.): nunc vero accusas, quod etiam *divinam praesentiam* adimat scriptoribus. Nisi ergo tautologice idem accusas utrinque, postremum hoc ad vulgo dictam spiritus sancti *assistentiam* pertinebit, quae Magistro non sufficit, ut aliquid sit *verbum Dei*, adeoque *s. scriptura* *). Utrumque autem hoc, quoniam nihil commune habet cum dogmate, sed ad *modum* unice et arbitrariam *theoriam* pertinet, qua theologi arcanam illam et inscrutabilem §§. 155. 156. divini praesidii cooperationem aliquatenus illustrare voluerunt; suapte clarum est, vos non tantum rerum istarum solida notitia destitui, sed his nugis tam pertinaciter esse deditos, ut

---

a) Diss. Rom. pag. 104. *b*) Vet. test. Tom. 2. p. 228.

*) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 57.

qui puerilia haec vestra crepundia abjiciat, dogma quoque divinae auctoritatis librorum abjecisse censendus sit! Quandonam tandem vos pudebit, mi Comes, aut inscitiae tantae, aut ineptiarum vestrarum qui spinas vepresque scholasticorum denuo reducere cupiatis ad scholas, a quibus tantorum sudore vix tandem averruncata sunt? Numquamne desinetis calumniari doctos viros, qui fide integerrime retenta, doctissimis lucubrationibus revelationem asserunt, dum vos interea nihil ultra plebem piam sapitis, nec vocem profertis sine perpetua petitione principii? §. 139.

§. 172.

Jam, mi Comes, ne tu sis nescius, quid agatur negotii, cum *Jahnius* Libri Josuae et ceterorum quoque criticis argumentis asserit fidem historiae, scias velim, id factum summorum virorum exemplis, nec sine commodo revelationis fideique nostrae. Anne audivisti aliquando eius rei famam, esse non paucos, qui utriusque foederis historiam meras ducant fabulas? Si audivisti, ac etiam nosti, theologorum, ac inprimis Magistri tui esse, eam asserere ac vindicare strenue, ne auditores ab his imparati aut ipsi discrimen adeant, aut ex inscitia obmutescere cogantur turpiter. cum occasio poscet olim assultus repellere irrisorum: dabis haud dubie cum Magistro tuo, eos, qui consentaneo his temporibus genere argumentorum, vindicandae scripturarum narrationi operam dent, neutiquam mereri insectationem vestram et calumnias crudissimas, sed tamquam bene meritos de religione, magna laude esse dignissimos.

Pone. mi Comes, non concludi tota vita quatuor parietibus Magistrum tuum, sed aliorum more in variae conditionis hominum vivere consortio, fierique ut assolet, libros hos, iam dicto peti acuto, iam irrideri apertius; quaeri momenta cur abjectissimae gentis tam mira, tamque singularis credenda sit historia? Quid tum Magister? Dicetne hos libros se ipsos praedicare inspiratos (§. 138.)? *impulsu et flatu* divino conscriptos (§. 140.)? aut pro sacris haberi ab infallibili ecclesia? Opportune sane si concitare volet cachinnum. Qui ergo *Jahnium* in demonstranda historicorum fide, docte diligenterque versatum, perpetuo calumnietur tamquam proditorem di-

vinae auctoritatis librorum, (eius nunc tradendi rationem paucis tibi indicabo. Huic argumento de historica fide librorum dicavit Instt. Tom. II. Ed. 2. Caput 1. de *authentia*, quae illi significat et libri auctorem, et operis summam fidem *a*).

Demonstrationem incipit §. 8., quem sic inscripsit; *Libri canonici vet. test. cum alii omnes, tum speciatim Pentateuchus Moysis est authenticus.* Expectabis haud dubie, mi Comes, in opere trium iustorum voluminum, tractationem dignam tanto objecto, tam controverso hoc tempore, praesertim cum ipse moneat Magister, pendere hinc ipsam quoque novi testamenti revelationem. Sed mirare, tanta promissa expediri non plane duabus pagellis, ut neminem sciam superiorum temporum scriptorem, qui in hoc argumento tam indigne versatus sit. Annon officium poscebat; ut quoniam provincia haec tam splendide administrata est postremis temporibus, ut nihil ad claritatem et soliditatem desiderari amplius posse videatur: in auditorum commoda istorum usum faceret, aut saltem verbulo indicaret, undenam firmiora petenda sint? Est, mi Comes, animi sane illiberalis, qui ex se nihil possit, tantundem sibi decedere putare, quantum ex alienis attulisset. De libris ceteris, ut suapte intelligitur, non vel mentio, nedum tractatio est. Sufficit auctori, omnia divino *impulsu* et *flatu* esse conscripta. At pagina demum 19 sequuntur objectiones, sicque omnium librorum vet. test. fidea historica asserta est. Atque haec de tractatione generali.

§. 173.

In introductione speciali eiusdem Tom. 2. §. 90 — 97. proponit argumentum pentateuchi; §. 98. incipit litigare cum *Neotericis* super documentis, quibus Moyses usus sit in scribenda Genesi, agitque ter prolixius, ac supra in demonstranda historica veritate omnium librorum! Non mirum: ibi enim agitur cum hostibus revelationis, quos contra ecclesiam nunquam praevalituros, probe tenet Magister tuus. Hic vero cum *Neotericis* negotium est, de recta methodo, de demonstratione solida revelationis veteris et novae; de tractatione demum docta et erudita. Iurat autem Magister tuus se neminem ulla in re esse doctiorem. Vides ergo, mi Comes, cur in his maior opera lo-

a) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 16. §. 11.

canda sit; si quo casu enim fatali innotesceret, Neotericos ultra alphabetum esse progressos, dubitarent homines, an solus legere norit Magister tuus, quem artis huius unice peritum hactenus persuasio fuit.

Dabo ergo tibi, mi Comes, exemplum, quomodo ille *Neotericos* nullo labore ad incitas redigat, et sine documentis consulat Genesi. *Jahnius* probaturus Genesis historiam haud secus ac aliam antiquam prudenter credi, ait Moysem ut quemlibet historicum ex antiquis documentis hausisse *a)*; docet dein horum existentiam et summam fidem, ut omnino gratulari debeas de hoc Galli medici praeclaro invento, quod omnes docti tamquam summe proficuum ambabus manibus amplexi sunt. Quid ac hoc Magister? integra pagina 208 tibi ostendit, creationem sine revelatione sciri non potuisse, ergo nec scribi ex antiquis documentis! idemque eadem prolixitate habes pag. 16. 17. ut vertigo te incedere possit ex profundissima demonstratione. Quisquis ergo eam ante Moysem primus scripsit, „*ex revelatione divina hanc didicisse. — Ergo non stat, omnem, qui historice quidpiam scribit se antiquius, id debere eum facere ex antiquiore monumento b)*." Miseret me tui Magistri, mi Comes, qui tam minutulus sit in re omnium confessione certissima. *Jahnii* illud dictum indubium est; nisi enim dicimus Livium antiqua finxisse aut ex revelatione hausisse, credi illa non possunt, nisi constet monumentis usum.

Adverte, igitur, mi Comes, non esse viri docti aliorum verba torquere velut in equuleo, nec quia exemplum dari potest, ubi prioris aetatis facta ex orali traditione scribuntur sine scriptis monimentis, experientiam negandam esse historicos quoslibet veterem historiam e documentis sumere. Cum enim nulla regula sine exceptione, si Magistrum imitari voles, negabis omnem regulam, ab omnibus iure irridendus. Sed etiam ad rerum diversarum confusionem et incohaerentiam adverte; tamquam *ex revelatione* scripserit, qui ante Moysem creationis scripsisset historiam. Cum enim fateatur Magister paulo inferius pag 217. creationem iam Adamo fuisse revela-

---

a) Introd. vet. foed. Part. 2. §. 15 — 21. pag. 95 — 150.
b) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 210.

tam, atque ibidem simul statuat, Moysem ex traditione maiorum scripsisse, intelliges, ut Moyses sine revelatione creationem scripsit e traditione, sic eum quoque, qui illam ante Moysem primus scripserat, ex traditione scripsisse sine revelatione. Est ergo eadem hic iterum confusio idearum, de qua iam supra monui. Solane demum creatio in Genesi revelata est? Aut quia ante diluvium literae non erant (pag 217.) nulla prorsus suppetebant juvandae memoriae praesidia? Nihil etiam post diluvium fuisse scriptum per intermedios annos octingentos usque ad Moysem? annon constat, iam Abrahae temporibus inter Babylonios astronomicas observationes coctis latericulis inscriptas fuisse? Aut Oxoniensia marmora in gratiam Magistri fidem non merebuntur, ut credamus, Assyrium alphabetum, idem cum hebraeo, Moyse vivente, per Cadmum [illegible] inter Graecos in remoto occidente fuisse invectum? An auctor Paralipomenon c) documenta scripta non habuit ex antiquissima aetate, dum nobis refert *Selae* nepotis Jacobi posteros, de quibus nec in Genesi, nec in aliis anterioribus mentio est, et de quibus merito ait: *haec autem sunt verba vetera*? Nisi forte et hic comminiscitur *impulsum* et *flatum*, aut libri genealogici argumentum per traditionem propagatum putat.

Sed argumenta, mi Comes, pro documentis Moyse anterioribus legas apud eos, qui de hoc ex professo tractarunt; et si forte conscientia non admittit, ut hominem haereticum tangas, suadeo tibi *Jahnium Neotericum* in Introd. vet. foed. germanica, Part. 2. §. 15—21. a pag. 95—150. et una senties, quam Magister tuus, dum ista impugnat, nec agat sincere, nec omnino intelligat. Sed his immorari nunc non operae pretium est: praeterire tamen non possum, quin te super ea ridicula cogitatione admoneam, dum ait satis non esse ad fidem, ut auctor monuerit solum, se ex antiquis documentis sua sumsisse „*nisi haec ipsa monumenta clare exhibeat, ut cuius ponderis sint ad fidem faciendam, fieri possit judicium.*“ Et proxime: „*Cur Moyses non indicat etiam auctorem, ex quo istud habeat?*

Sed, mi Comes, si iste Magister tuus ullo modo

c) Libr. 1. Cap. 4. 21.

recogitaret quod scribit, vidisset primo obtutu, haec magis sibi adversari quam *Neotericis*. Cum enim pag. 217 dicat Moysem e traditione scripsisse, juret autem Hebraeos omnes luto et paleis deditos fuisse in Aegypto §. 1., potiori jure ab eo postulabunt *Neoterici*, ut Moyses nobis quoque singillatim producat eorum *nomina*, praecipue mancipiorum luti, a quibus per traditionem sua hauserat. Quis enim, te obsecro, mi Comes, hic non adhaereat, ubi de bis mille annorum rebus agitur traditione propagatis? imo vereor, ut si vel producerentur nominatim, tu animum inducas, ut illi faeci ullam adhibeas fidem, praesertim in *genealogiis*, quas ipse Magister tuus haud multo prius tantopere gravabatur. Addit utique eadem pag. 217. Moysem non sola traditione, sed etiam *inspiratione* divina usum esse „*quod secus scriptura divina non esset quod scriptum per Moysem est.*" Sed si scriptura non est, nisi quod per *impulsum* et *flatum* ita scriptum est, ut proprie fiat *verbum Dei* et desinat esse verbum auctoris. §. 147., cui usui fuit traditio? Qui enim impellit afflat, et *verba Dei* suggerit, quomodo is non etiam cognitionem praebeat totumque argumentum? Inerrantiam autem Moysis statuunt etiam Neoterici.

Sed haec missa facio: illud quaero, mi Comes, an Magister tuus unquam meditate legerit Herodotum, Diodorum Siculum, Livium, aut vel Suetonium, et Tacitum? An illi monent de singulo documento, an referunt unde habeant, quis singulorum auctor ex nomine, et qua polleat fide? Miror, quod non etiam capita, §§. et paginas citari postulet. Si ergo his credimus, quod coaevorum, qui de veritate judicare poterant, probati sunt judicio; cur in Moyse documentis non credamus, quorum argumentum a viris seculorum, intemeratae pietatis summaeque fidei profectum (ab Adamo enim usque ad Noë unico intermedio opus fuit) et ab similibus posteris deinceps in scriptum relatum, sua insuper brevitate et narrandi modo simplici prorsus et ingenua sese commendant? Sed de his lege Jahnium. Hoc unum addo: nisi haec, tum rerum narratarum natura, auctoris, qui documentis utitur judicium, solertia, gravitas, et sensus coaevo-

---

d) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 210. 212.

rum fidem faciunt, actum esse de omni historia, et frustra Paralipomenon auctor supra addidit „*haec autem verba vetera*,“ qui nec ipse quidem de documento aut de nomine monuerit auctoris.

§. 174.

Lite sic terminata cum Neotericis super Moysis documentis, Pentateuchi quoque terminata est tractatio. Non verbo monitum de fide historica, quam supra tam perfunctorie tradidit; nihil de quaestionibus aliis, quibus recta institutio carere non potest, si tempori et necessitatibus consentanea sit. Lege si voles vel compendium *Jahnii* et ex huius opibus intelliges augustam paupertatem Magistri, qui neglectis necessariis in nugis consumit tempus et operam. Transit ad libros historicos Josuae, Judicum etc. Sicubi occasio est litigandi cum *Neotericis*, sectatur diligenter, nec parcit paginis; at si requiras, unde auctor noverit superiorum temporum gesta, altum ubique silentium est. Compara *Jahnium*, et non tantum de documentis, sed de eorumdem etiam et iis utentium fide ita tractatum invenies, ut, seposita divina auctoritate, majori jure his possis credere ac profanis. Insuper autem et praecipuas difficultates, quae nunc moveri solent, unaque prodigiorum vindicias reperies. Estis ergo iidem et hic, qui in superioribus: cum plebe pia pie creditis vetustissimam Hebraeorum historiam, cuius vix usum nostis, momenta certe ignoratis, nisi forte demonstratio est, per *impulsum* et *flatum* esse conscriptam.

Nihil dicam, mi Comes, de Magistri tui calumniis, quas hac occasione in *Jahnium* contulit, sed illud expendas velim, quantopere hac vestra agendi ratione in disciplinam hanc, ipsamque revelationem, ac vosmet ipsos sitis injuriosi. Si quis enim ex vobis quaerat, quare revelationem veteris testamenti credatis, nihil, quod reponatis, suppetit praeter infallibilem ecclesiam et libros inspiratos. Primum iam supponit revelationem, et nullum in casum ea uti potestis contra adversarios. Alterum autem merum figmentum est, quoniam Magister tuus nullibi divinam librorum auctoritatem asseruit, sed litigavit unice de theoria scholastica, *quomodo* inspirati sint; idque tam paradoxe, ut nemo prudens in tanta argumenti huius luce hodierna vobis assentiri queat. Ceterum quam-

cunque docte in hoc argumento verseris, idem et hic obtinet, quod in ecclesia, cum inspiratio iam factam revelationem supponat, nec de illa quidquam dicere possis, nisi prodigiorum in his libris narratio prius omni dubio exemta sit e generalis critices legibus, quae omni adversariorum generi conveniant. In hac re autem quid attulit Magister tuus? Lege illius duas pagellas, de quibus supra §. 172. retuli, et videbis, an tantum argumentum, *authentia*, *fides pentateuchi et omnium historicorum* ulli tempori, nedum nostro consentanee tractatum sit. Verba dedit de *omnibus libris*, tabellam iterum appendit pro incautis lectoribus, ut supra §. 152., sed promissa hic, ut ibi, exsolvit silentio.

Parum ergo acute vidisti, mi Comes, dum supra non modo de inspiratione, sed de *assistentia* negata accusas *Jahnium*, qui historicorum fidem in referendis rebus antiquis a documentorum fide, eorumque recte usu repetat supra §. 170. *Inspiratio* enim in vestro ore nihil nisi paradoxa theoria est, *assistentia* autem nuda hypothesis §. 167. Dum autem documenta negavit Magister, sibi ipsi media ademit, quibus tam opportune uti poterat in defendenda librorum fide; unaque arma projecit, quibus vindicare posset contra hostium insultus.

Vobis, mi Comes, prima desunt elementa, qui nondum videatis, quomodo omnis haec causa de auctoritate librorum tractanda sit. Et tamen ex his fides pendet et auctoritas revelationis. Tractantur enim ista in scholis propter adversarios, qui utrumque negant. Non ergo ullo argumento positivo divinae auctoritatis uti potestis, sed generalibus unice principiis critices ad stabiliendam fidem historicam. E quo intelliges, quam acu tetigerit Magister tuus, qui non multo prius tractationem orsus sit ab *inspiratione*; haud aptius ac si puerum ad sublimiorem mathesim ducas, ignarum arithmetices elementorum. Intelliges, quam incohaerenter et modo agatur, dum de *fide historica* disseritur ante *integritatem* librorum; quasi vero de illa debita dici possit; nisi haec prius undique asserta sit. Si autem humanis mediis unice agendum est, obsecro, quomodo fidem historicis asseris in rebus antiquis? Hic non suppetit nisi duplex via: vel per oralem traditionem, vel per prisca documenta. Si primam inis, sume Genesim et persuade ali-

cui, si potes, per annos 2400 gesta intemerate tradita esse usque ad Moysem. Monui supra, quam hoc incredibile visum sit, non multo prius ipsi Magistro, eoque ad revelationem confugisse: nunc vero *inspirationem* socians, tacite confitetur, fidem narratis asseri non posse; vel contra naturam tractationis admiscet praesidia divina, ubi humanis solum locus est.

Vides hinc, cur illud *Astruci* de documentis in Genesi inventum, tanto consensu eruditi probaverint, additaque inquisitione de artis scribendi antiquitate provexerint magisque firmaverint. Interest enim non theologiae modo, sed philosophiae quoque, firmam stare eam narrationem Genesis, quam Magister tuus, dum ex perpetua et ridicula aemulatione *Jahnii*, solam admittit traditionem oralem, documentis rejectis, fecit incredibilem; dum autem inspirationem admiscuit, egregie contra incredulos demonstravit per petitionem principii. Ergo, mi Comes, donec hanc rem historicis unice et criticis argumentis tractare perdidiceritis, fuerit multo satius abstinere penitus, unaque compendii facere tot calumnias, quas re non intellecta in alios perpetuo jacitis.

De Psalmis propheticis.

§. 175.

Etsi iam taedet, mi Comes, vestrarum litium, tamen quoniam Magister tuus perpetua maledicentia omnes limites excedit prudentiae atque modestiae, et contentiosissime agit, ut *Jahnium* et *Neotericos* tamquam revelationis hostes suis sistat lectoribus: piis doctissimi viri manibus et cineri debere me existimo, ut in hoc genere prophetico, ab atrocissimis Magistri calumniis vindicem, quas ille incredibili temeritate et impudentia perscripsit. Agens enim de psalmis, cum praemisisset, Christi et apostolorum testimoniis esse quosdam de Messia propheticos addit: „Tamen ad haec de Christo vaticinia, Neotericorum caligant oculi, vel prorsus coeci sunt: de quibus (vaticiniis) sic loquitur Jahnius: *An Psalmi quipiam Messiam canant, nostro aevo disputatur. Sunt qui nullum huiusmodi psalmum propheticum agnoscunt: quia Psalmi* 2, 16, 22, 40, 27, 89, 110. (in Vulgata 2, 15, 21, 39,

71, 88, 109.) *qui prophetici existimabantur ex historia explanari possunt. Quaestionem dirimere non est huius loci. Id tamen monere velim, saltem in psalmo* 89 *et* 110. *amplius quid decantari, quam ex historia illorum temporum ostendi possit. Videntur quoque Psalmi* 2, 16, 22, 40, 72, *prospectus quospiam in Messiam habere a).*“

§. 176.

Post ista quaerit Magister, cur hanc quaestionem non diremerit Jahnius, cum ad introductionem pertineat librorum ostendere argumentum? Ego non dubito, mi Comes, id factum esse, quod *Jahnius* non eius erat dexteritatis, ut prolixum hoc argumentum duarum pagellarum angustiis concluderet, ut Magister tuus supra §. 17. raro exemplo, auctorem Pentateuchi, eius, omniumque librorum historicam fidem non plane in duabus pagellis invicte demonstravit. Id genus enim ingenia in hac mundi canitie rara sunt, nec praeter Magistrum facile invenias. Cum enim quaestio finiri non possit patrum, ecclesiae, apostolorum, aut Christi interposita auctoritate, quam adversarii repudiant; Critica de singulis illis psalmis instituenda fuisset investigatio, et ex notis internis unice demonstrandum, eos aut nulla ratione de rebus coaevis, aut saltem pari vel majori jure sumi posse de Christo ac de rebus coaevis. Id enim, nisi ostenditur, cetera omnia cum id genus adversariis inania sunt. Vides autem et ipse quantopere quinque psalmorum critica talis tractatio, ab compendio *Jahnianae* introductionis aliena sit.

Sed tu vicissim, mi Comes, quaere ex Magistro, cur, si quae fuit, eam *Jahnii* negligentiam, non is ipse suppleverit, qui summa quaeque argumenta paucis lineis novit asserere? Ceterum poscit veritas, ut illius zelum pro psalmis propheticis, et pios in recta suorum institutione conatus non praeteream. Eodem enim §. 140. pag. 328. sic scribit: „Ita vero psalmi explanantur ex historia *a Neotericis*, *quemadmodum iidem omnia etiam alia prophetarum vaticinia a Christo abstrahunt*, *et alio detorquent falsa inter-*

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. §. 140. p. 327. Coll. Jahn. Introd. P. 2. §. 167. p. 460. Ed. 1.

pretatione. Cui demonstrando hic locus non est: quod tamen *non dico demonstrationem declinandi causa*, sed quod in exegetica harum institutionum parte, *his vaticiniis productis*, quae Neoterici detorquent, in pravum sensum, id quod asserui, *demonstraturus sim.*"

§. 177.

Nunc, mi Comes, quaedam tibi dabo huius *demonstrationis* exempla. Ubi *psalmum secundum*, quem contra *Neotericos* vindicandum pro paradigmate delegit in parte exegetica, more suo velut aliud agens percurrit, occasionem, quam interpretes periti initio inquirere solent, quoniam non modicum facit ad rectum sensum, Magister in fine subjunxit, statuens decantatum esse post occupatam Sionem et victorias de Philistaeis 2 Reg. 5. Concludit autem: „In hoc ergo statu rerum videtur psalmum hunc David cecinisse, *et quasi de se*; cuius tamen omnia spectarent ad Messiam (etiamne adulterium et homicidium?), cuius *typum* in ipsa illa etiam omnium gentium adversum se conjuratione gerebat. Instt. V. T. T. 3. p. 161." Dum dicit Davidem haec cecinisse *quasi de se*, fatetur ea in sensu literali de Messia sumi non posse, cum tamen *Jahnius* sensum eius literalem objectivum statuat; ut adeo nisi Magister tuus calumniator est, iam non *quasi* sed prorsus *Neotericus* sit. Sic autem habet *Jahnius*: „Ita quoque prophetae illas, quas praedicunt victorias Messiae, proprie intellexerint, quum sensu objectivo de remotione omnium impedimentorum ageretur. Sic psalmi 2, 16, 110. aliqua fortasse occasione illorum temporum compositi fuerint, et nihilominus sensu objectivo Jesum *significare possunt*, prout in novo testamento adeo constanter ponitur, ut de mera ad falsas tunc temporis interpretationes accommodatione cogitari non possit *a*)."

Aliud accipe. Scribit ibidem: „*Filius meus es tu, ego hodie genui te*;" in Psalmo hoc Christi canitur „*divinitas* aeternaque generatio ex patre. Ad hanc Christi *divinitatem eiusque ex Deo nativitatem*, pertinet hoc quoque Dei ad illum dictum, ut sibi peteret a Deo gentes in haereditatem, et terrae terminos

a) Introd. in vet. foed. Part. 2. §. 82. pag. 333. Ed. 1.

in possessionem, et quos ei daturus sit, *utpōte cui subjecta sunt omnia, perinde ut Deo patri, propter aequalitatem cum eo.* Instt. V. T. Tom. 3. p. 158. Legistine, mi Comes, his aliquid insulsius in vita tua? Deus pater Deo filio, sine quo factum est nihil quod factum est, et *cui subjecta sunt omnia perinde ac Deo patri*, si roget, gentes et terminos terrae daturus est in haereditatem!! Audi *Theodoretum*: „*Filius meus es tu* etc. hanc vocem nemo, qui spiritus sancti doctrinae credat, divinitati domini Christi applicabit. De illa enim universorum Deum Davidis ore dicentem audiamus: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Ut homo igitur et hanc vocem recipit, ut homo etiam, quae sequentur audit; *postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Quippe ut Deus universorum est conditor: *nam omnia per ipsum facta sunt, in ipso condita sunt omnia.* — Si omnium est Dominus et opifex, eorum etiam dominus est et rector. Verum tamen cum dominus natura sit ut Deus, etiam ut homo universorum dominium accipit *b*).“ Multo haec explicatius leges in eiusdem commentario in epist. ad Hebr. C. 1. *c*). Ego, mi Comes, huius docti Syri unicam lineam integro volumine Magistri non permutavero. E quibus una intelliges, quam apposite Magister tuus (pag. 156.) Pauli locum ad Hebraeos 1, 5. pro divinitate attulerit, qui ne illud quidem viderit, Messiam etiam secundum humanitatem eminentiorem esse angelis, de quibus ibid. v. 14. ait Paulus, esse *administrarios spiritus in ministerium missos propter eos, qui haereditatem capiunt salutis*; cum tamen Messias ubique non modo hebraeae gentis, sed ut *universorum dominus* describatur. Nisi forte ita ineptit Paulus, ut Deum maiorem esse angelis demonstrandum putaverit Judaeis.

§. 178.

Sed illud iucundius est, mi Comes, dum ibidem scribit Magister tuus *a*): „Ex his quae exposita sunt ex hoc Psalmo, intelligi potest, totum hunc esse pro-

---

b) In psal. 2. Tom. 1. pag. 621. Edit. Hal. *c*) Tom. 3. pag. 550.

a) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 159.

pheticum de Christo, *in quo regnum eius praedicatur, istiusque extensio ad fines orbis terrarum, quae est Christi ecclesia.*" Illico autem pagina proxima *b*), arguit *Jahnium*, qui de interpretatione troporum, dictum: *Filius meus — tantum de inauguratione ad regiam dignitatem doceat intelligendum esse* dum scribit: „interdum praecedit vel sequitur aliquid, ex quo verbum proprium substituendum facile colligitur, uti quod Deus Psal. 2, 7. dicit: „*Filius meus es, ego hodie genui te*" idem est ac illud (in fonte). *Ego unxi regem meum super Sion montem sanctum meum* v. 6. nempe indicat regem hodie a Deo unctum, seu Dei dispositione inauguratum; *nam inauguratio ut generatio novi hominis spectatur*, quod subsequentia confirmant, in quibus hic *filius Dei*, ut rex, jubetur petere gentes in ditionem suam. Ita quoque Psal. 89, 28. primogenitus Dei, sequenti membro dicitur celsissimus regum terrae *c*)." Obsecro, quod et quale est regnum Christi? nonne illud, quod centies legis in novo testamento *regnum coelorum*, *regnum Dei*, coetus ille moralis, quem pro omnibus populis, omnique aetate Christus fundavit, et quem graeca voce dicimus *ecclesiam*? Hoc ergo regnum Christo ut Deone, an ut homini traditur? Audi apostolum: „*Oportet illum regnare* (Christum), *donec ponat* (pater) *omnes inimicos sub pedibus eius. Cum autem dicat: omnia subjecta sunt ei, sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus d*)." Idem ergo prorsus docet Magister tuus, quod *Jahnius*, sed perpetuum illud aemulandi studium et calumniandi cacoëthes ita iam sensus hebetavit, ut nec apertissima videat, ut primum Jahnii mentio est. Nisi forte ut supra, *Deum* a *Deo* haereditatem petere jussit, ita hic *Deum Deo* subjiciat.

Ut autem *Jahnii* illud de *inauguratione* intelligas, audi apostolum, dum ait: segregatum se esse in evangelium quod promiserat in scripturis: „De *filio* suo, qui factus est ei ex *semine David secundum carnem*, qui praedestinatus est *filius Dei* in virtute secundum

b) ibid. pag. 160. *c*) Enchirid. §. 39. p. 118. *d*) 1 Cor. 15, 25—28.

spiritum sanctificationis ex *resurrectione mortuorum.*" Videsne ut Paulus Messianam dignitatem humanae Christi naturae per eius originem ex David, per facta stupenda, imprimis autem per resurrectionem ex mortuis asserit? Idem prorsus Actor. 13. Ubi enim v. 23. praemisit: „*Huius* (Davidis) *Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem*; subjungit v. 30, *Deus vero suscitavit eum a mortuis*: demum infert v. 32. „*et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo* 2. *scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*" Suscitavit autem ita a mortuis, ut nunquam amplius reversurus sit in corruptionem, adeoque regnum habeat aeternum

Videsne hic quoque regnum Messiae gloriosum inde ab resurrectione repeti? sicque de praestando Messia adimpleta dici promissa? Sed Magister tuus, non modo v. 30., sed 33. quoque: *quoniam hanc* (repromissionem) *Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum* — de resurrectione Christi accipit (pag. 157.) At quaeras, ubinam haec ad *patres* repromissio facta sit? Ubinam in Psalmo secundo aliquid scriptum sit de *resurrectione*, qui totus tractat de amplitudine imperii? Seduxit nempe illum sententia *resuscitans Jesum*; cuius sensum tamen ex usu loquendi hebraeo aperte videre poterat eiusdem 13 capitis v. 22. ubi dicitur, Hebraeis amoto Saule Deum suscitasse David regem, id est statuisse, stabilivisse. Ut adeo series orationis Pauli haec sit: Patribus nostris inde a Genesi promissa facta sunt de mittendo Messia (quae vide in secunda appendice *Jahnii* evoluta), determinate autem e familia Davidis oriundo: hic est Jesus, quem Synedrion quidem peremit, sed (v. 30.) Deus illum suscitavit e mortuis, uti testantur eius familiares discipuli. Ego igitur vobis annuntio, data patribus nunc impleta esse promissa exhibendo hunc Jesum, cui iuxta psalmum 2, velut post alteram generationem regnum promissum est nunquam interiturum, quia nec unquam amplius moriturus est.

§. 179.

Addam denique, quod contra Jahnii interpretationem superiori §. positam, Magister tuus alibi pro-

tulit. Ait nempe: „Non recte ex antecedentibus et consequentibus concludit, etiam *Filius meus es tu*, et: *ego genui te*, non aliud significare, quam honorem regiae dignitatis. *Lumen enim tantum petitur* ex antecedentibus et consequentibus ad intelligendum quod obscurum est, non tantum in libris canonicis, sed in alio etiam omni scriptorum genere: non ullus logicus et dialecticus unquam sensit, id, quod in oratione est, *eamdem semper habere significationem cum antecedentibus et consequentibus.* Quod ita si esset, sequeretur in omni oratione, si quidem semper alterum sit alterius antecedens vel consequens, semper omnia unius eiusdemque significationis esse. Hac ergo Jahniana interpretandi regula, potestne aliquid esse a recta intelligenda ratione alienius *a*)?"

Dic, te oro, mi Comes, fingerene Magister tuus isto commento ineptius aliquid potuit in *Jahnium*? An in verbis huius anteriore §. relatis, huius insaniae vestigium est: *id quod in oratione est, eamdem semper habere significationem cum antecedentibus et consequentibus?* Lege psalmum 2. et quam apte *Jahnius* e contextu argumentatus sit, intelliges. Concedit enim Magister tuus v. 6. de rege Sionis esse sermonem: dictum autem, *praedicans praeceptum eius*, ibidem, is ipse pagina 158. vertit: *praedicabo statutum*. Hoc quale sit, ostendit v. 7. „*Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quid in his sit *filius*, quid *giguere*, ait *Jahnius*, colligi e contextu; nempe ex antecedente v. 6. ubi occurrit *rex*; et consequente 8, ubi huic *filio* in haereditatem offeruntur gentes et universus orbis. Cum igitur absurdum sit, ut Deus Deo polliceatur in posterum dominium nostri planetae, qui ceteroquin non tantum huius, sed totius universi creator, rector et dominus sit; quisquis prima tenet exegeseos elementa, inferre debet, *filium* v. 8. idem esse cum *rege* v. 6. et *gignere* idem ac *regem constituere*, in regem inaugurare. Hanc ergo planissimam interpretationem turpissime detorsit Magister tuus, quo ridiculum faciat *Jahnium*. Miror duram frontem, qui non metuat teneri in mendacio, si quisquam *Jahnium* inspexerit. Per me de divinitate Christi accipiat ut lubet, at fides, honestas, et

---

a) Instt. vet. test. Tom. 3. §. 15. p. 19.

publica institutio postulant, ne tam viliter aliena corrumpantur, et occasione quavis detrahatur summis viris.

Demum ait, e contextu *lumen tantum peti.* Quid enim? an gemmas, an aurum vel argentum inde eruere voluit Jahnius? An aliud in usu loquendi, in linguarum praesidio, in archaeologia, omnibusque hermeneuticis principiis et subsidiis quaeritur quam *lumen?* An tuus Magister dum ecclesiam et unanimes patres supra pro *supremo principio* statuit, ex iis tenebras quaesivit? Est ergo detorsionis ratio hic tam ridicula, quam ipsa detorsio absurda est. Non mirum: tuo enim Magistro cui cura incumbit omnium ecclesiarum, ut integrum non est *Neotericis* non respondere, sic nunquam deesse potest responsum, qui absurda malit dicere quam tacere.

§. 180.

Cetera exempla doctae interpretationis Magistri tui, mi Comes, iam tantum delibabo, qui metuam, ne in rebus tibi notissimis creem taedium. Alterum ergo paradigma est psal. 16. in vulg. 15. quem de resurrectione Christi sonare, adductis e libro Actor. 2. et 13 Cap. Petri et Pauli sermonibus probat *a*). Haec continuo excipit lis cum J. D. *Michaelis* super voce *sanctum* et implet quatuor paginas. Atroces autem in eum virum calumnias et portentosa mendacia commemorabo inferius. Demum psalmum scriptum ait in persecutione, quam David a Saule pertulit „Quo in statu, inquit, extorris factus, negat aliam sibi extra Deum futuram haereditatem. — Ut autem typum gerens Christi, quemadmodum fuit etiam Psal. 2. *et quasi de se canens* (David) tamen de Christo caneret, — sic etiam in hoc psalmo ista iam deinde aeque canit, quae sunt, se non derelictum iri in sepulchro *b*).“ Habes iam omnem et interpretationem et demonstrationem. Confer supra §. 177.

§. 181.

Sequitur psalmi 68. vers. 22: „*Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me ace-*

---

a) Instt. Vet. Test. Tom. 3. pag. 163. *b*) ibid. pag. 168.

to a).“ De Christo sonare verba, Magistro nullum dubium est, quia apud Joannem scriptum est: „*Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum* etc. *b*). Dic, mi Comes, quid ista ad rem faciant? An hic eius psalmi mentio est? an impletus hic dicitur? an praeter unicam vocem *sitio* utrinque convenientia est (in fonte enim nec de *felle*, nec de *aceto* vestigium est). Magister tuus sensum suum huic loco intulit, non autem ex eo protulit, quod est interpretis. Sed nec advertit quidem Magister tuus, quam anceps Joannis locus sit. Intermedia enim sententia; *ut consummaretur scriptura*, pari jure coniungi potest cum antecedentibus, quo ille ad consequentia retulit; et tum sensus erit: Sciens Jesus omnia, quae de se in scripturis exstarent, iam esse in se completa, levamen sibi indulturus in siti summa dixit, *sitio*, porrectumque acetum bibit. Juxta Magistrum autem sonabit: Sciens cetera omnia iam in se impleta, praeter eam passionis partem, ut aceto potaretur in siti; quo et ista impleretur, dixit, sitio: e quo dum occasionem capiunt praesentes porrigendi acetum, etiam hoc supremum impletum est.

Uter sensus praeferendus sit, non haesitabis, si psalmum integre legeris, in quo nullum prorsus vestigium est prophetiae. Quatuor enim loca, quae in novo testamento ex eo allegata sunt, nihil nisi accommodationem nudam continent discipulorum, et quidem eo tempore factam, quando nec id quidem noverunt, spiritalene, an temporale regnum Messiae sit *c*). Demo Paulum, qui unum per accommodationem, alterum vero locum ad probandam *Judaeorum excoecationem* adhibet. Vide loca in psalmo notata. Alia autem apertissima obstant. Pauca tibi commemorabo. In sententia Magistri, Jesus scripturas, „*consummandi causa dixit sitio.*“ Si ergo *acetum* sit pars passionis, tum Christus dicens *sitio*, studiose provocavit ad scelus. Quod argumentum eo efficacius esse debet, quod Magister alias contra *Jahnium* hoc ipsum etsi minime apposite usurpat. Aiebat *Jahnius* in prophetiis *historicam claritatem* vel ideo non posse prae-

---

a) [illegible] vet. test. Tom. 3. pag. 169. *b*) 19 — 28.
c) Act. 1, 6.

tendi, quia obstitisset implemento; exemplum ponit caedem Christi, a quo et Pilatus et Judaei sibi cavissent, si ea claritate fuisset perscripta. Hic respondet Magister: „*Hinc sequeretur, Deum voluisse ut fieret, quod illi malum facinus patrarunt d*).“ Vide incogitantiam hominis, qui ne id quidem viderit, aliud esse, scelus praevidere et e sapientissimis finibus permittere, aliud autem studio provocare ad scelus, uti Christus ex eius sententia studiose ad porrigendum sibi acetum provocavit. Iterum maluit absurde dicere quam tacere.

Sed nec minus obstant ipsa verba psalmi supra posita. Ibi enim *esca* ponitur *fel*, *potus* vero *acetum*. Ut ergo utrumque impletum ostendat, audi quid sit commentus: „Cum *aceto* autem *fel* proprio sensu Christo datum non est; sed per *fel* designatum est myrrhatum vinum amarum, quod supplicio plectendis solebat dari, ut vi fortis istius potus, stupefactis sensibus, dolorem et cruciatum minus sentirent: et quod vinum Christus gustavit quidem, sed bibere tamen noluit: nec *pietas* aliud cogitare nos sinit, quam ne sibi dolorem minueret (!!) et qui nihilominus sitim suam testatus acetum sumsit, unde patesceret (!) vere passum esse, dum magni cruciatus magnam etiam vim ad commovendam sitim habent, quin tamen levamen etiam ex hoc potu sibi quaesivisset: qui *simul atque acetum accepit* caput inclinavit et tradidit spiritum *e*)“.

Non dubito, quin videas, quam in his comminiscendis sudaverit Magister tuus, et quam haec aperte falsa et contorta sint. Habet utique *Marcus f*) *vinum myrrhatum* pro *Matthaei: vino felle misto g*), sed uterque dicit: dabant ei *bibere*, quod ab *esca* fellis, ut est in psalmo, tantum distat, quantum illud a prudentia, si esurienti aquam, sitienti autem panem des. Cur autem Christus illud vinum myrrhatum non acceptaverit *h*) *pietas et prudentia* cogit credere, quod velle non potuit seu sitis tormentum sibi augere, seu mori temulentus. Aeque autem commentum est, Christum sumsisse *acetum*, ut *patesceret vere passum*. Quis-

d) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 368. *e*) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 174. *f*) 15, 23. *g*) 27, 34. *h*) ibid.

quamne ergo dubitavit, dire flagellatum, et pertusis membris suspensum e cruce pati? Si in *aceto* non fuit levamen, cur sitim testatus acceptavit oblatum? Nec dubita sumturum fuisse iam sub initium si fuisset porrectum, ideo enim oblatum potum gustat, sed tamquam fini contrarium detrectat bibere. Denique illud: *simul atque* etc., arbitrarie positum est, nec ex succincta evangelistarum narratione, quoniam moram non commemorant, deduci potest, nisi dicere velis, Joannem baptistam iam in infantia Christi praedicasse poenitentiam, quoniam illico post adventum pueri Jesu in Nazareth, Matthaeus capite 3. subjungit: *in illis diebus venit Joannes B.*

Sensit has difficultates, mi Comes, tuus Magister, eoque ubi praemisit, multa obstare, seu David in sua, seu in Christi persona locutus statuatur, subjungit: „In hoc *bivio*, aliosne viae duces, ne erremus, quam evangelistas et apostolos sequemur? Ergo omnino psalmus de Christo nobis intelligendus *i*).“ Sed ubi est *bivium*? quis apostolorum verbulo hunc psalmum ut propheticum commemoravit? Sed tuo Magistro satis est ad prophetiam, si verbulum e veteri testamento comparet in novo, etsi per solam accommodationem, allusionem aut in rem quamvis aliam adductum est. Exitus est: David typice repraesentavit Christum *k*), etsi omnia repugnant. Haec ergo est illa solida demonstratio contra *Neotericos*, qui *omnia prophetarum vaticinia a Christo abstrahunt*. Supra §. 176.

§. 182.

Ultimum exemplum sit e psalmo 108. v. 6. „*Fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat alter a*). Contra quemnam hoc dictum sit vel Magistro tuo, mi Comes, anceps est, qui tamen secus omnia demonstrat. Ait enim: vel contra *Doëg* qui prodidit David, vel contra *Achitophel*; „in horum alterutrum (Achitophelem fuisse est probabilius) iacta a Davide execratio pertinuerit ulterius *ad Judam proditorem*; dum iste adversarius Davidis, *itemque ceteri eius persecutores*, perinde suo odio in Davidem adum-

---

i) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 173. *k*) ibid. pag. 174.
a) Instt. vet. test. Tom. 3. p. 175.

braverint Dei consilio Judaeos, interfectores Christi, ut ipse David patientia sua Christum *b*)." Habes ergo unde deligas. Non obstat Magister, si *Doëgum* hic intelligas, etsi de *Achitophel* probabilius videatur; liberum quoque tibi est sententiam psalmi non tantum de *uno*, sed de *ceteris etiam Davidis hostibus* sumere, etsi textus sonat tantum de *uno*. Putabisne ergo liberum esse *Neotericis*, ex his deligere ut lubet? Minime gentium. Nisi fateare de *Achitophele* hic esse sermonem, et ipse *Neotericus* eris, *qui omnia vaticinia a Christo abstrahunt*. §. 176. Cur autem sic sentiat, audi.

Petrus, cuius integrum exscripsit sermonem *c*), id sumsit de *Juda* proditore, similiter Christus dum ait: „*quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, ut impleatur scriptura d*)." Nisi autem hoc vere de *Juda* esset, quod de illo esse testatus est Petrus, nuspiam hoc erit in scriptura, quod tamen Christus in ea esse dixit, aut certe produci deberet alter scripturae de Judae exitio locus *e*). Tu legas psalmum, et videas, an Judam ibi explicite aut implicite invenias. *Calmetus* aperte docet, Petrum Judae *accommodasse* sententiam; *Menochius* autem nihil plane scire vult de *Juda*, sed transfert aeque per accommodationem ad sacerdotium *Aaronicum*, quod post mortem Jesu a Judaeis translatum sit. Alios in re levissima non duco operae pretium inspicere. Adverte etiam, *Petri* hic exiguam, aut nullam esse auctoritatem, quippe qui una circiter alterave hora prius Christum interrogaverit, an modo regnum temporale Israëlitis sit restituturus *f*)? fuit enim ante effusum spiritum sanctum, cum plenus adhuc terrenis affectibus non vel regni naturam noverat, quod magister erat fundaturus.

Quamquam persuasum mihi est, Petrum nec errasse quidem, sed ut recte ait *Calmetus*, accommodasse unice sententiam. Hunc enim morem dudum receptum fuisse videre potes in libris Maccab. *g*) et Christus expresse dicit de Pharisaeis „*bene prophetavit*

---

b) ibid. pag. 177. 178. *c*) Act. 1, 6 — 22. Coll. Instt. Tom. 3. p. 175. *d*) ibid. p. 182. Coll. Joan. 17, 12. *e*) Instt. Tom. 3. p. 182. *f*) Act. 1, 6. *g*) Macc. 1. Libr. 7, 16. 17. et L. 2, 7, 6.

de vobis Isajas: hic populus labiis me honorat etc. *h*) et tamen quis est, qui id prophetiam putet? Sic Petrus etiam, quoniam in psalmo sermo est de officio in alterum conferendo, de quo eo ipso momento agebatur, opportune adhibet sententiam ad quemdam ornatum, ut omnes patres et ipsa quoque ecclesia solet, ut ubique videre potes in missali et horis canonicis. Christus denique in *filio perditionis* non hunc, sed psal. 40. respexit, ut clare docet idem Joannes 13, 18. Alia demum miserabiliora Magistri tui effugia non merentur commemorari.

Ut autem Petro infallibilitatem conciliet, operae pretium est, mi Comes, audire, quid ille invenerit. „Quoniam, inquit, deinceps errare non potuit, non sequitur, *prius errare debuisse i*).“ Item quod Christus apostolis *aperuerit sensum ut intelligerent scripturas k*); aut alia ratione discere potuerit sententiae sensum. Sed *Neotericorum* minima cura est, an Petrus *debuerit errare*; illis sufficit errare potuisse. Imo nec errasse praetendunt; sed more recepto accommodasse. Nec magis ad rem est alterum, et mihi videtur Magister studiose celasse ubi hoc scriptum sit. Si enim quis relegisset eam Christi sententiam, reperisset continuo additum „*quoniam oportebat Christum pati et resurgere a mortuis l*).“ A *posse* vero ad *esse* non solent *Neoterici* argumentari, eoque nec a Magistro recipiunt hinc ductam demonstrationem. Confer supra §. 166. Vides ergo ut ille studiose tibi os oblinere paravit.

Sed jucundius est, mi Comes, dum iterum litigat cum J. D. *Michaelis*, quem novarum interpretationum inventorem vocat locupletissimum *m*). Si bonae, in laude erit. Hic autem et alias saepissime ita bonae sunt, ut res philologica, archaeologica et exegetica huic viro superiori seculo prae omnibus plurimum debeat. Sed, mi Comes, si Magister sciret, quod pro adamato sibi sensu mystico praecipuum argumentum inscius Davidi Michaelis debeat, forte basiaret hominem alias semper naturalistam teterrimum, adeo

---

h) Instt. Tom. 3. p. 181. *i*) Instt. Tom. 3. p. 181. *k*) ibid. pag. 182. *l*) Luc. 24, 45. 46. *m*) Instt. T. 3. p. 178.

hoc gratum est. Quamquam et dogmaticis egregia subministravit, quibus omnes nostri utuntur.

Crimen autem *Michaelis* illud est, quod dicat, psalmo hoc 108. diras illas imprecationes a v. 6—19. non esse Davidis, sed adversariorum in Davidem. Egregie sane, quia planissima via illum liberamus non tantum ab imprecationibus, sed etiam ab incohaerentia et quadam indecentia, ut qui v. 4 et 5. suam dilectionem inimicorum, atque etiam orationem pro iis commendet, illico autem a v. 6. usque 19. torrentem in eosdem fundat dirarum. Michaelis autem interpretatio planissima haec est. David a v. 1—5. semper loquitur de pluribus adversariis, ut ipsum illud v. 1. „*Os peccatoris et dolosi super me apertum est*" in quo vim reponit Magister, in fonte pluraliter sit *aperuerunt*. E contra a v. 6—19. imprecationes diriguntur semper adversus *unicum*; quibus terminatis a v. 20. usque ad finem iterum in plurali sermo est, ut initio. Demum aliorum haec esse, clare ipse David indicat, dum diris illis subjungit v. 20.: *hoc opus eorum, qui detrahunt mihi, et qui mala loquuntur adversus animam meam*; quod Magister tuus frustra torquet pag. 180. prout contra animi sui sensum dixit pag. 176. quod orthodoxi interpretes semper intellexerint execrationes has a Davide in quempiam suorum adversariorum dictas esse. Contrarium enim habebat in iis, e quibus suum commentarium scripsit, ne dicam, haec non auctoritate, sed ratione definienda esse. Tu ergo, mi Comes, post versum 5, ubi est elliptica oratio, ut alias saepe, supple verba: *et dicunt*, uti haec ipsa suppleri debent psalmo 2. post versum 2, et planissime decurret sermo per totum. Quod igitur alii probant, hoc iterum pro sua aemulatione ridicule improbat Magister. Atque sic absoluta est vindicatio psalmorum adversus *Neotericos*. Nervose certe, ut ipse persuasum habet. Quominus autem in his plus praestaret, obstitit trium voluminum angustia; neque enim amplius locum habuisset tractatio de *Arphaxd*, de *asina Baalam*, de *crinibus Samsonis*, de *curru Eliae*, de *saga in Endor*, quae si nescias, theologi nomine indignus sis.

§. 183.

Ubi tibi ostendi, mi Comes, quam docte Magister in psalmis versatus sit, nunc redeo ad accusa-

tionem depellendam, quam supra §. 175. attulit. Ait autem *prorsus coeci sunt Neoterici.* Sed tu cave credas, quia nec credidit Magister dum scripsit. Quomodo enim in icone novi test. institutionibus praefixa de iisdem diceret: *Si coeci essetis non haberetis peccatum.* Tu ergo Naturalistas, quod facis, dicas, sed coecos noli dicere, quia sine summa injuria Magistri dicere non potes, quem ipsum poenituit postea, qui id olim dixerit. (Vid. supr. §. 11.)

Dum autem Magister tuus duas implet paginas lamentis et invidiosis detorsionibus *a*) contra *Jahnium*, tamquam ille cum injuria novi testamenti omnes elidat prophetias, nisi studiose fingit, apertissime docet lectores, deesse sibi historiam literariam aut logicam. Opus enim *Jahnii* a summo ad imum oppositum est Rationalistis, qui negata revelatione, una etiam *prophetis*, *Christo* et *apostolis* omne supernaturale praesidium, divinamque auctoritatem detrahunt. Si ergo quaestio est, an in psalmis prophetiae de Christo sint, quis sanus illorum auctoritatem, quantacunque sit, talibus opponat? Id enim est vitare quaestionem vel petitione principii ludere, quod Magistro tuo et commilitoni tam familiare est. Contra hos si voles agere, usus loquendi, objecti natura, contextus, persona scriptoris, historia temporum etc. adhibenda sunt, atque ex his ostendendum, similes sententias vel unice sonare de remotis temporibus N. T. vel certe ratione aeque plana de illis sumi, ac adversarii sumunt de rebus coaevis. Ulterius cum his progredi non datur, nec necessarium est ad defendenda nostra. His autem praestitis, mi Comes, pro tua aliorumque, qui Christo et apostolis divinam tribuunt auctoritatem, maiore confirmatione, apte adhibebis et novum testamentum; semper tamen cum mica salis, ne ubicunque verbulum occurrit e veteri, imitatione Magistri tui prophetiam esse statuas, ut docere te possunt exempla superiora. Cum ergo nec ipse quidem Magister tuus diffiteatur psalmos superiores de rebus coaevis esse scriptos, ad Christum autem sensu mystico spectare, non sane intelligo, quomodo arguere possit *Jahnium*, qui rationalistarum sensu dixerit psal. 2. 16. 22. 40. 72. 89. 110. ex historia explicari posse;

---

a) Instit. vet. test. Tom. 2. pag. 238. et 239.

ipse autem id aperte neget Jahnius de psalmis 89 et 110., in ceteris autem, ut iam dictum, prophetias sensu literali objectivo admittat.

Sed miror, mi Comes, Magistrum tuum, qui censor esse voluerit *Jahnii*, et simulacrum ostentare apologetae, qui tamen partim psalmos attulerit, quos iam ante secula nec Catholici quidem pro Messianis habuerunt; partim tam misere ubique versatus sit, ut usu loquendi neglecto ex auctoritate unice sit argumentatus. Si suam eruditionem, suum zelum ostentare voluit, cur *Jahnium* semper petit, vel non intellectum, vel certe detorquendo et calumniando, ut hactenus docui magisque docebo? Cur litigat cum Davide *Michaëlis*, Protestante doctissimo, qui revelationem toto corde complexus, etiam scripturis qua illustrandis, qua vindicandis praesidia attulit utilissima? Quare ubi contra Rationalistas agendum erat, ut piscis perpetuo silet? Cur argumentis nunquam respondet? Cur nugas sectatur scholasticas, ubi de fidei fundamentis agendum fuit? Luto, mi Comes, etiam pueri in compitis honestissimum quemque petere possunt, nec alio est opus, quam temeritate et impudentia: sed aequare eos viros, aut etiam praecellere meritis et doctrina, hic labor, hoc opus est, neque id hactenus ullo in opere vel tentavit Magister. Ut enim vidisti supra in Psalmis, ubi paradigma dare voluit contra *Neotericos*, tota tractatio in fine redit ad *sensum mysticum*, elumbe sane argumentum vel contra Catholicos, nisi perspicue ostendas sic adhibitam sententiam, quod semper cavit Magister, cui satis est, unam alteramve voculam ex aliquo psalmo occurrere in N. T. Contra Rationalistas autem sic agere, res prorsus ridicula est.

§. 184.

Transeo ad aliam accusationem, quam de prophetis in genere contra *Jahnium* protulit. Ubi de *Theodoro* Mopsv. *Grotio* aliisque recentioribus prophetias negantibus praemisit, sic continuat: „*Jahnius* sic sententiam hanc temperat, ut doceat, non quidem semper, sed tamen factum esse a prophetis nonnunquam, ut quae proponerent, dicerent, sibi a Deo data esse ad dicendum, quamvis tantum cogitata suae mentis proferrent. Nemo, inquit, iverit inficias, *Hebraeos* non raro eventus providentiae divinae *immediate* ad

Deum retulisse, et ex 1 Sam. 24, 5. 11. 2 Sam. 16, 10. 11. 24, 1. Conf. 1 Chron. 21, 1. 28, 19. patet, eos quoque effatum: *inquit Jehova* interdum usurpasse, quando Deus locutus non fuerat, adeoque hanc formulam loquendi nequaquam *semper* ad vivum resecandam esse, sed *interdum* idem prorsus valere, ac providentiam divinam omnia ita disposuisse, ut quis tam opportunam occasionem, vel tam liberam potestatem adeptus sit aliquid agendi, ac si Deus ipse diceret: *hoc age a*)." Hinc ille infert ex *Jahnii* sententia *prophetas* fuisse mendaces! quo vix aliud insulsius dici potuit.

Dic iam, mi Comes, an in his verbis *Jahnii* quidquam sit, quod jure reprehendas? *Jahnius* loquitur de *Hebraeis*, non autem de *prophetis*, ut fingit Magister tuus! Assertum probat exemplis, in quibus nulla intervenit prophetia. In primo enim loquuntur comites Davidis, effato Domini incitauces ad caedem Saulis; in altero David ipse ait, praecepto domini sibi maledicere Semei: in tertio *Dominus* commovet David, ut numeret populum; quod ipsum tamen in loco parallelo 1 Chron. 21, 1. in *satanam* confertur. In ultimo ait David, descriptionem templi per manum Domini sibi traditam, etsi non magis hic intervenit, ac supra §. 169. in sartore et fabris tabernaculi.

Sed stupendus ille artifex Magister tuus, etiam in rebus innocuis crimen invenit, et apologetam *Jahnium* momento in hostem convertit prophetarum. Hoc ut intelligas, audi quid *Jahnius* superioribus adjungat. „Inde autem, inquit, nequaquam efficitur, hanc dictionem *inquit Jehova*, semper et ubique hoc ipsum et nihil amplius innuere: nam tot adsunt vaticinia eventuum, quales viri totius antiquitatis perspicacissimi non praeviderunt, nec praevidere potuerunt, ut reapse divina instructio accedere debuerit. Itaque a contextu et substrata materia pendet, quando expressio *inquit Jehova*, stricte intelligenda, et quando de ordinaria Dei providentia accipienda sit." Credo, cernis iam modo aperte, in superioribus *Jahnii* verbis nihil nisi objectionem contineri adversariorum, qui e supra adductis exemplis concludunt, sententiam *hoc*

---

a) Instt. novi test. Tom. 2. pag. 371. collata Introd. Jahn, Part. 2. §. 78. pag. 324.

inquit Jehova, neque in ore prophetarum aliud sonare, quam quod in usu populari quandoque obtinebat, ut nempe eventus providentiae *immediate* ad Deum referrent, qui talia locutus sit, aut praeceperit, quamvis reapse nihil *immediate* sit operatus. Hanc adversariorum consequentiam jure suo negat *Jahnius*, qui in antecedentibus copiosa adduxerit exempla talium rerum, quas nemo, quocunque praeditus ingenio aut experientia, seculis praevie scire, nedum tam determinate praedicere potuerit.

Superiora demum sic concludit Jahnius. „Sic equidem mature pensatis omnibus locis, in quibus haec formula recurrit, existimo prophetas, *qui a Deo mandata acceperant*, etiam de illis, quae ex *proprio mentis lumine* petebant, hac phrasi jure uti potuisse; nam *legatione divina instructi*, proprias etiam animadversiones, uti *legati Dei* proponere poterant, atque ut mihi quidem videtur, etiam *vi muneris sui debebant*. Quamquam vero expressio *inquit Jehova*, etiam decursu rerum ordinario usitata fuerit, discrimen tamen, quod inter naturalem et supernaturalem ordinem intercedit, notissimum erat, ut ex 2 Sam. 16, 23. clarissime liquet. Ceterum quid prophetae sibi ipsis, quid revelationi divinae debebant, ubique accurate discerni nequit, quia mens prophetarum nobis reclusa non est; si vero discerni haec ubique possent, nihil tamen proficeremus, quia *etiam ea, quae prophetae ex proprio fonte hauserunt, per divinam legationem et assistentiam illam, quam inspirationem dicimus, eandem cum revelatis certitudinem participant.*“

Nega si potes, prophetarum apologetam esse *Jahnium*, sycophantam autem Magistrum tuum, qui ex his dictis concludat prophetas juxta illum esse *mendaces*, eisque applicet Ezechielis 13, 6. etc. Jerem. 23, 16. Cur reticet, cur subdole dissimulat doctam *Jahnii* defensionem, quam eo ipso loco, unde superiora verba sumta sunt, a §. 71 – 88. pag. 311 – 346. pro prophetis et prophetiis contra modernos texuit? Confer de hoc objecto Magistri tui tractationem Tom. 2. §. 52 – 59. et videbis inter utramque idem discrimen, quod fuit olim inter boves Pharaonis. Cum *Neotericis* more suo litigat et calumniis implet paginas; at contra hostes prophetarum non verbulum notatum invenies. Miror callum hominis, quem nec conscientia, nec pudor retrahit, quin alienis tam im-

pudenter obtrectet laudibus, ut quo illum in manifesto teneas mendacio, non alia re sit opus, quam ocyus relegere locum sub lite positum. Si integritas doctrinae, si recta institutio cordi est, cur congerit exsuccum stramen, cum palam prostant cupediae? In mediis hostibus vivimus, nec unquam gravius scripta revelationis monimenta impugnata sunt ac hodie: et tamen satius esse visum est, deesse officio, quam ab aliis parata sumere, quoniam ita suum ipse sibi idolum est, ut lividis quosque intueatur oculis, qui rectiora sapiunt, cumque aliena fama molesta sit, omnem in eo consumit operam, ut quique hoc in genere scripsissent, eos aut rudes faciat aut impios.

Sed nunc vide simulationem hominis. Quae supra adduxit exempla *Jahnius*, ea ordine examinat, et serio pugnat, sequelam non esse, ut sententia *inquit Jehova*, etiam in prophetis idem semper exprimat, quod obtinet quandoque in usu populari, quo naturales eventus *immediate* in Deum relati sunt. Quid lector hinc aliud inferat, nisi eam impietatem propugnari ab Jahnio, a qua ille tamen alienissimus est? Addit, mendaces fore prophetas, si de cogitatis suis usurparent sententiam. *Haec dicit dominus.* Si Magister tuus, mi Comes, suspectum facere noluit *Jahnium*, tamquam ex eius sententia prophetae ipsa etiam vaticinia e suo ingenio sumserint, adeoque finxerint: non intelligo, quid hic difficultatis sit, cum dicitur, eos tamquam *divinos legatos*, eam sententiam, usurpare potuisse etiam *de propriis animadversionibus*. Anne Moyses mendax propheta fuit, qui *Jethronis* prudens consilium secutus sit *b*)? An mendax apostolus est Paulus, qui ait: *ceteris ego dico non dominus c*), *Praeceptum Domini non habeo*, *consilium autem do d*), item: *puto*, *quod et ego spiritum Dei habeam e*). Et tamen confidenter ait: *an experimentum quaeritis eius*, *qui in me loquitur Christus?* 2 Cor. 13, 3. Aut tam hebetes censendi sunt prophetae, ut nisi singulas sententiolas Deus immediate infudisset, velut talpae ad obvia etiam coecutirent, et in lege versati licet, nihil naturaliter viderent, quod faceret ad virtutem et probitatem? 'Dic de-

b) Exod. 1. 9, 17. *c*) 1 Cor. 7. 12. *d*) ibid. v. 25. *e*) ibid. v. 40.

mum, quomodo Magister sibi constet, qui Lessii 2dam propositionem supra §. 146. relatam approbet *f*), *Jahnium* autem. qui idem prorsus docet, impietatis insimulet? mavult nempe, ut supra iam exempla dedi, pugnare secum, modo suspectos reddat alios. Si ergo Paulum infallibilem credimus in iis etiam, quae ex se protulit, quoniam divino praesidio ab omni errore immunis fuit; cur sycophanta hic accusavit *Jahnium*, qui apertissime áddidit, eodem divino praesidio communitos fuisse prophetas quoque, dum sua cogitata protulerunt? Totusne iam mundus praeter tuum Magistrum, aut coecus, aut impius est?

§. 185.

At modo, mi Comes, doctum quid audies praeter morem. Post superiora enim sic in *Jahnium* pergit. „Hanc assertionem suam *Jahnius* ex eo fecit, quod Hebraei divinae providentiae eventus non raro *immediate* (illius utor verbis) ad Deum retulerint. Quod factum omnino ab illis recte est. Quis enim est, qui Dei providentiam credens et agnoscens, non similiter faceret? *Bona enim et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt a*).“ Semper operam dat Magister tuus, ut sciam, quid nesciat. Nunquam putavi aemulandi studio ad tantam absurditatem illum posse abripi. Sed ut vidisti hactenus, crudissima quaeque ingerit lectoribus, ut ne verbum verum scripsisse credatur *Jahnius*. Supra enim §. 181. quoniam ille docuit prophetiam de caede Messiae impleri non potuisse, si historica claritate fuisset perscripta, ineptissime contra illum intulit, Deum hoc scelus, ex illius sententia, voluisse: nunc vero, quoniam idem, ut docti quique solent, utque res ipsa loquitur, Hebraeorum populari sermone non raro eventus providentiae in Deum *immediate* relatos fuisse asserit: ut et hic irrationabiliter locutus videatur, contra illum statuit, id *recte* fuisse factum, et omnia bona et mala in Deum *immediate* esse referenda! Ergo juxta Magistrum tuum non jam physica modo, sed moralia quoque mala in Deum *immediate* conferenda sunt, quoniam de his sonant exempla *Jahnii*,

---

f) Instt. vet. test. Tom. 2. §. 34. p. 65.

a) Eccl. 11, 14. coll. Instt. vet. test. Tom. 2. p. 372.

vel inter eventus quotidianos et prodigia nullum erit discrimen, vel certe, furore coeco abreptus in *Jahnium*, nec advertit quidem Magister quid scribat. Horum quodvis, qua dignum censura sit, quoniam huic arti non adsuevi, tibi tamquam Romano transscribo.

Ego id unum adverto, mi Comes, ut supra in *inspiratione*, in *fide* item *historica*, sic nunc in *prophetis*. non ultra piam plebem vos esse progressos. Lege Magistri tui institutiones de *Prophetis* Tom. 2. Cap. 24. et non syllabam reperies, inter Hebraeos veri nominis vates exstitisse, tametsi hoc argumentum ab annis 40 ita controversum est ut non magis aliud; nunc autem, ut alia positiva omnia, penitus negatum atque projectum.

Obsecro te, mi Comes, cum id genus adversariorum opera apud nos omnis angulus habeat, et in medio vivamus hostium, annon ad publici magistri officium pertinebat, super his monere auditores, justo argumentorum delectu communem omnium Christianorum fidem asserere, et praecipua adversariorum momenta sub examen vocare? Annon religiosissimi principis clementia novum institutum hoc fine inductum est, ut delectior juventus Hungariae, pro necessitate istorum temporum, uberius solidiusque erudiretur, quo haec tractandi ratio pedetentim diffunderetur etiam ad instituta cetera? Vide ut *Jahnius* haec docte praestitit, utque hanc spartam eleganter ornavit loco supra §. 184. citato. Quid ad hoc Magister tuus? Truncavit, torsit, palamque mentitus est, quo *Jahnium* apud incautos lectores velut hostem sistat prophetarum. An pudet Magistrum tuum, auditores ne monitos quidem, nedum instructos, annue dimittere e suo collegio in medios hostes, mediaque pericula, quae undique circumstant? Compatior publicae institutioni trium jam lustrorum spatio, miseretque Magistri, qui cum tanta jactura vanissimae cupiditati suae obsequatur.

Mihi crede, mi Comes, qui vos non norit, noverit autem hanc disciplinam, et vestram agendi rationem expendat; quoniam praecipua scriptae revelationis fundamenta vel non attingitis, vel propudiosissime tractatis, eos autem, qui illis asserendis strenuam doctamque impenderunt operam, artibus qui-

buslibet vilissimis invidiae odioque publico objicitis, eorumque opera utilissima corrumpendo atque etiam impudenter mentiendo studiosissime pergitis infamare: is sibi jure quodam suo de vobis suspicari videatur, vos tecte et subdole causam adversariorum agere adversus revelationem, quoniam hac vestra agendi ratione nihil illorum studiis seu opportunius seu exoptabilius est. Quae cum in omnibus inprobanda, in vobis omnium minime toleranda sunt, qui inter tot volumina nihil hactenus orbi literatio obtuleritis, quod cuiquam doctorum probaretur; plurima contra, quae seu ex inficeta ratione tractandi, ex optimorum neglectu, animoque in omnes livido, seu demum ex fontibus, unde non sine gravi aliorum injuria fluxerunt, in publico probro versantur.

§. 186.

Nunc exempla accipe, quomodo Magister in similibus versatus sit. In vulgus notum est, non paucos ordinariae providentiae eventus in Deum *immediate* referri, atque in his etiam mala moralia, etsi divinae sanctitati repugnent. Notissimum est illud in Exodo obvium, quod *Deus induraverit cor Pharaonis*; quod Aegyptios incitaverit, „*ut odirent populum suum, et dolum facerent in servos ejus a).*“ Idem perseverat etiam in novo testamento: ait enim Christus: *non veni pacem mittere, sed gladium; veni separare hominem adversus patrem* etc. *b*). Paulus quoque de gentibus: „*tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* etc. *c*). Imo eadem locutio circa homines etiam observatur, ut illis immediate adscribantur, quae tamen ab eorum mentibus alienissima erant; uti dum Paulus de Judaeis ait: *quoniam repellitis illud* (evangelium) *et indignos vos judicatis vitae aeternae* etc. *d*) atque id genus multa per omnem scripturam. Talia vero, ut nosti, apud ignaros hebraeorum usus loquendi offensionem habent. Quid ergo in re obvia et dudum illustrata Magister tuus?

Ad illud de Pharaone adfert Augustinum: *non indurat Deus impertiendo malitiam, sed non imper-*

---

a) Psal. 104, 25. *b*) Matth. 10, 34. *c*) Rom. 1, 24. *d*) Act. 13, 46. coll. Matth. 3, 9. Rom. 9.

tiendo misericordiam e). Sit omnis honor et veneratio s. Augustino; sed tamen vide supra §. 64. ut ille suspiret post Hieronymum, cui vicinior esse cupiebat, ut ob linguarum notitiam illum crebro consuleret. Notum est omnibus, Deum non impertiri malitiam, nec hoc somniavit ullus hebraeus. Sed hoc quaeritur, quomodo haec constare possint cum systemate religioso quod habebant Hebraei? Hoc vero quaerendum non erat in Africa inter Latinos, nec e gratiae mysteriis repetendum, sed ex grammatica et usu linguae peculiari. Quam pulchre haec discere poterat a *Jahnio*, quem paulo ante tam turpiter torsit! Dictum autem illius: *nemo iverit inficias, hebraeos non raro eventus providentiae divinae immediate ad Deum retulisse f)*, non tantum illis exemplis nititur, quae ibidem cum relatione ad prophetas attulit, sed habet ex aliis etiam indubitatam fidem. Unicum ponam exemplum. Lege Exodi Cap. 1. et vide anxiam consultationem Aegyptiorum super nimio incremento Hebraeorum, et crudeli studio minuendi; cui si conferes sententiam Psalmi 104. supra positam, manibus tenebis usum loquendi et veritatem dicti *Jahniani*.

Sic etiam, si ad Christi dictum: *non veni pacem mittere*, reponas cum Magistro g), dissidia illa Christo invito nata esse; rem verissimam dices, sed difficultatem in linguae usu positam non sustulisti ac ne tetigisti quidem; atque sic per omnia huius generis. Magister ergo tuus, quoniam talia dudum eliquata erant, vel omnino nullam operam dedit, ut lectoribus consuleret, vel quod comperisti hactenus, studio sprevit meliora. Demum cur non inhaeret suo principio, quod supra §. 185. contra *Jahnium* statuit, bona et mala *immediate* in Deum referenda esse? Cur non dicit nunc, Pharaonem a Deo *immediate* inductum ad resistendum, et Aegyptios ad odium? Cur Christo non tribuit dissidia familiarum, et Deo scelera gentilium tamquam immediato auctori? Annon hinc evidens est, ex livore unice oppugnari *Jahnium*, nec ipsum id credere Magistrum, quod contra illum attulit? Confer §. 194. in fine.

---

e) Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 365. Ed. 1. *f)* Introd. Vet. Foed. Part. 2. §. 78. p. 324. *g)* in Comment. in Vet. et Nov. Test. Tom. 12. p. 508.

§. 187.

Cum Magister tuus omnibus improperet impietatem et desertae fidei crimen, fuerit operae pretium cognoscere, quo is robore catholica asserat dogmata. Jam supra tibi specimen dedi §. 97. ut nisi fateare in sententia: *Faciamus hominem ad similitudinem nostram* — expressam esse trinitatem, in castris Socinianorum sis. Simile est, dum ex his Isajae *a*): „*Ego suscitavi eum ad justitiam, ipse aedificabit civitatem meam et captivitatem dimittet, non in pretio. Post te ambulabunt, te adorabunt; teque deprecabuntur: Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. vere tu es Deus absconditus salvator Israel,*“ dogma divinitatis Christi probat, etsi locus manifeste de Cyro sonet, qui v. 1 aperte positus est. In postremis autem prorsus lepide erravit Magister, quoniam omnia pronomina in fonte generis foeminini sunt. Ut adeo Messiam foeminam esse necesse sit, si recte vidit Magister tuus. Non advertit nempe, sermonem hic esse de Jerosolyma, eumque unice verum Deum praedicari, qui in ea adoratur, uti hoc saepius fit in Psalmis.

Pro *peccato originali* duo nova argumenta reperit Magister. Alterum est in illo Ezechielis: *Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt b*). Ubi apertissime de actualibus Majorum peccatis sermo est. Alterum pariter in Ezech.: „*Radix, inquit, tua* (ad Israëlitas loquitur) *et generatio tua Chanaan, pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Kethaea c*),“ de quibus sic ait: „Docuit propheta secundum generationem, nihil inter ipsos (habitatores Jerusalem) et Chananaeos et Amorrhaeos discriminis esse. Attamen originem illi duxerunt ab Abrahamo, Isaaco, et Jacobo, sanctissimis patriarchis. Nec tamen eo minus hoc de ipsis tenuit, quod David de se quoque confessus est: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*; Psal. 50, 7. Paulus quoque: *Eramus* inquit *natura filii irae, sicut et ceteri.* Ephes. 2, 3. Expressum itaque hic isto modo (!) est peccatum originale, quod habeant sibi

---

a) Isaj. 45, 13—15. coll. Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 55. Ed. 1. *b*) 18, 2. coll. Instt. T. 3. pag. 170. Ed. 1. *c*) 16, 3.

congenitum, perinde ii, qui e parentibus justitia praeditis, atque hi, qui ex malis et perversis nascuntur *d*)." Si legeris prophetam, mi Comes, senties, illi nec de bona nec de mala origine esse curam, sed severissime increpare contribules suos, qui, opinione sua gens sancta, sceleribus suis iniquissimos Chananaeorum aemulati sint. Sed satis ineptiarum est. Ego sic censeo: malum apologetam paulo tantum minus nocere veritati, ac hostes apertos. Quis enim dogmata credat, si talibus locis nitantur, in quibus nullum eorum vestigium est? Et tamen apte sic juxta suum principium docuit Magister, cui, ut supra §. 5. retuli, *literalis sensus tantum cortex, mysticus vero nucleus et medulla est.* Fuerit ergo e re, etiam ex hoc genere tibi exemplum dare.

§. 188.

Habetur in Genesi: „*Ecce vir luctabatur cum eo* (Jacobo) *usque mane, qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius et statim emarcuit a*)." De quibus attico lepore scribit: „Haec lucta Christi fuit in cruce, in qua usque ad mortem certavit, ut nobis a Deo obtineret benedictionem. In qua accipienda cum gentiles praecurrant Judaeos, idcirco ad hoc praemonstrandum, Jacob, tactus in nervo femoris ab angelo claudicavit: „*Nam femoris nomine consuetudine scripturae intelligitur, quo fit per generationem posterorum propagatio* (!), atque adeo hi, qui secundum carnem sunt filii Jacob et posteri *b*)." Est, mi Comes, cur hic angelus laudet fortunas suas: si enim post legem latam idem egisset, manus amputatione luisset turpissimum factum. Vide Deuteron. 25, 11. 12.

Sic etiam *vacca rufa*, e cuius cineribus aqua lustralis parata est, Numer. 19, 1. „*Typum gessit ablutionis et sanctificationis nostrae per sanguinem Christi. Si enim cinis vitulae aspersus, ait Paulus* etc. *c*). Annon dixi tibi supra, si vocula occurrerit in novo testamento e veteri, ibi Magistro tuo semper esse prophetiam literalem aut mysticam? Paulus enim

---

d) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 167. Ed. 1.

a) Genes. 32, 25. *b*) Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 346. Ed. 1. *c*) ibid. p. 439. coll. Hebr. 9, 13.

hic valde inepte adhibitus est, qui in *vacca rufa* nullum vidit symbolum Christi; sed volens tollere offendiculum e violenta eius morte natum, illum proponit tamquam victimam novi foederis; atque hinc occasionem sumit commendandi fructum mortis eius. Si enim, inquit, olim aqua lustralis profuit ad mundationem legalem, eo magis nobis proderit ultronea mors Christi. In his ergo nihil vile, nihil indecorum est, ut in comparatione vaccae rufae cum Christo.

Continuat ibidem: „*Extra castra haec vacca rufa immolabatur, quia Jesus extra portas passus est.* Hebr. 13, 12. *d*). In quibus *hysteron proteron* novo errore cumulavit, quod piaculares victimas, quarum sanguis in sancta illatus est, corporibus extra castra exustis, Levit. 16, 27. confundat cum *vacca rufa*, cuius sanguis non nisi eminus ac extra castra versus tabernaculum digito sparsus est. Numer. 19, 1 — 8. Locus enim ille apostoli Hebr. 13, 12, non ad vaccam rufam, sed ad eas victimas refertur, quarum sanguis illatus est per pontificem in sancta (Levit. 16.), uti clarum est ex v. 11. ejusdem 13 Capitis ad Hebraeos.

Vacca demum „*tota combusta ad significandam charitatem, qua Christus dilexit ecclesiam.* Vacca autem, non bos mas accepta est, ut sic humanae naturae infirmitas exprimeretur, in qua Christus passus est: quemadmodum sexus quoque foemineus infirmior est virili *e*).“ Superi! quanta mysteria. Magistrum ergo inspiratum esse necesse est, qui supra §. 168. negaverit, in opere non inspirato posse esse mysteria.

Audi etiam aliquid de quatuor animalibus Ezechielis Cap. 1. „In humana natura, inquit Magister, Christus passus est; quod *bovis facies* designavit, quod laboribus exerceri solet animal ac demum occidi: vi autem divinae naturae se a mortuis excitavit; ad quod *facies leonis* spectavit. Horum pedes fuere recti, *quod enim animal curvos pedes habet, expeditum ad cursum non est!!* Bos *firmiter* gressum figit: quo ecclesiae *firmitas* demonstrabatur etc. *f*).“

---

d) Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 440. Ed. 1. *e*) ibid. *f*) ibid. Tom. 3. p. 148. Ed. 1.

Sed atticos sales vincit Commentatio in Cant. Cant. Umbilicus illius (Sulamitidis Cap. 7.) dicitur „*Crater tornatilis*, *nunquam indigens poculis*. Quod intelligi debet ex illis verbis Christi: *qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*. Joan. 7, 38. *Venter sicut acervus tritici*, sed vallatus liliis: atque ecclesiae tam foecunditas ob abundantiam victus, quam eius illibata simul virginitas exprimitur *g*)!" Dubito tamen, mi Comes, an perusta solibus rustica virgo in illo *acervo tritici* sibi complaceret. Sed quid humana mens ad tanta mysteria? Recte enim monet Magister tuus: Ex quo suapte intelligitur, quantum intersit typos explicare et aperire: siquidem literalis sensus tantum *cortex*, in typico vero *nucleus et medulla sit* (!!!) — Cum enim res typica praecise divino consilio sit assumta ad mysticam significationem; sequitur, ut haec aliter etiam non possit intelligi, quam eiusdem divini spiritus ductu, loquentis vel in eadem scriptura, vel docentis per ecclesiam. Qui suo tantum ingenio feruntur per scripturam, mirum non est, si typicos etiam sensus repudiant. *Solius enim humani ingenii acie non attinguntur h*)!"

Sanusne ista scripsit, mi Comes, Magister tuus? Putes illum non in nostra tellure versari, cui *animalia curvis pedibus ad cursum expedita non sint*. Omnium animalium quod sciam rectissimos pedes habet homo, nec tamen aut tu, aut Magister cursu unquam aequabitis felem aut canem, nedum cervum, equum aut centum alia, recurvis licet postremis pedibus. Dic, ubinam superiora, partim absurda, partim inepta, fundamentum habent in scriptura aut ecclesia? Anne in scripturis haec commenta exstare censenda sunt, quia sententiolas quasdam ad ea miserabiliter detorsit? Ubi, ne dicam ista, sed de mystico sensu universim aliquid tradidit ecclesia? In ecclesia viguit, sed non quidquam hac de re statuit aut definivit ecclesia. Tu interim vide §. 103., ut intelligas, quem usum capere praeter consuetum possis e *missali* et *breviario*; quibus si dextere scias uti Magistri more, perennem habeas fontem infallibilium interpretationum. Quid tandem erit straminis et sarmentorum, quod Magister

---

g) Ibid. Tom. 2. pag. 441. *h*) ibid. Tom. 1. pag. 179. 180.

tuus hac via non congerat in sacrarium? Quid cum institutione publica id genus mercibus commune est, quae nec ad mentis nec ad animi cultum quidquam faciant, et quae nec palam sine offendiculo, nec privatim sine risu auditorum possis proferre? Ut ergo de hoc argumento digne statuas, paucis dicam.

Allegoriarum antiquissimus usus est, in quibus juxta Plutarchum „*aliud dicitur*, *aliud intelligitur* i). Pudebat nempe provectiore philosophia Graecos absurditatum, quas de Diis commenti sunt olim poetae, et quae ad literam credebantur, ut adhuc *mundi* exemplum docet k). Rixas ergo, scortationes aliaque deorum immortalium facinora, allegorice seu mystice de arcanis naturae, rerumque proprietatibus interpretati sunt, uti apud Plutarchum de *audiendis poetis* et de *Homero* videre potes l). Hic mos apud Judaeos quoque annis ante Christum trecentis, seu inventione propria, seu aliorum imitatione invaluit, ut te docere possunt ineptiae Eleazari pontificis apud Flavium Josephum m). Etsi enim seculi primi spurius partus est Aristeae libellus, eius tamen judicia de suis Majoribus probaverunt coaevi. Retentus hic mos et deinceps, magisque provectus, quoniam propagata per exteras etiam synagogas Christiana religio judaeis magistris carere non potuit: nostris quoque inde ab fidei primordio innotuit, et Origenis hac methodo Alexandriae mature imbuti, et Philonem quondam concivem demirantis exemplo, latissime proximis seculis propagatus est.

Sed quod doleas, mi Comes, vir hic alioqui doctissimus hac in re magis etiam ac Magister tuus modum excessit, non sine offensa coaevorum. Illi enim iuxta literam in utroque testamento multa sunt *falsa*, *absurda*, *impossibilia*, *rationi contraria*, *Deo indigna*, *legibusque humanis inferiora*. In evangeliis alia illi videntur *mendacia*, alia *interpolata* etc. ut adeo prorsus necessarium sit, per sensum mysticum Deo dignas reddere scripturas! Simul autem, prorsus ut Magister tuus, difficillimum et prope impossi-

---

i) De aud. Poet. Tom. 1. p. 14. Ed. Basil. k) Flav. Joseph. Antiqq. Lib. 18. C. 3. §. 4. T. 1. p. 877. l) Tom. 1. p. 45. 50. 62. 67. m) in Libell. Arist. Tom. 2. p. 116 — 118.

bile esse statuit, mysticos scripturarum sensus scrutari! Id genus aberrationum plura si legere cupis exempla, adi opera Origenis ex editione Ruaei Tom. 2. Praefat. Artic. 4. §. 1—7. et Art. 5. 6. pag. VIII — XIX.

Ex hoc tempore torrentis ad instar haec interpretandi methodus diffusa est: certatim omnia veteris testamenti, ad Christum, ad ecclesiam, ad mysteria novi testamenti mystice traducta sunt. Non mirum; nihil enim hac interpretatione facilius; nullo quippe eget seu eruditionis, seu praesidiorum apparatu. Dicam tibi, mi Comes, quomodo sine labore magnus hoc in genere possis esse interpres. Quidcunque legeris in veteri testamento, vide in concordantiis annon ejus narrationis *verbum* aliquod aut *substantivum* recurrat etiam in novo. Id si est, paratum habes sensum. Leges ergo 3 Reg. 9. de Elia: *Ecce ad caput subcinericius panis et vas aquae; comedit ergo et bibit.* Christus autem dicit: *Ego sum panis vivus* — alibi: *Aquam quam ego dabo.* — Jam satis est, ut tuto dicas, *panis* et *aqua* Eliae sunt typus *Christi.* Sed leges quoque ibidem, quod paulo post iterum comederit propheta. Suspicaris mysterium: casu in mentem venit e grammatica hebraea, iterationem vocis intendere significationem: tu ergo inferas confidenter, repetitam Eliae refectionem, mysticam significationem habere, fidei non cuiuscunque, sed firmae et perseverantis, per quam quasi os applicamus ad fontem gratiae Christum. Quae cum scripsi, verba Magistri ex Instt. Tom. 2. pag. 163. Ed. 1. tibi transscripsi. Nega jam, si potes, sic interpretari et nugari synonyma esse.

Neque tamen in solo *Origene* excessus in modo fuit. Sunt apud alios quoque, etsi minus frequentia id genus exempla. Vide, an probare possis quod scripsit s. *Irenaeus:* „Sic et Raab fornicaria, omnium peccatorum rea, suscepit tres speculatores (Josuae 2, 1. tantum duo commemorantur) et apud se abscondit, *patrem* scilicet et *filium* et *spiritum s. n*)." Aut S. *Gregor. M.*, cui Rachel super idola patris, quae furtim abstulit, sedens, (dignum tantis numinibus operculum) „S. ecclesiam figuravit, quae Christum

n) Advers. Haeres. L. 4. C. 20. §. 12. p. 257.

sequens, terrenae concupiscentiae vitia poenitendo texit *o*).“ Alias autem id genus, aut ex erroneo sensu literali natas, aut ad arbitrium inductas mysticas interpretationes, obvie invenies; quorum quanta firmitas sit, intelliges ex principiis, unde fluxerunt. Sic *Augustinus* statuit regulam: Sanctorum peccata in veteri testamento allegorice exponenda esse, de futuris ecclesiae mysteriis, quod in sanctis illis non solum virtutes, sed etiam vitia figuram et prophetiam continebant futurorum. *Gregorius* autem M. „plerumque res quaelibet per historiam virtus est, per significationem (id est, mystice,) culpa: sicut aliquando res gesta, in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis *p*).“

Deflectunt quoque ad allegoriam, ubi litera gentilibus aut infirmioribus offendiculo esse poterat; qua de causa Hieronymus narrationem de Abisaig senem Davidem fovente *q*) interpretatur de ampliore in senibus sapientia, *ne*, ut ait ad Nepotianum, *si literam sequaris, vel figmentum de mimo, vel Atellanarum ludicra* referri videantur *r*). Ut plurimum tamen ad ornatum et aedificationem usurpant, ut captata hinc occasione morum proponant doctrinam.

Quodsi vero hac via aliquid asserere et firmare velis, eos ipsos tibi habebis contrarios, ut contra se probavit Magister tuus sic scribens: „Quis ait *S. August.* in Epist. ad Vincent. Donatist. non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifestissima testimonia, quorum lumina illustrantur obscura *s*)?“ Alias: „Et *S. Thomas* P. 1. Qu. 1. art. 10. de sensu literali loquens ait: „ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his quae secundum allegoriam dicuntur *t*).“ Addit quoque *Hieronymum* in Cap. 13. Matth. qui eos rideat, qui *tria sata* Matth. 13, 33. de *ss. trinitate* sumsissent: „Pius, inquit s. Doctor, sermo, sed nunquam parabolae et dubia aenigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.“ Addam alium Hieronymi locum. De Danielis

---

o) Moral. L. 30. Cap. 24. §. 72. *p*) ibid. Lib. 3. Cap. 28. §. 55. *q*) 3 Reg. 1, 2. *r*) Tom. 4. Part. 2. p. 257. 258. *s*) Instit. vet. test. Tom. 1. pag. 179 Ed. 1. *t*) ibid. p. 190.

prophetia capite 9 disserens, ait de Origene: quia non habebat locum allegoria, *in qua libera est disputatio*, historiae veritate conclusus — haec breviter adnotavit *u*)." Idem in Malachia: „Regula scripturarum est, ubi manifestissima de futuris prophetia texitur, *per incerta allegoriae* non extenuare quae scripta sunt *x*)" Sed imprimis memorabilis est eius praefatio in Abdiam *y*), ubi ait, ardore se provocatum olim, allegorice exposuisse prophetam, cuius historiam (id est sensum literalem) nesciebat: ignibus vovisse tardius, et prae pudore demisisse vultum, cum alter hunc partum extolleret. Audi denique *Tertullianum* de historia scripturarum loquentem: „Quis haec interpretabitur magis, quam recognoscet? res in literis tenentur, ut literae in rebus legantur. Ita non semper nec in omnibus allegorica forma est prophetici eloquii, sed interdum et in quibusdam *z*)." Sed Magistro tuo semper et ubique.

Vides ergo, mi Comes, quam facile ac leve hoc commentandi genus sit: facilius volumen implebis lusibus mysticis, quam unicum caput interpreteris literaliter, uti ipse de se docuit Hieronymus. Sed respondet etiam suum tam levi merci pretium. Ex se nulli usui est in demonstrando, ut fatentur patres; imo nec id quidem scire potes, quid lateat in symbolo, nisi divinus auctor literali sensu id explicet. Qua igitur fronte Magister tuus sensum literalem vocat *corticem*, nucleum autem et medullam mysticum sensum? Qua conscientia ut insidiatores scripturarum et fidei criminatur eos, qui levidense hoc literarum genus, *accommodatum plebi olim ex ratione temporum*, ab theologicis scholis hac aetate cupierunt remotum? An ille in relatis supra figmentis pro se habet *manifestissima testimonia*, ut ait Augustinus, quibus doceat per *vaccam rufam et bovem* humanam Christi naturam, per *leonem* autem divinitatem exprimi, ut centum alia ineptiora praeteream?

Tu ergo, mi Comes, si quaestio erit, an in veteri testamento exstent quaedam divinitus praeordinata symbola de Christo, id mea quidem opinione

---

u) Tom. 3. p. 1115. *x*) ad Mal. 1, 10. Tom. 3. p. 1815. *y*) Tom. 3. p. 1153. *z*) de Resurrect. Car. Cap. 21. p. 337. Ed. Rigal.

affirmabis; argumenta autem, si e nostris nemo tibi suppetit, sumes e *Neoterico* Protestante, *Davide Michaelis*, qui hac de re distinctum scripsit opusculum. Cynosuram autem hanc habebis perpetnam, ut nullam rem admittas symbolice propheticam, nisi id clare tibi dicat aliquis scriptorum novi testamenti. Cavebis autem diligenter, ne cum Magistro tuo ineptias, ut ubicunque apex recurrerit e veteri in novo testamento, prophetiam inesse putes. Distingues ergo caute, ubinam aliquid adducatur ob solam similitudinem, comparationem, accommodationem, aut etiam per argumentationem ex litera Tuus enim Magister ita praeoccupato est animo, ut argumentum sumtum e litera, non amplius distinguat a mystico. Etsi enim Paulus in epistola ad Rom. *aa*) Judaeos, qui ex carnali progenie, velut posteri Abrahae. omnia Messiae commoda sibi etiam sine virtutis studio deberi existimabant *bb*), sumto e litera argumento efficacissime urget exemplo Jacobi et Esavi; quorum etsi pater communis erat Isaac, multum tamen diversa fuerit fortuna, Magister tamen tuus firmissimum hoc argumentum commento mystico prorsus elisit, dum ait: „Ex duobus gemellis Rebeccae, Jacob figuravit novum, Esau vetus testamentum, testimonio apostoli ad Romanos 9, 10. *cc*)!“

Ego, mi Comes, tuo Magistro majorem poetam non nosco. Quis enim alius in Paulo haec mysteria invenisset? Homerus et Virgilius. ad illum effoetae sterilesque mentes, tam in reperiendo tardi, quam in fingendo segnes sunt. Crevit tamen facultas cum tempore, et qui tanta vidit in Genesi, in 3. libro Regum semetipsum superavit. Nosti enim, mi Comes, quod in dedicatione templi Salomonis nubes involverit aedem sanctuarii, et erumpentia fulmina absumserint victimas et holocausta, spectaculo prorsus magnifico; ut quondam in Sinai Exodi 19. eoque quater occurrere in ea narratione: „*Compleverat gloria domini domum domini dd*): et tamen Magister aliquid etiam amplius vidit sic scribens: „Templum Salo-

---

aa) 9, 10 — 16. *bb*) Matth. 3, 7 — 10. et Justin. in Dialog. c. Tryphon. Cap. 44. 125. 140. 141. *cc*) Instt. vet. test. Tom. 1. p. 452. Ed. 1. *dd*) 3 Reg. 8, 11. 2 Paral. 5, 14. et 7. 1 — 3.

monis dum dedicaretur, totum fuit in nebula, quia erat veteris testamenti, huiusque indolem expresserat *haec nebula*: in quo Christus eiusque mysteria obscure et quasi tantum per *nebulam* proponerentur, nondumque ista lux, quomodo est, splenderet evangelii *ee*)!" Verissimum mysterium, mi Comes; si enim Hebraei evangelium habuissent, non fuissent religione Hebraei sed Christiani. At nihil est, quod doleas de erepta templo gloria: si enim opus erit, Aegyptiacas tenebras illico vertet in nitidissimam lucem. Fatendum est, mi Comes, Neotericos in his tantis artibus esse tirones rudissimos.

Denique, mi Comes, sic statues: etiam quae symbolice vere prophetica sunt, magis ad Judaeos tum pertinuisse, quam hodie ad Christianos; ut nempe, si demiratores legis mosaicae viderent, in ipsis jam ritibus suis divinitus praeordinata fuisse quaedam, in quibus velut in imagine adumbrata essent fata adversa Messiae, immolationisque illius scopus et fructus, minus commoverentur talibus, ubi evenissent. Suspicere in talibus discas divinae oeconomiae consimilem sapientiam, quam Matthaei 16. expressam vides. Erat enim olim ut hodiedum de vitae austeritate oriente toto summa opinio et demiratio: quo ergo facilius ad Messiam, praeter coaevorum opinionem humilem, et tantum non vilem accederent Judaei, praemissus est Joannes in summa austeritate, velut viae ductor ad Jesum. Sed quoniam ea vitae ratio paucis consentanea fuit, Jesus, in summa virtute, quae nulli amplius mortalium in illo gradu propria erit, eum vitae tenuit modum, qui quavis aetate, in quovis vitae genere norma virtutis esset pro omnibus; quam etsi nulli datum sit penitus assequi, haberent tamen universi, quo indefesso studio appropinquarent. Et tamen nationi depravatae exemplum utrumque prope sine fructu fuit. Aestimabis ergo talia symbola impleta prorsus ut prophetias, etsi jam modo in demonstrando non sint usui, quia nemo est, qui ex agno Judaeis immolato Jesum victimam fuisse discere malit, quam ex aperta evangeliorum epistolarumque litera: nemo, qui expiationem nostram discere malit e Levitici 16, quam ex literali testimonio

---

ee) Instt. ver. test. Tom. 2. p. 148.

Christi et apostolorum; unde neque memini ullius theologi postremorum temporum, qui haec et similia mysteria per sensum mysticum demonstrare, sui putaverit esse officii, aut opportunum nobis, nedum ullis adversariis.

Tu ergo, mi Comes, caute distingue tempora: olim talia nemini erant offendiculo, sic enim tulit aetas, cum ea non solum in sacris, sed in profanis quoque frequentata sunt. Talia ipsa poscebat necessitas, quamdiu habuit usus, ut episcopi ab genesi usque ad apocalypsim populo interpretarentur scripturas. Quid enim te obsecro aliud facerent, de pericopa quodam horarum spatio disserentes? Quid literalis unicc sensus in Josuae, Judicum, Regum et Paralipomenorum libris faceret ad aedificationem, quando hi libri nec hoc quidem scopo proxime scripti sunt? Hic ergo diverticula quaerere, ad tropologiam deflectere cursum, et moderate vetus cum novo conferri testamento, nemo improbare potest: nisi impie arguere velis Gregorii Magni commentarium aureum in Jobum, etsi minima sui parte in Jobo fundatus sit.

Alter tum, mi Comes, summorum virorum scopus et finis fuit, dum episcopi ad confertam plebem dicebant: Institutio tum quaerebatur fidelium, non docta illa, quae omni praesidiorum ope literam urget, presse concludit argumenta, incredulo instat adversario, et effugia multa arte et eruditione quaesita praecludere tentat. Haec, mi Comes, apologetarum et exegetarum nostri temporis palaestra est: haec scholis propria, ubi non plebs rudis, nec cultior e seculo, sed magistri formantur ecclesiae. Alii nunc adversarii, alia sunt systemata, quibuscum comparati *Celsus*, *Porphyrius*, *Hierocles* et *Julianus* meri nugatores sunt. Alia utrinque sunt praesidia, multumque diversa pugnae forma. Veteres illi, hostes se profitebantur aperte, et se greges a fidelium coetu inter convitia plerumque et maledicta pugnabant, ipsa cruditate abominationem sui plerisque ingerentes: alia sunt haec longe inter adversarios hodie. Qui enim rationalismum revelationi subtrudunt, in cathedris sedent theologicis, membra sunt sui coetus, retento nomine Christiano. Vindices videri volunt, non hostes fidei, nocentiores, quod Christum non blasphemant palam. Sonat revelatio, sed naturalis illa e ratione et rerum finibus: sua laus prophetis,

sed mutata vocis notione: Inimicitia non minor ac olim, sed non eadem protervia: pugna pertinax et infesta, sed cultior, tantoque periculosior, quanto majoris eruditionis ornatu contegitur. Critices, philologiae, et antiquitatis opibus ita cuncta stipantur, ut vix suspicionem moveant incautis; tantoque persuadent certius id contineri in libris, quod ipsi finxissent, quanto paucioribus datum est, involuta tantis artibus discernere.

Qui ergo veterem illam communem publicamque *plebis institutionem*, post annos amplius mille, rerum facie usquequaque mutata, scholis nostris inferri volunt, uti manibus pedibusque laborat Magister tuus: hos, ut modestissime dicam, toto errare coelo, nec statum nosse quaestionis, nec pericula, nec praesidia perspicere fidei, jure tuo dixeris. Tu tamen, mi Comes, cum commilitonibus tuis perge porro etiam, *Jahnium* et *Neotericos*, qui pro vobis stant in acie adversus hostes religionis, ex dissensu scholasticarum opinionum mendaciis, calumniis et maledictis proscindere: quaesita vos tandem manebit gloria, et ipsum olim eruditione vincetis *Jahnium*, *Mayerum* totumque gregem *Neotericorum*.

§. 189.

Ut etiam ex *archaeologia* paradigma habeas, unicum, mi Comes, deligam objectum, e quo eruditam tractationem Magistri metiaris. *Siclum* argenti aestimat „quatuor sextis floreni Rhen. *a*)“ adeoque 40 Xris; *Siclum* vero *auri* „quinque aureis Hungaricis“ singulum per quatuor florenos rhen. et triginta Xr. *b*). Cum ergo auri et argenti talentum ter mille siclis constet, nullo labore erues, quantum unum quodque in nostra moneta efficiat. Modo si lubet confer 1. Paral. 22, 14. et 29, 3—7. ut intelligas, quot auri argentique talenta David, quot item principes populi in structuram templi Salomonici contulerint, quae tantum ex parte retulit Magister tuus *c*). Ego solummodo in genere ponam. Collata nempe sunt talenta:

---

a) Instt. vet. test. Tom. 1. Cap. 31. pag. 399. *b*) ibid. p. 401. *c*) ibid. p. 154.

Auri	Argenti
108,000.	1,017,000

Haec si per 3000 siclos multiplicaveris, et tam auri, quam argenti iuxta supra positum valorem ad nostram monetam redegeris, invenies summam fuisse:

Auri in flor. Rhen.	Argenti in flor. Rhen.
7,290,000,000.	2,034,000,000.

Summam autem universam

9,324,000,000.

Sic hanc summam in argento fuisse ponas, et per 2800 dividas, habebis argenti

Centenarios

3,329,999.

His autem transferendis opus erit plaustris quadrijugis, in singulum 60 centenarios computando:

57,166.

Equis autem:

228,664.

Si vero cuique plaustro cum quatuor equis praejunctis tribuas in longitudine hexapedas quinque, et milliare germanicum sumas per viginti mille pedes rhenanos, facient haec plaustra, sine omni interstitio, perpetuam seriem 85 *milliarium* et 13,980 pedum, id vero est, lineam rectam *Vienna* usque *Mediolanum*, uti obiter exploravi in Europae generali tabula Homaniana; vel etiam ab limitibus Austriae supra Posonium, usque ad extimum angulum Transylvaniae versus Turciam. Et tamen, mi Comes, hic thesaurus adhuc duabus tertiis augeri debet. Ut enim nosti, valor se habet in ratione inversa copiae: cum igitur post detectam Americam pretiosa metalla ex copia inde affluente, una tertia valoris exciderint, uti aurum olim in Syria, reduce Titi exercitu, parte dimidia *d*), et supponi possit, temporibus Davidis in ea Mechanicae et Montanisticae infantia vix ultra unam tertiam hodierni auri et argenti fuisse erutam; puto thesaurum illum ad nostra tempora comparatum, levissime aestimari *viginti millibus millionum*; quos equidem in Europa frustra quaeres, imo vereor, ut vel in toto orbe invenias.

---

d) Flav. Jos. de bello Lib. 6. C. 9. §. 1. Tom. 2. p. 391. Ed. Haverc.

Non putaram, mi Comes, Davidem mediocris regni principem, sine memorabili commercio aut fodinis, ante annos 3000 tam divitem opum fuisse, ut totam hodie Europam longissime superet, orbem aequet: eoque nunc primum sentio, quam recte tu supra §. 170., *Jahnii* studium in asserenda humanis praesidiis fide historica librorum improbes; quam recte etiam Magister tuus dederit operam, ut eos libros per *impulsum* et *flatum* scriptos comprobet. Video enim tantos thesauros a nemine ratione praedito credi posse fide humana, sed omnino opus esse fide prodigiosa, quae locum habere non potest, nisi juxta Magistrum §. 147. desinant esse verba eius, qui scripserit. Intelligo demum, cur vobis curae non sit humana sacrae historiae fides, magnum enim compendium est, adversus hostes fide niti divina; neque dubito vel pertinacissimum incredulorum demissurum cristas, ubi illi ostenderitis, quod ipsi hi libri semet divinos esse asserant! (supra §. 139.)

Quia vero haec tanta opum vis templo impendi non potuit, maxima parte adhuc superstites esse non dubium est, eoque vestris, mi Comes, fortunis egregie consulam, si animum induxeritis, amicitiam colere cum *Neotericis* in posterum. Hoc ergo pacto audi quod dicturus sum. Latent illae hodiedum in visceribus montis *Moriae*, cui templum per Salomonem impositum est *e*), et de cuius subterraneis cameris vide Libr. 1. Paral. *f*), Ezechielem *g*) et Tacitum *h*). Si autem praeter opinionem meam hic nihil foret, reperietis certe in monte Sion, in sepulchro Davidis *i*), de quo Flavius Josephus scribit: „Sepelivit autem Davidem Salomon Hierosolymis magnifice. Multas etiam ingentesque divitias cum eo sepelivit, quarum magnitudinem facile sit conjectare ex iis, quae dicturus sum. Nam post 1300 annos *Hircanus* pontifex oppugnatus ab Antiocho Pio, volens pecuniam ei dare, ut obsidione abstineret, aperta cella una monimenti Davidis, et inde deportatis *tribus talentorum millibus* (iuxta Magistri calculum, in auro 202,500,000, in argento 6,000,000) partem Antiocho dedit. Post hunc *Herodes* rex, alia cella reclusa, in-

e) 2 Paral. 3, 1. *f*) 28. 11. *g*) 8, 7—12. *h*) Hist. Lib. 5. C. 12. *i*) 2 Reg. 2, 10. Coll. 5, 7.

de magnas opes sustulit, verumtamen ad loculos, qui regum cineres continent, neuter illorum pervenit *k*)." Hae ergo in intimo delitescentes, vobis servatae sunt Assumto ergo Magistro, qui *Meriam* tibi primo obtutu ostendet, felicibus avibus agite negotium: ego ne minerval quidem mihi stipulor a vobis, adeo vos unice cupio beatos.

§. 190.

In tanta autem rerum istarum absurditate litigat tamen Magister tuus, mi Comes, cum *Jahnio*, super *minae* valore, quam ille erronee 100 siclis aestimet *a*), cum Ezechiel 45, 12. non nisi 60 siclorum valorem ei tribuat *b*). Iterum ergo dat operam, ne me lateat, quam ille rerum bonarum ignarus sit. Sed tu inspice *Jahnium* et videbis de *mina* Ezechielis citata pagina nullum esse vestigium. Docet autem siclum hebraeum *Moysis temporibus* aestimatum esse 20 *obolis*; quod ipsum expresse leges Ezech. 45, 12. antiquiora autem exempla addita sunt ex Exod. 30, 13. Levit. 27, 25. Numer. 3, 47. 18, 16.

Quod autem *mina* centum *siclos* contineat, eadem pagina perspicuo exemplo docet. In libro enim Paral. 2, 9, 16. dicitur Salomon fecisse „*trecenta scuta aurea trecentorum aureorum* (id est trecentorum siclorum auri) *quibus tegebantur singula scuta.*" Hoc idem autem factum Salomonis 3 Reg. 10, 17. sic refertur: „*trecentas peltas ex auro probato: trecentae minae auri unam peltam vestiebant*" juxta quae *mina* unicum siclum valeret. Sed quia hoc manifeste falsum est, praeferenda est lectio fontis: *tres minae auri unam peltam vestiebant*, atque huic exacte consentiunt etiam LXX. Interpr. Dum ergo pro his *tribus minis* locus Paral. habet 300 siclos auri, evidens est, *minam* tunc 100 *siclis* aestimatam fuisse. Quid ad hoc Magister, cui *mina* 60 siclorum placet? In trecentis siclis, inquit, *numerus tantum rotunde positus est, haud stricte c*). Quam insulse! id enim nec tum quidem dici poterat, si singulae *minae* seorsim ponerentur,

---

k) Antiqq. L. 7. C. 15. §. 3. et Libr. 13. C. 8. Lib. 16. C. 7. §. 1. de bello L. 1. C. 2. §. 5.

a) Archaeol. germ. vol. 2. §. 138. p. 48. *b*) Instt. vet. test. Tom. 1. C. 31. p. 399. *c*) ibid. p. 400.

ne dum ut modo de conjunctis. Quis enim pro 60, qui numerus aeque rotundus est, huius compendii causa 100, id est, fere alterum tantum dicat? Quia vero 3 *minae* per 60, faciunt 180, aperte intelligis, si ratio Magistri *de rotundo numero* stat, a Paralipomenon auctore dicendum fuisse 200, non vero 300, quod non compendium, sed mendacium foret.

Sed quid ad Ezechielem, qui 45, 12 *minam* 60 *siclis* aestimet? Quid aliud, nisi quod Magister tuus tiro in hac arte sit, *Jahnius* autem magister, Ezechiel enim illo capite contribulibus suis olim reversuris in patriam, mensurarum ponderumque normam tradit, quo ista reduces in pristinum statum restituant. Quia vero ignota per cognita illustrantur, et captivi necessitate usurpare debent suorum dominorum pondera et mensuras et vitae obviae rationem usque ad divinorum et legalium neglectum, cernis manifeste, *minam* Ezechielis esse *minam Babylonicam*, eoque 40 siclis minorem ea, quae supra in libris Regum 100 siclis aestimata est. Hoc non ignoravit Magister tuus, quia id tradit *Jahnius* post paucas paginas *d*) a loco superiore. Sed maluit *numerum rotundum* insulse fingere, quam rem paratam sumere ab *Neoterico*.

Sed tu, mi Comes, aperi oculos et vide quam gravis sit manus Nemesis super caput Magistri; quam dire illa ulciscatur *Neotericorum* contemtum, injuriasque toties illatas! De illis enim thesauris, in quibus § priore tam absurde agit Magister, jam ab seculi superioris dimidio inter doctos solutio plana constabat. Sumere paratam poterat a Jo. Davide *Michaelis*, aut etiam ab *Jahnio*: habet enim, legitque utrumque diligenter, sed eo unice fine, ut inveniat quae arguat. Quia vero horum summa penuria est, alia torquet, alia mendaciter subtrudit, quo velut alter Herostratus, ab illorum celebritate suae quantulaecunque consulat memoriae. Vid. §. 84.

Est nempe summus ille error Magistri tui, ut eo se doctiorem putet, quo plura scripsisset; eoque fit, ut sine intermissione scribens nunquam expendat adjuncta temporis, personarum, loci, et quae alia sunt necessaria. Hoc idem etiam in aestimandis his thesauris videas. Siclum ille aestimat, ut circa *Christi*

---

d) Arch. vol. 2. §. 140. p. 53.

tempora obtinuit *e*); atque hinc concludit ad *Davidis* aetatem 1300 anteriorem: cum tamen quisque intelligat, gentem 600 annis prius sedibus motam, tum autem alieno imperio subditam retinere non potuisse vetera instituta, cum nec Graeci quidem suis inhaeserint, et major minorve per secula metalli pretiosi copia suapte inducat mutationem. Accipe exempla. In Homero Achilles quatuor ponit praemia: 1. est mulier formosa, 2. equa mulo foeta. 3. lebes nondum igni admotus. 4. duo auri talenta *f*). Cum ergo ad graecum cothurnum monetas exigat Magister, eiusque calculo 2 auri talenta faciunt 135,000 fl. Rh., statues, quam pretiosa fuerit foeta illa equa, quae hoc pretium excesserat. Aliud simile exemplum habes ibidem *g*), ubi crater argenteus; tum bos pinguis; demum *dimidium auri talentum offertur.* Isthoc faciet 33,750 fl. Rh Si ergo bovem 10 centenariis aestimes, libra quaeque erit 33 florenis nostrae monetae. Nae istae rarae fuerunt cupediae Jovis!

Sed si ista non erant obvia, habebat in scripturis quae super errore calculi attentum facerent. Refertur enim capillos *Absolomis* annue appendisse 200 siclos *h*): juxta calculum Magistri 6 ℔ et $\frac{1}{4}$. Sensit id esse incredibile; ait ergo, non de pondere, sed de pretio haec intelligenda esse, quo „*a tonsore vel servis propter miram eorum pulchritudinem venirent!*" in commentario ad h. l. Accipe ergo aliud: Regis Ammonitarum diadema, quod occupavit David *i*), dicitur in pondere habuisse *talentum auri*; juxta Magistrum 93 ℔ cum $\frac{3}{4}$! Sed nec hic haeret aqua Magistro; audi commentum: „*Erat igitur tantum ad hoc diadema, quod solummodo in aliqua pompa regis capiti fuerit impositum, atque aliorum manibus sustentatum!*" in commentario ad h. l. Tom. 4. Credo, malles, mi Comes, diadema perticis sustentari, ne prolapsum e manibus, cerebrum elidat, aut regis confringat crura. Qui talium rerum, mi Comes, absurditatem non sentit, et in sana quaeque ingerere mavult, ne nihil dixisse videatur illum: nihilo aptiorem

---

e) Instt. vet. test. Tom. 1 §. 92. pag. 398. *f*) Iliad. L. 23, 262—70. *g*) ibid. 740—51. *h*) 2 Reg. 14. 26. *i*) ibid. 12, 30. *k*) Instt. vet. test. Tom. 3. p. 166.

judicem dices istorum, ac coecum de colore. Et tamen hic Aristarchus est, cui flectas genua; hic in Archaeologia videri vult magister *Jahnii*; in grammatica hebraea, praeceptor *Michaelis k*)! Profecto brevi jam et anser cantum docebit olores, et leves capiet lepores cancer.

§. 191.

Sed maximas licet *Davidis* opes longe superant tardiores *Herodis*, ut si illas demiratus es, his debeas adstupere. Doctum audi Magistrum, mi Comes: „Sed, inquit, Herodes postea istud (templum) ita evexit, ut huic in *splendore et opulentia* cedere vetus illud Salomonis debuerit *a*). Aestimabis ergo Herodem quoque, ut supra Davidem *viginti millibus millionum*, tametsi majora restant, quoniam superioribus subjungit: „Quemcunque tamen splendorem ei indiderat, dum tamen templum inferius splendore et magnificentia fuisse docet Josephus Libr. 1. de bello c. 16. *aedibus*, quarum alteras memoriae Caesaris, alteras Agrippae idem Herodes exstruxit; quae ista templi gloria etiam per Herodem fuit, qui Caesaris et Agrippae honoribus magnificentiores *aedes* fecit?"

Etsi multa absurda tibi, mi Comes, e Magistro retuli hactenus, hoc tamen vincit cetera. Audi ergo, quid dicat Josephus, quem in suam citat sententiam. De Herode M. loquens ait: „Cum *regiam* sibi in urbe superiore exstruxisset, duos *in ea* maximos oecos, quibus ne templum (naos, adytum) quidem ipsum ullatenus conferri posset, de amicorum nominibus appellavit; unum quidem *Caesarium*, alterum vero *Agrippium b*)." Adverte, mi Comes. hos *oecos* fuisse in *regia* Herodis, quod solum sufficit, ut non de *aedibus*, sed de *exedris* et *tricliniis* debeas cogitare. Formam eorum leges apud *Vitruvium* de architect. l. 6. c. 5. et 10. Nec minus illud advertas velim, Josephum *oecos* hos non comparare cum *templo* (*ιερον*), sed cum *adyto*, cum *sacrario* (*ναος*); demum non comparari *oecos* cum *adyto* in *opulentia*, ut tuus finxit Magister, sed unice in *magnitudine*. Ut autem de

---

k) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 166.

a) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 287. et Tom. 1. pag. 156. *b*) de bello l. 1. c. 21. §. 1.

his rite statuas, audi Josephum: *Sanctum* in templo *latum* erat 20, *longum* 40, *altum* 60 cubitorum. *Sanctum sanctorum* autem *cubus* 20 cubitorum. Joseph de bell. l. 5. c. 5. §. 5.

Hinc intelliges Herodi facillimum fuisse haec sacra conclavia *magnitudine* superare; imo splendore etiam et magnificentia. Ut enim vides, eorum proportio nequaquam juxta leges architecturae erat, quam in *tricliniis*, *oecis*, *exedris* sic ponit *Vitruvius*: „Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debebit. Altitudines omnium *conclaviorum*, quae oblonga fuerint, sic habere debent rationem, ut longitudinis et latitudinis mensura componatur, et ex ea summa dimidium sumatur, et quantum fuerit, tantum altitudini detur. Sin autem *exedrae aut oeci* quadrati fuerint, latitudinis dimidia addita, altitudines educantur *c*)." Haec de italicis. De *oecis* vero Graecorum. „Hi collocantur spectantes ad septemtrionem, et maxime viridia prospicientes. — Ipsi autem sint ita longi et lati, uti duo triclinia cum circuitionibus inter se spectantia possint esse collocata, habeantque dextra et sinistra lumina fenestrarum, valvata, uti viridia de lectis prospiciantur. Altitudines eorum, dimidia latitudinis addita, constituantur *d*). Demum: in his *oecis* fiunt virilia convivia *e*)." Fac jam ex his legibus duo strui triclinia, ornari picturis, caelaturis, statuis ceterisque consentaneis ornamentis, et habebis non majora modo, sed magnificentiora quoque sacrario, nec tamen centesima sumtuum parte cum templo comparanda. Tuus Magister nec ideam quidem habet magnificentiae templi Herodiani, quod Titus etiam invitis Judaeis servandum decrevit; quod ornamentum censuit Romani imperii; de quo demum, omnibus inspectis, non dubitavit asserere: multo quidem fama apud alienigenas meliora, jactatione vero et opinione domestica non minora esse *f*).

Dic jam modo, mi Comes, an tuus Magister intelligat, quae scribit? Pro duobus tricliniis *in regia Herodis*, fingit duas *aedes* ipso templo magnificentio-

---

c) Libr. 6. C. 5. pag. 174. Ed. Argent. *d*) ibid. C. VI. pag. 175. *e*) ibid. Cap. 10. pag. 183. *f*) Flav. Joseph. de bello l. VI. c. 2. §. 4. et Cap. 4. §. 3. et §. 7.

res et opulentiores! Templum Salomonis, ut vidisti §. 189. e calculo Magistri *viginti mille millionibus* stetit; magnificentia tamen inferius Herodiano, ipsumque hoc *opulentia* et splendore anteibant duae aedes *Caesarium* et *Agrippium*. Levissimo ergo calculo opes Herodis aestimare debebis *sexaginta millibus millionum*; quas ipsas iterum augebis una tertia, quoniam minor tum nobilis metalli copia tanto superavit valorem eius praesentem: ut adeo Herodes in templum, in duas fictitias aedes, nostri valoris summam impenderit 80,000,000,000 *octoginta millium millionum* e Magistri tui sententia. Quibus comparata Europa mendicabulum est; imo statisticus quisque liquido tibi jurabit, hunc thesaurum frustra quaeri in toto orbe terrarum. Oro te, mi Comes, an simile quid fieri poterat, nisi ut olim manna Hebraeis, sic nunc coelum auro pluisset Herodi? Multa tibi adhuc, mi Comes, ad haec archaeologiae monstra addere possem exempla errorum in rebus obviis, sed lubens supersedeo. Minus ego ista miror, qui a primordio norim, Magistrum tuum voluminibus augendis unice intentum, perpetuo scribere quae nunquam didicit. Illud tamen non possum non demirari, cum alioquin legibus publicis civium honori atque famae consultum sit satis, Magistro tuo, tuoque Commilitoni velut proprium esse privilegium, ut quoscunque libitum est, nullo mortuorum aut viventium discrimine, proscindant, calumnientur, et quaquaversum diffament impune.

Neoterici polytheistae.

§. 192.

Profiteor, mi Comes, amore veritatis, novam hanc *Neotericorum* dignitatem non totidem verbis a Magistro esse expressam; seu ut ex arte loquar, non sensu explicito, sed implicito solum esse traditam; qui ut nosti, si per necessariam sequelam deducitur, eandem cum priore habet auctoritatem. Exaltationis autem huius haec origo est. Quod vix exspectaveris, agens Magister de *Messia*, de ejus divinitate per paginas 10 disserit in archaeologia! Putes in aliquo dogmatico te versari. Objectum totius dissertationis

est dictum *filius Dei*, juxta illud Psalmi 2. „*Filius meus es tu, ego hodie genui te.*" Sed jam ipsummet audi:

„Modo, inquit, probabitur sic Christum in scripturis praedicari *filium Dei*, ut haec *divina nativitas* non sit ei communis *cum multis*, sed ei uni propria, per quam eandem cum Deo patre habens naturam, *verus sit Deus a*)." Cum ergo Magister tuus aciem adversus *Neotericos* direxerit, nisi omnino aërem verberat, quod absit dicere, negare non potes, *Neotericos* hic sisti adeo liberales, ut *divinam Christi nativitatem*, quam habet ex natura patris, communem faciant cum multis; adeoque per necessariam sequelam *polytheistae* sint! Suaviter recreat, mi Comes, *Neotericos* adversarios habere, qui volentes esse legis doctores, non intelligant, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Qui unicum filium Deo negarint, novi; qui multos consubstantiales dederint, Christianorum scio neminem, cum id nec emanationis quidem systema ferat. Alias ut nosti, *Neotericos* de Christi negata divinitate accusat; cur ergo nunc multiplicatae divinae sobolis faciat auctores, non intelligo. Demum per omnes decem paginas id unum ostendit, Christum esse Deum; at, quod Christus non habeat consubstantiales fratres multos, non verbulo monitum, tametsi huius solidam demonstrationem ipsa thesis postulat! Suspicor, in mentem tum venisse Magistro *Jahnium* et conceptum systema perturbasse sua praesentia: nam collecti certe hominis non est, quod tuus hic scripsit Magister optimus.

Cum igitur insigni mendacio centies objiciat *Neotericis*, filium Dei *semper*, *nunquam aliter*, quam de natura Christi humana ab iis usurpari; operae pretium erit indagare, an ea verba nunquam nisi de divina natura sonent: et quia Magister supremum exegeseos principium statuit ecclesiam et unanimes patres §. 28., quo is tandem prima elementa perdiscat exegeseos et dogmaticae, ostendam paucis *filium Dei*, aut certe eundem conceptum, etiam de humana Christi natura usurpari in scriptura, ecclesia et patribus.

---

a) Instt. vet. test. Tom. 1. C. 6. p. 119.

§. 193.

Priusquam tibi, mi Comes, meam sententiam approbem, juvabit nosse adversa Magistri momenta. Sic autem hac in re gnaviter verba fecit. „Paulus multifariam, inquit, multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis, novissime diebus istis, locutus est nobis in filio, *quem constituit haeredem universorum*, per quem fecit et secula. Hebr. 1, 1. Num iste filius Dei, per quem facta sunt secula, filius Dei, qui Deus sit, non est? Per filiumne hominem Deus fecit secula? De eodem Christo prosequitur dein Paulus: qui cum sit splendor gloriae, portans omnia verbo virtutis suae — tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: *filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quis est, qui omnia portet verbo virtutis suae, nisi Deus? Secundum humanamne naturam ergo Paulus Christum probat *filium Dei* esse inde, quod Deus ei dixerit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*? — Nec dicere Paulus potuisset, hoc: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ita esse a Deo dictum Christo, ut hoc idem nulli angelorum sit ab eo dictum *a*). — Litigans dein cum *Neotericis* et Davide *Michaëlis*, quaedam etiam ex prophetis addidit.

Tu quod voles senties, ego in his nihil nisi vocem tironis audio, qui nec duas in Christo naturas distinguat; non videat, quod jacet pro pedibus; et sermonem hodiernae scholae perpetuo confundat cum usu loquendi scripturarum. Duas cum Magistro tuo naturas tam credunt *Neoterici catholici* (dantur enim juxta illum etiam *Neoterici acatholici*; de quibus, cur idem nomen usurpet, haud magnum mysterium est) quam ipse Magister tuus. Dum ergo opera humanae naturae a divinis distinguunt, dici nisi ab imperito aut malevolo non possunt negare naturam Christi divinam; uti summe injuriosum vobis foret dicere, in Christo humanitatem negari a vobis, quoniam neglecto usu loquendi, et imperitia istarum rerum, quae humanae sunt, vos divinae adscribitis naturae.

a) Instt. vet. test. Tom. 1. §. 16. pag. 119 et 120.

§. 194.

Vobiscum, mi Comes, qui haeretis in cortice, a primis elementis inchoanda tractatio est. Adverte igitur, compellationem filius Dei, triplici sensu usurpari: supremo de *divinitate*, uti usurpat Paulus 1. cap. ad Hebraeos, dum illi conjungit divina: creationem, cultum divinum etc. Altero de *natura humana*, quatenus *virtute altissimi conceptus*, etiam qua homo proprie *filius Dei* est. Luc. 1. Tertio de *dignitate messiana*, summi nempe regis, quam humanae naturae convenire non dubium est.

De postremo jam audi. Conceptionem narrans Lucas, de Jesu ait ab angelo dictum: *Filius altissimi vocabitur, et dabit illi dominus Deus sedem* (thronum) *David patris ejus* etc. *a*) *altissimus* est notissimum nomen Dei, ut adeo idem sit ac si dixisset: erit *filius Dei*. Ad humanam autem haec pertinere naturam, quatenus Messias est, perspicuum fit ex addito *throno regnoque* Davidis, quod nisi absurde de Christo, ut Deo, dicere non potes, prout docui §. 177. et 179. Adde Lucam compellationis illius interpretem, qui refert, jussu Christi ejecta daemonia clamasse: *Tu es filius Dei*; Christum autem non sivisse ea loqui, quia sciebant ipsum esse *Christum b*). Coecus es, si non vides, ipsa nominum permutatione idem exprimi utrinque. Adde tentationis historiam apud Matth. 4. ubi malignum spiritum tam hebetem fingere non potes, ut si propter 3, 17. sub *filio Dei* verum Deum suspicatus est, latriae cultum *c*) ab eo sibi posceret.

Adde ipsiusmet Jesu et evangelistarum interpretationem: Petrus profitetur: *Tu es Christus filius Dei vivi d*); Jesus autem subiungit: ut nemini dicerent, quia ipse Jesus esset *Christus*; ibid. *e*) quod si nondum tibi satis est, confer Marcum, qui eandem Petri professionem referens, simpliciter posuit: „*tu es Christus f*)," Lucas autem „*Christus Dei g*)." Puto autem, quod nec Marcus discipulus, nec Lu-

a) Luc. 1, 32. *b*) ibid. 4, 41. *c*) Matth. 4, 8—10. *d*) Matth. 16, 16. *e*) ibid. 20. *f*) Marc. 8, 27. *g*) Luc. 9, 20.

cas Petrum digna laude voluerint fraudare. Si in Marthae dicto: *tu es Christus filius Dei vivi h)* inest divinitatis professio, quomodo in subsequis Jesum, qui jam promiserat: *resurget frater tuus i)*, de fratre sibi reddendo desperans, a spelunca avocare potuit, dicens: *Domine jam foetet, quadriduanus est enim k)*? Demum quomodo Judaei dicere poterant Pilato: *nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit l)*? An Moyses Christi divinitatis hostis fuit? aut si idem professus esset alter, an miser morte plectendus erat, qui utpote delirus, helleboro unice haberet opus? Sed dic, ubi ea lex exstat, quae Judaeis hic pro norma fuit? Nullam invenies in toto veteri testamento, nec ipsi eam supponunt ad literam; sed argumentantur ex analogia in hunc modum: Deuter. 18, 20. poena mortis irrogatur, qui mendaciter se *prophetam* venditet: ergo tanto magis, qui *Messiam* falso prae se ferat. An denique ipsi Judaei clare non edixerunt, quid per *filium Dei* intelligant, dum v. 12. subjungunt: *omnis, qui se regem facit, contradicit Caesari?*

Puto, mi Comes, si in ulla sententia usum loquendi rite tenemus, in hac quidem certe tenemus; in simili scilicet contextu compellationem *filii Dei* usurpari de dignitate Messiae, quae humanae naturae est, de summo illo rege, qui in omnium tunc votis erat; nec nisi sic intellecta sententia, vitari absurda Magistri tui, qui *filium Deum* orare facit *patrem Deum*, ut sibi det gentes in haereditatem! §. 177. et 179.

Quid autem faciet Magister tuus cum tot sententiis, in quibus Jesus de patre suo loquitur? Lege Joannis 5, 17 — 43. „Pater, inquit, meus usque modo operatur, et ego operor (17); *non potest filius a se facere quidquam* (19); Pater diligit filium et *omnia demonstrat ei* (20); Pater omne judicium dedit Filio (22). Potestatem ei dedit judicium facere, *quia filius hominis est* (27). *Opera, quae dedit mihi pater*, ipsa testimonium perhibent de me, quia *pater misit me* (36). *Ego veni in nomine patris mei* (43).“ Quis est

---

h) Joan. 11, 27. i) ibid. 23. k) ibid. 39. l) Joan. 19, 7.

filius hominis, qui judicium faciet? Ad humanam naturam id pertinere evidens est, seu dictum sumas pro *homine* simpliciter, seu quod aptius, pro *Messia* juxta Dan. 7, 13. Sed nec minus cetera eo referenda sunt, tametsi adjuncta habent quaedam divina, quorum altero alterum non excluditur, sed unum quodvis pro substrata materia, jam in hac jam in illa relatione sumendum est.

Alias ait: „*Cum exaltaveritis filium hominis*,“ tunc cognoscetis, *quia a me ipso facio nihil*, sed sicut *docuit me pater*, haec loquor *m*). Si Deus illius pater est, tunc Jesus est *filius Dei*; quae compellatio, si ad divinitatem referenda est, quomodo *exaltatio*, id vero est crucifixio, quomodo *filii institutio* locum habebit?

Alias autem Christus coeco curato ait: *Tu credis in filium Dei?* coecus reponit: *quis est domine?* Jesus: *Et vidisti eum et qui loquitur tecum ipse est n*). An hoc non est de Messia dictum secundum humanam naturam?

Quid autem ad illud „*Pater major me est*? Si pater major: ergo filius patris, *filius Dei* minor est patre *o*). Scio id de divinitate Filii a quibusdam antiquis exponi, quoniam pater principium sit filii. At coactum hoc esse, et contextui contrarium in aperto est. Fatearis ergo Jesum secundum humanitatem esse *filium Dei*, id vero est, *Messiam*.

Demum Actorum 2 ait Petrus: *certissime sciat omnis domus Israël, quia et dominum eum* (Jesum) *et Christum* (Messiam) *fecit* (constituit) *hunc Jesum, quem vos crucifixistis p*).“ An clarius aliquid postulabis Jesum, *filium Dei*, secundum humanam naturam esse Messiam? Adde his Paulum ad Corinthios: „Cum subjecta fuerint illi (Jesu) omnia, tunc et *ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*, ut sit Deus omnia in omnibus *q*).“ Contradictiones apertas Magistri tui in commentario cum iis, quae tradit in institutionibus non commemoro; ibi enim, quoniam *Jahnius* adhuc ignotus fuit, sequitur, quod res ipsa ostendit; ut et illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* ad humanitatem referat: nunc ex livore contraria placent, quo *Jahnius* non coecus modo, sed et

---

m) Ibid. 8, 28. *n*) ibid. 9, 35—37. *o*) ibid. 14, 28. *p*) Act. 2, 36. *q*) 1 Cor. 15, 28.

impius videatur. Iterum ergo quod nec ipse credit Magister tuus, id contra *Jahnium* attulit, uti jam fecit §. 186.

§. 195.

Nunc videbis, mi Comes, incredibilem incogitantiam tui Magistri (n eadem tractatione *a*) ait: Quin ii quoque, qui Jesum *agnoverant esse Messiam*, qui *eum adoraverunt*, qui *Dei filium* esse confessi sunt, ut Nathanael dicens: Rabbi, tu es *filius Dei b*) et alii „venerunt et adoraverunt eum dicentes: *vere filius Dei es c*); non statim agnoverunt Christi divinitatem. Hic ergo, qui licet Christum *filium Dei* confessi sunt praeter Petrum, non tamen *filium Dei* secundum naturam divinam confessi erant. Clara enim et aperta divinitatis Christi praedicatio, dilata etiam ab ipso Christo ad tempus post suam a mortuis resurrectionem, et usque ad spiritus s. effusionem reservata est.“ Quaero: si juxta Magistrum *filius Dei* divinam indicat naturam, quid ergo discipuli hi confessi sunt, dum et *Messiam* et *filium Dei* fatebantur, non tamen divinam Jesu noverunt naturam? Vel dicere debes, eos fudisse verba sine sensu, dum vocarunt *filium Dei*; vel fateri, illos fuisse *Neotericos*, et hanc compellationem usurpasse de messiana dignitate juxta naturam humanam. Neque enim vel eo sensu compellationem usurpare poterant, quo Christus etiam qua homo est *filius Dei*; quia conceptionis mysterium adhuc tum latuit, ut vides e Joan. 1, 45. ubi Philippus illum vocat *filium Josephi* Hoc, etsi clarum est, tamen ut Magister tuus intelligat, quam ille nihil in his rebus obviis sapiat, nec sibi cohaereat, paucis illustrabo.

Juxta Joannem Andreas Simoni refert: *invenimus Messiam d*). Philippus, qui ideam de Jesu Messia haud dubie a suis concivibus Andrea et Petro *e*) hauserat, ait Nathanaeli: *quem scripsit Moyses in lege et prophetae* (Messiam) *invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth f*): huic apte reponit Nathanaël: *a Nazareth potest aliquid boni esse g*)? Haec enim de eo loco opinio non tunc solum, sed hodiedum inter Turcas

---

a) Instt. vet. test Tom. 1. pag. 124. *b*) Joan. 1, 49. *c*) Matth. 14, 33 *d*) Joan. 1, 41. *e*) ibid. 44. (*f* ibid. 45. *g*) ibid. 46.

obtinet. Tum autem illico vidit Nathanael, Philippum decipi vel circa Jesu dignitatem, vel certe in loco originis, cum non possit non esse Pseudo-Messias, qui originem trahat e Nazareth, clare testante Micha, Messiam nasciturum in Bethlehem *h*). Nihil igitur habens Philippus, quod reponat, ait: *veni, vide.* Jesus vero de Nathanaele ait: „*ecce verus Israelita, in quo dolus non est. — Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te i*)." Dum igitur Nathanael reponit „*Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel k*)," quid aliud dicere voluisse censendus est, nisi quod antecedenti concivium et Philippi judicio, et inopino Christi responso consentiat, *tu es Messias?* Dixit autem per appositionem duplicis compellationis idem significantis iuxta usum receptum, ut videre potest supra in responso Petri et Marthae. Juxta Magistrum autem tuum, quoniam ultro dat, Nathanaelem nihil de Jesu divinitate novisse, verba *tu es filius Dei*, vel soni erunt sine sensu, vel idem significabunt cum altero: *tu es rex Israel*; eoque hunc verum Israëlitam, unaque doctum in lege et prophetis, tamquam *Neotericorum* auctorem et principem suspexi dudum, nec colere desinam.

Sed nunc, mi Comes, fingentis libere Magistri incohaerentiam ausculta. Supra §. 177. Psalmum 2. literaliter exposuit de Davide, *typice* de Messia. Qui fit igitur, ut ejusdem Psalmi sententiam: „*Filius meus es tu, ego hodie genui te*" nunc (§. 193.) ad omnem literae rigorem urgeat contra *Jahnium?* Qui fit, ut quod prius literaliter sonuit de Davide homine, nunc de Christo Deo unice sonet? Aut quid id est in Davide ad literam, quod pariter ad literam Christo *Deo* conveniat? Ut video, Magister tuus tam facile suas mutat sententias, ut comicus calceamenta, nunc humili socco, nunc alto incedens cothurno. Nihil tamen sine causa: mutatus enim sententiae sensus novum praebet contra *Neotericos* argumentum; nec curat, si fronte secum pugnat aperta, modo sit, quo obtrectet *Jahnio.* Sed, dum sic agitis pro lubitu, nullis nixi principiis, queri desinatis contra adversa-

---

h) 5, 2. Coll. Joan. 7, 40 — 43. *i*) Joan. 1, 47. 48. *k*) ibid. 49.

rios, dum nostra alio trahunt, aut in nos ipsos convertunt.

§. 196.

Nunc jam, mi Comes, ut intelligatis, id, quod supra §, 178. de Psal. 2. docuit *Jahnius*, apprime catholicum esse, praecipuos quosque antiquorum in medium adferam. Primus sit:

Justinus, qui in apologia 1., ubi ad probandam *incarnationem*, inde a §. 31. praecipuas quasque prophetias, exorsus ab Genesi protulit: postea §. 40. ostendit: „quomodo factam ab Herode ipsisque Judaeis cum Pilato adversus Christum coitionem narrat (David); quomodo a Deo *filium* vocari dicat, ac patrem polliceri subjecturum se illi omnes inimicos etc. *a*)." His autem per extensum subjicit Psalmum 1 et 2. addens §. 42. „David annis mille et quingentis ante quam Christus homo factus crucifigeretur, supra dicta pronunciavit." Est ergo clarum, quod et *filium* et promissa de subjiciendis *gentibus* ad humanam naturam retulerit.

Irenaeus, mystice exponens historiam Jacobi patriarchae de Christo et ecclesia ait: ut Jacob calcaneum fratris apprehendit, sic etiam Christus tenuit calcaneum adversarii, id est victoriam, iuxta illud: *exivit vincens ut vinceret b*). Iterum: ut junior Jacob fratris senioris primogenituram accepit; sic gentes, populus junior, susceperunt Christum primogenitum, quem populus senior repulit dicens: *non habemus regem nisi Caesarem c*). Et post alia: ut variae oves merces fiebant Jacobo, sic et merces Christi ex variis gentibus coaluit, „quemadmodum pater promisit ei dicens: *postula a me et dabo tibi gentes, haereditatem tuam* —" ut denique Jacob omnia faciebat propter Rachel juniorem, quae praefigurabat ecclesiam, sic et Christus propter hanc sustinuit *d*). Vides opinor, quae de Christo hic dicuntur, ad ejus humanitatem referri, eoque et psalmum de hac intellectum fuisse Irenaeo.

Tertullianus de patre ait: „apud illum sunt divitiae haereditatis in sanctis; qui eam haereditatem ex

---

a) Pag. 69. Ed. Maur. *b*) Apocal. 6, 2. *c*) Joan. 19, 15. *d*) Libr. 4. C. 21. §. 3. pag. 258. Ed. Mass.

vocatione nationum repromisit: *postula de me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Ille inoperatus est in Christum valentiam suam, suscitando eum a mortuis, et collocando eum ad dextram suam, et subjiciendo ei omnia; qui et dixit: *sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quia et alibi spiritus ad patrem de filio: *omnia subjecisti sub pedibus ejus e).*"

Clemens Alex. ait: „Jam vero ex persona Dei, domino dictum est: *pete a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam:* petitionem maxime *regiam*, docens, hominum salutem petere sine mercede, ut nos simus haeredes et possideamus dominum *f*)." Vides utique per vocem *regiam*, ad Messianam alludi dignitatem, quam humanitati esse propriam §. 194. docui.

Origenes. Ut nosti, e commentario viri huius in Psal. 2. magna pars intercidit, nihilominus tantum adhuc superest, ut vos auctoritate ejus in ruborem dem. Ubi ad illud: *dirumpamus vincula eorum* — praemisit, haec ad Christum pertinere „*et quae in incarnatione eius futura erant g*); postea ad versum octavum: *postula a me et dabo tibi gentes* — sic scribit: „constitutus est enim quatenus *homo*, haeres omnium per dispensationem, ut deinceps tamquam ad se spectantem et propriam haereditatem conservaret, eos. — Quin peracta jam dispensatione, de nobis ad patrem suum dicit: *quos dedisti mihi de mundo, tui erant, et mihi eos dedisti.* Considera vero, quomodo ad divitias sibi secundum carnem competentes, ascendat etiam cum carne. Si enim ii, qui in mundo erant, patris erant, utique intelligi possunt etiam aliquo modo esse verbi, cuius consilio cuncta gerit: siquidem etiam dixit: *omnia mea tua sunt, et tua mea, et clarificatus sum in eis.* Quomodo igitur postulare jubetur, et accipit quidem in haereditatem gentes, possessionem vero facit terminos terrae? Nempe cum homines salvari vellet, genitor ac pater verbum unigenitum in mundum hunc misit, ut caro factum, et comprehensum, et natura non mutatum, praedicaret captivis indulgentiam et coecis visum.

---

e) Contr. Marc. L. V. C. XVII. p. 481. Ed. Rig. *f*) Strom. L. IV. C. 22. p. 625. Ed. Pott. *g*) Select. in psal. Tom. 7. pag. 229. Ed. Virceb.

Itaque quamvis ob humanitatem dicatur accipere, et haeres constitutus esse, non ignoremus dispensationem." Auctor sum vobis, ut ab hoc viro discatis in Christo humana discernere a divinis *h*).

§. 197.

Basilius: „Nobilis ille mundum peccati imperio subjectum, et inimici tyrannidi subditum videns, et statum principe carentem miseratus, rex eorum fieri non recusavit: *oportet enim illum regnare*. — Postquam igitur venit in locum hunc terrenum, in regionem videlicet procul a Deo remotam, ut imperium in gentes acciperet, iuxta illud psalmi dictum: *postula a me et dabo tibi gentes a*)." —

Idem: „Dominus noster Jesus Christus unigenitus Dei viventis filius, cum post resurrectionem ex mortuis accepisset Dei patris promissionem per prophetam Davidem dicentis: *filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me*, assumsissetque discipulos suos, eis primum dandam sibi a patre potestatem declarat his verbis: *data est mihi omnis potestas*, et tunc mittit ipsos dicens: *euntes docete omnes gentes b*). — Confer §. 178. 179.

Idem: „Cum igitur dominus noster Jesus Christus dixisset: *nisi quis renatus fuerit* — et rursus: *nisi quis natus fuerit ex aqua*, — et post sesurrectionem ex mortuis (adimpleto in se vaticinio Davidis, qui ex persona Dei ac patris dixerat: *Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me*), tum demum discipulis suis praecipit dicens: *euntes docete omnes gentes c*)." — An vides resurrectionem pro nova nativitate et messiani regni initio sumi?

Chrysostomus. Huius doctissimi patriarchae, ut nostis, prolixi in psalmos commentarii supersunt; in primum tamen et secundum malo vestro penitus interciderunt. Ego nihilominus non committam, ut indonati abeatis, cum e commentario in epistolam ad Hebraeos affatim suppetant, quae vestro arrideant palato. Sic autem ait de apostolo: Pulchre autem sic

---

h) ibid. pag. 233. §. 197.

a) Comment. in Isai. C. 13. Tom. 1. pag. 579. Congr. Maur. Paris. *b*) de baptism. L. 1. c. 1. §. 1. Tom. 1. p. 624. *c*) ibid. §. 6. p. 633.

incipit: „*multifariam, multisque modis.* — Quamobrem non in hoc solum est praecellentia, quod ad illos missi sunt prophetae, ad nos autem filius: sed etiam, quod illorum nullus vidit Deum, vidit autem filius unigenitus.‘ Et hoc quidem non statim ponit, probat autem per ea, quae deinceps sequuntur. Nempe quando dicit de *humanitate:* „cui enim angelorum dixit: *Filius meus es tu? et sede ad dextras meas d)?*“

Idem ad illud: „*quem constituit haeredem universorum.* Hic dicit *carnem;* sicut et David in secundo psalmo: *postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Non est enim amplius pars domini Jacob, neque sors eius est Israel, sed omnes *e*).“

Idem ad illud: „*locutus est nobis in filio.* Nomen *filii* est commune. Ubi enim intellectus fuerit proprius et germanus, est superior universis. Interim autem quomodocunque sit, adstruit, quod sit e superis. Vide autem, ut *in humiliore gradu* primo statuat. *Quem constituit, inquit, haeredem universorum.* Illud: *constituit haeredem*, est *humile et abjectum.* Dein in superiori gradu eum constituit subjungens: *per quem fecit et secula,* Dein in altiori, et post quem non est alius; *qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius.* Revera duxit ad lucem inaccessibilem, ad ipsum plendorem. Et priusquam tenebrae accedant, vide quomodo rursus eum sensim demittit, dicens: *portans omnia verbo virtutis suae, cum per se ipsum fecisset purgationem peccatorum nostrorum, sedit ad dextram majestatis.* Non dicit absolute, *sedit*, sed post purgationem sedit: apprehendit enim *incarnationem.* Et rursus loquitur humilia. Dein rursus cum magnum quid esset locutus: *ad dextram* enim inquit *maiestatis in excelsis*, revertitur ad id, quod est humile: *tanto melior angelis factus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Hic deinceps loquitur de eo, quod pertinet ad *carnem.* Illud enim *factus melior*, paternam non significat essentiam — sed carnalem essentiam. Sed non nunc agitur de essentia, sed sicut Joannes dicit: *qui post me venit, ante me factus est*, hoc est prior, honoratior, splendidior; ita hic quoque Paulus: *tanto melior angelis fa-*

---

d) Homil. 1. in Ep. ad Hebr. §. 1. Tom. 12. p. 5. Ed. Montf. Paris. *e*) ibid. p. 7.

ctus, hoc est probior, et melioris existimationis, *quanto excellentius prae illis nomen haereditavit.* Vides, quod agitur de eo, quod pertinet ad *carnem f)*?“ Confer his hariolationes tui Magistri supra §. 193. et senties, quid intersit inter magistrum et tironem.

Idem. E ceteris operibus unicum locum adferam. Ad mulierem Chananaeam aiebat Christus: *non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel:* Matth. 15, 24. Ad quae sic loquentem mulierem inducit: „Hoccine totum est? ideone homo factus es, — ut unum servares angulum et hunc pereuntem? — Atqui non hoc dicunt prophetae; sed proavus tuus *secundum carnem* quid loquitur? *postula, inquit, a me et dabo tibi gentes g).* —

§. 198.

Hieronymus ad illud: *itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius et haeres per Christum.* Gal. 4, 7. Quod si filii estis, consequenter vobis debetur haereditas; ut quomodo spiritum filii Dei accipientes facti estis filii Dei, ita in libertatem de servitute mutati, haeredes sitis cum haerede patris Christo Jesu, qui ex persona hominis assumti loquitur in psalmo: *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes a).*“

Augustinus ad illud: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, hodie genui te.* „Quamquam etiam possit ille dies in prophetia dictus videri, quo Jesus Christus *secundum hominem* natus est: tamen *hodie*, quia praesentiam significat, atque in aeternitate nec praeteritum quidquam est, nec futurum, sed praesens tantum; divinitus accipitur secundum id dictum, *ego hodie genui te*, quo sempiternam generationem virtutis et sapientiae Dei, qui est unigenitus filius, fides sincerissima et catholica praedicat *b*).“ Philosophica haec et theologica animadversio, de aeternitate et unigeniti sempiterna generatione, vera est; sed nullum fundamentum habet in voce *hodie.* Vide quid alibi dicat s. Doctor de sermone scripturarum: Nullo

---

f) Ibid. §. 2. p. 8. 9. *g*) Homil. de Mul. Chan. Tom. 3. p. 437.

a) Comment. in Cap. 4. Epist. ad Gal. Tom. 4. Part. 1. pag. 269. Ed. Mart. *b*) Comment. in psal. 2. Tom. 4. p. 5. Ed. Maur.

ait locutionis genere loquitur scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur, quia utique hominibus loquitur *c*).“ Quod si verum est, ut est verissimum, stare posterior interpretatio non potest, quia in nullo humano sermone, quod sciam, *hodie* pro *aeternitate* usurpatur. Sed neque in scriptura ullum huius usus loquendi exemplum est; ad eam enim proprietatem exprimendam adhiberi solet, aut vox *aeternum*, vel „*antequam mundus fieret* et alia similia. Paulus certe assimilare volens Melchisedechum filio Dei, ait, illum esse „*sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens d*), et alibi: *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula e*). Si *hodie* aeternitatem sonat, cur addit de praeterito *heri*, et de futuro *secula?*

Ceterum vide modestiam s. Doctoris, qui etiam priorem sensum, quem posuit, non improbat; ubi tamen Magister tuus irritati crabronis ad morem fertur in omnes, qui hic aeternam generationem non vident. Quanto melius superiores, imprimis s. Basilius, qui de regia Christi dignitate, quam ab resurrectione, velut altera nativitate auspicatus est, intellexit sententiam, et quem tropum etiam ecclesia in suo hymno dominicae in albis frequentat, dum canit: *Qui natus olim e virgine, nunc e sepulchro nasceris.* — Idem tamen Augustinus, versu 8.: *Postula a me et dabo tibi gentes* — ad humanam refert naturam, dicens: „*hoc iam temporaliter secundum susceptum hominem, qui sacrificium se obtulit pro omnibus sacrificiis f*). —

Cyrillus Alex. „*Isachar* exponitur *merces.* Potest autem quantum ad nominis significationem typus et imago esse illorum, quae loco *mercedis* a Deo ac patre tributa sunt Christo. Ait enim David: *pete a me et dabo tibi gentes*; — et rursum idem quasi commemorat eos, qui dati sunt Emmanueli: *ecce haereditas domini, filii, merces, fructus ventris.* Psal. 126, 3. Qui enim crediderunt tum ex Israel, tum ex multitudine gentium, sunt quasi *merces* dati Emmanueli. Porro Jesum appellavit *dominum* et *fructum ventris* factum, *propter nostram similitudinem g*).“

---

c) De Trin. L. 1. Cap. 12. *d*) Hebr. 7, 3. *e*) ibid. 13, 8. *f*) Comment. in psalm. 2. Tom. 4. pag. 5. *g*) Glaphyr. in Gen. L. 7. de Isachar. Tom. 1. p. 227. Ed. Aubert Paris.

Idem: „Humiliavit (Jesus) semetipsum, et humiliationis vilitatem alia ratione constare non comperiemus, quam quod interdum ut homo loquatur. Huic suffragatur, quod per psalmistam rursus sub eius persona propter nos humano more dictum est. *Ego autem constitutus sum rex ab eo Sion.* — Nam qui cum Deo patre semper regnat; qui in eodem throno considet, ut Deus cum Deo patre, regem se constitutum fatetur ac dominum, quae habebat ut Deus, accipere se dicens *cum factus est homo*, cui homini potestas regnandi natura non inest, sed cum ipsum dominationis nomen, tum res ipsa utique adscititia est *h*).“

Idem, commemorans illud Matth. 3, 16.: „*vidi descendentem spiritum de coelo, et manentem super eum*,“ subjungit: „ipse vero dicitur accepisse (spiritum) quatenus homo factus est, et quatenus homini conveniebat accipere, et quemadmodum licet filius existat Dei ac patris, ex ejus substantia genitus, etiam ante incarnationem, imo ante omnia quoque secula: non gravatur tamen audire Deum ac patrem se compellantem, postquam factus homo est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te i*).“

Idem. Cum adversarii dicerent Christo olim imperium adimendum, ille reponit: „Dixerim vero ipsum quoque patrem mentitum, cum velut *incarnato filio* dicit: *postula a me, et dabo tibi gentes.* — Ubi enim filii demum esse censebitur haereditas, si patri traditur *k*)? Adde *Theodoretum* supra §. 177. Si de his rebus recte sentire et rite loqui cupitis, commendo vobis sancti viri hujus dialogum 6. de trinitate *l*), ubi, quae propria sunt humanitatis in Christo, clare digesta videbitis.

An vos pudet tot patribus adversari, qui §. 28. in his posuistis summum hermeniae principium? qui §. 85. et 105. polliciti estis, imo etiam iurastis, nunquam nisi ex unanimi patrum consensu interpretari? An pudet mendaciorum, quibus lectores perpetuo fallitis, dum nihil praestatis eorum, quae pollicemini (§. 105. 152, 172.)? Confido, has vobis artes non pro-

---

h) Idem in Comment. Joan. Lib. 3. Tom. 4. p. 253.
i) ibid. L. 5. p. 472. *k*) de Trinit. Dial. 6. Tom. 5. p. 613. *l*) ibid. a pag. 587 — 630.

fecturas in posterum, nec tam expeditum fore, ut imponatis incautis, et proditae fidei insimuletis integerrimae fidei scriptores, qui vobis haud paulo plus sapiunt.

Paradoxa, Pugnantia, aliaque ornamenta Dissertationis Romanae.

§. 199.

Istorum, mi Comes, in tuo scripto tam laeta seges est, ut messem offerat uberrimam, si non taedeat laboris. Ego tamen non plus deligam, quam opus est, ut lectores intelligant, te nihilo prudentius causae huic commodasse operam, ac Phaëton olim solis regendam quadrigam sine consilio arripuit. Profuerit autem et tibi forte hic labor meus, ut si quid moliri parabis in posterum, prius cautius expendas, quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Scribis de *Augusto Ernestio*, viro doctissimo: „Theologus Lutheranus, cui praecipue debetur distinctio theologiae a religione in Germania, ex qua omnes exitiosae religioni novitates ortae sunt *a*).“ Docuisti ergo academiam religionis catholicam, te nondum etiam ne id quidem videre, quantum theologia distet a religione. Ego profecto non te instituam in primis theologiae elementis, quae nostri non ignorant tirones. Tria solum verba ponam mei quondam magistri, ne tuo quidem suspecti hodego: „Theologia, inquit, disciplina humana est, hominum relicta arbitrio; contingere igitur in hac quoque, uti in humanis omnibus, quod emendari poscat, potest. — Et contigisse, quis non prorsus in republica literaria hospes neget *b*)?“ Tibi ergo dictum puta: non omnes, qui citharam habent, citharoedi sunt; nec qui socii, perinde et docti.

§. 200.

Alibi scribis: „Jesus Christus nemini latere potest, doctrinam legesque tantum sermone, non vero scripto evulgavit. Apostoli vero et evangelistae *omnia*, *quae*

a) Pag. 97. in Not. 43. *b*) Fr. Krommer Instt. hist. lit. theol. dogm. §. 1. p. 1.

dicta et revelata fuere, literis mandarunt longe post excessum servatoris; et quia in codicem relata sunt, neque certiora neque firmiora, neque diviniora sunt, ac vera esse destiterunt. Materialis scriptura communicationis ratio ne dijudicatur, et semita tutior, et magis generalis erat, ut in sua veritate, puritate et divinitate servaretur. At mera scriptura nonne mutationi aut depravationi, aut fraudi, aut imperitiae obnoxia erat *a*)?" Qui magister esse volueris doctorum, et non ignobilium scriptorum Aristarchus, scire saltem oportuit, quod nostris de trivio pueris traditur in catechismo, ubi habetur:

Interrog. Quid intelligitur sub verbo Dei non scripto?

Resp. Sub verbo Dei non scripto intelligitur fidei morumque doctrina, quam apostoli vel ex ore Jesu Christi, vel ex inspiratione spiritus s. didicerunt et praedicarunt, non tamen in scriptum retulerunt.

Plura te docebunt dogmatici et polemici in centro unitatis: ego vero, Romanus cum sis, per Protestantes te docebo saniora, cum opportune mihi redditum sit opus postremum egregie docti abbatis Max. *Prechtl b*), ubi pag. 203. legitur: Ingenue fatendum est, ut scribit celeberrimus *Moshemius*, argumenta nostra pro perfectione et plenitudine scripturarum non satisfacere Catholicis, si modo rite determinatus est status quaestionis *c*)." Alibi: „Fatetur D. *Tieftrunk*, falli eos, qui fontes illos christianae doctrinae (scripturas) tamquam perfectum christianae religionis codicem considerant. Non enim aliud illi sunt, quam veneranda, nec aestimanda satis fragmenta, in quibus et temporum illorum ratio docendi, et multi religionis articuli offeruntur. Nobis id unum relinquitur, his monumentis cum delectu et judicio uti *d*) *)."

---

a) Pag. 116. *b*) *Friedensworte. Sulzb.* 820. *c*) pag. 203. e Mosh. *Streittheol. Thl.* 1. p. 227. *d*) pag. 204. et *Censur. d. christ. protest. Lehrbegr. Thl.* 1. pag. 366.

*) Ceterum non te justa consolatione defraudabo. Habes enim in hoc quoque ducem Magistrum, qui de scriptura ait: „quae tamen fons esset *omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae.*" Sunt itaque

Quid autem est *materialis et mera scriptura?* quid *communicationis ratio, qua dijudicatur?* Loquere saltem, ut intelligam, ne tibi uni scripsisse videaris. Quis demum te docuit *meram scripturam mutationi aut depravationi fuisse obnoxiam?* Da criticum, qui hanc imperitiam non rideat. Qui de fide hic agas, non potuisti haec de integritate *critica* sumere; *dogmaticam* ergo tu unus ignoras. Huius vindiciis annue inter nos resonant scholae: erat unde proficeres, cum inter nos morabaris peregrinus hospes. Sed quid mirum, si criticam sacram non delibasti, qui theologiae elementa ignores, ac ne theologiae quidem satis teneas nomen. Oro te, mi Comes, qui clamores, quae lamenta resonarent ex ore vestro, si talia *Neotericus* quisquam scripsisset? Vestris reboarent compita vocibus: periclitari fidem, exitium instare religioni! Mihi crede, est illud aliquid, quod antiqui *Nemesim* dicebant, et quod nunc imprudentes vos, praecipites in foveam dedit, quam aliis paravistis.

§. 201.

Alibi scribis: „Placet hoc loco huius disceptationis principia paulo altius repetere et ex ipsa ratione causae nostrae firmamenta quaerere. *Quaelibet lex, etiam, divina nullam potestatem habet aliorum voluntatem subjiciendi.* Sed omnis potestas penes legislatorem, aut suos ministros residet; et recte, quia lex quaelibet, etsi divina sit, iuxta mentem et contra potest interpretari ac explicari, idcirco mutationi ac variationi obnoxia esset; ipsa lex nullum exercere valet actum ad voluntatem hominis submittendam. Nos enim illam legem veluti merum philosophiae principium suscipiamus, et ad illam intelligendam et explicandam libertate donati sumus. Pari modo dicendum de lege naturali, quae velut divina habenda

---

haec verba etiam in concilii Trid. decret. de can. script. sed de evangtlio, non autem de libris sacris: de apostolis praedicantibus, non vero scribentibus. Deceret modestiores esse erga doctos et integros, qui tantopere peccatis in elementis rudes. Vid. Instt. vet. test. Tom. 1. p. 9. Ed. 1.

e) Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 9. Ed. 1.

est, nullum jus cuique philosopho adjudicatum fuit, ut super alios dominatum teneret; quia non magis, ac potiori jure uni, quam alteri custodienda datum est; sed quilibet hanc facultatem intelligendi ac explicandi habet. Hinc nullus homo alteri dicere potest: „ego animum ingeniumque prae ceteris excellens possideo: meum judicium tutius est quam tuum *a*).“ Hoc dein transfers ad sacros scriptores, qui post mortem suam potestatem non habeant decidendi controversias de legis intelligentia.

Quantum video, mi Comes, non major jurisconsultus es quam theologus; nec magis tibi constas in his, ac in aliis; et, si quid forte recte vidisti, ex aequo hic ac alibi nescis clare eloqui, ut, quid velis, lector intelligat. Oro te, si nulla lex potest subjicere voluntatem, sed potestas penes *legislatorem* est: ipse legislator quomodo 'reget? Scipionene, flagris et scorpionibus, an legibus? Puto legibus, cum et ipsum patibulum et rota gravem legis praevaricationem supponant, nisi principellos fingis interioris Africae, aut barbararum gentium, qui etiam sine delicto suae libidini quemque immolant. Cum ergo ipsum nomen *legislatoris* modum regiminis *per leges* indicet: si nulla lex apta est subjicere voluntatem, tum quidem tribus verbis legum omnium nervum succidisti, nec omnino quid scribas, intelligis. Miror, quod non primo obtutu videris, ubi sermo est de entibus liberis, et moralibus actionibus, nisi lex moderatur voluntatem, nullum dari medium, quo actionem moralem a quoquam impetres. Si enim vis physica in voluntatem non cadit, quid est, quod flectat voluntatem nisi lex? Experire in te: si imples hominis Christiani officia, quid illud est, quod te ad obsequium impellit? Lexne vel legislator? Annon vides, quod ista divelli non possint? Si enim, ut supra facis, legislatorem opponis legi, omnes leges sustulisti, cum lex nihil sit, nisi legislatoris expressa et cognita voluntas! In lege autem continentur motiva agendi, conjunctum scilicet verum bonum, aut verum malum, cum de divinis tibi sermo sit: impelli autem ad obsequium potes, vel sensualitate seu studio felicitatis, a quo,

---

a) pag. 125.

dubito an ullo in gradu virtutis penitus praescindere possis; vel sola reverentia legis. Utrumvis fiat, semper rationis est voluntatem, repugnante etiam sensualitate, in legis flectere obsequium; ut adeo perspecta legis rationabilitate, tu ipse tibi imperes et idem obtemperes. Tolle ergo legem et vel iners stabis, vel quadrupedum more sensualitatem unice sectaberis.

Sed quamnam tu mihi *legislatoris potestatem* narras? *Physicamne?* At haec in voluntatem non cadit; aut si obtinet, hominem sustulisti, cui eripuisti libertatem. Unde Thomistae quoque gratiam ab intrinseco efficacem, salva libertate, propugnant. Si vero *moralem* intelligis, ea in rationabilitate legis sita est, et non nisi supra dicto modo impetrare potest obsequium; nisi actionem *legalem* unice, sed non *moralem* cupis. Quomodo etiam tibi cohaeres, qui initio de legis interpretatione loquens, in consequentibus liberam cuique explicandi tribuas facultatem? Suspicor, mi Comes, aliud magis reconditum dicere voluisse te: quod nisi est, legitimum legis interpretem cum obligatione legis confudisti; vel certe defuit facultas sermonis, quo distincte diceres, quod intenderas.

§. 202.

Ais divinam revelationem solo rationis lumine tractari non posse. Pag. 135. Recte. Pergis pagina sequente de *novatoribus* loqui, qui defectu auctoritatis in divisionem et anarchiam inciderint. Narras Lutherum, Calvinum, Anabaptistas, Unitarios, Pietistas (!) solam scripturam pro regula fidei usurpasse. Quid mirum, cum ipse asseras §. 200. evangelistas et apostolos „*omnia, quae dicta et revelata fuerunt, literis mandasse*" Addis postea tamen, ab iis ad vitandam confusionem concilia et formulam fidei constituta esse. Demum concludis: „eo devenit necessitas, ut ministri Protestantes gubernio seculari, ac regnanti tum fidei, tum morum arbitrium detulerint." Post ista, pagina eadem, nisi me omnia fallunt, de *Catholicis* sic continuas:

„Nostri antecessores (Professorum hoc nomen est) in eamdem incidunt absurditatem, et loquuntur tamquam magistri: reserate ajunt biblia sacra, ejus

volumina vos videte et observate, quae eius sit intelligentia, quae auctoris s. intentio, quae vis linguae primitivae, et vocabulorum, ususque, qui mores orientalium nationum etc., et mecum judicate de recto sensu scripturarum. (Idem prorsus et Magister tuus) Hinc pariter istis in varias ac diversas interpretationes sese involventibus, *unionis centrum amittendi periculum est.* Nonne hoc de industria faciunt, ut scientiam sacram obscuriorem et difficiliorem cognitu reddant, et ad ceteros labores illum quoque addant, quo excarnificent discentium ingenia, pervolutandi saepe illas ingentes librorum moles, (ohe! Nemo *Neotericorum* in hodiernam diem vel unicum tomum scripsit, ut ajunt, in *Folio.* Haec enim patriae tuae adamata forma est, quae ad hypochondriam aliquid, ad eruditionem nihil interest) et omnia alieno loco potius quaerendi, quam suo? (Ideo sapienter nihil attigisti istorum). Neque enim una saltem ratio et lingua est, qua hoc studium tractant, sed deterrimus quidam cinnus ex foedissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluvione olens, ut servus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, suem, canem, capram commixtam" (ut apostoli in pentecostibus). His continuo, etsi sine ullo nexu, subjunxisti.

„*Interim religio divina consideranda venit ut humanum, politicumque systema*, quod cogitationibus *hominis*, variationibus *gubernii*, ac *partium negotiationibus* subjicitur. Proh Deum immortalem! an fides, religio, existimationem meretur, si a *laicis pendeat*, si a *consultationibus fori*, a regnorum *senatu*, ac *optimatibus firmamentum* repetat? Verum igitur est, istos ex suis cathedris absurdam libertatem in studio biblico praedicantes, incautos decipere conari; tacentes enim illi non perinde decepissent (!), loquentes autem multos erant simpliciores attracturi, persuasurique, quo nimium ex aliis in rebus sibi auscultarent." Pag. 137.

Quam astute! quam callide! per invidiam *Neotericorum* clam subtrudere *Isidorum*! Non putaram, mi Comes, ut tuis tam opportuni simus finibus. Quin suspicor, omnem hanc cum *Neotericis* velitationem tuam, nihil nisi velamen esse ejus politices, in qua tu et hodegus tuus tam

illustres estis. Quis enim sibi persuadebit, vos tam coecos esse et prope insanos, ut quos in fronte opusculi velut hostes revelationis obtuleritis „*qui sub respectu novarum interpretationum sacrae scripturae, naturalismum evulgare, ac revelationis ideam delere conentur*“: his ipsis nunc tam sollicite, tam benigne vereamini, ne *periculum adeant amittendi centrum unionis!* Sint nihilominus vobis gratiae, viri optimi, de tanta in nos misericordia! Sed tamen, mi Comes, in aperto est, quod ille metus tuus, de *periculo amittendi centrum unionis*, nihil nisi hedera sit, quo attentionem erigas lectoris; nil nisi hamus inescatus pro aliis, quos allicias; pro aliis terriculamentum, ut mos vester est (§. 84.), quo sua, totiusque ecclesiae magnopere interesse putent, has nugas tuas serio apud animum expendere, et tanto malo quaerere medelam!

Si enim, mi Comes, de Protestantibus tibi sermo est, cur periculum metuis amittendae unionis, quam illi jam ante secula ruperunt? Si de Catholicis, cur homines de schismate insimulas, qui scripturarum dicta tibi undique evolvunt et enucleant, quibus ipsum probes primatum et centrum unionis? Vide, si sine rubore potes §. 15. sub *h.*, ut Commilito tuus, *Reflexionum* auctor, aequior, humanior erga Protestantes est in hoc ipso argumento, ac tu in filios ecclesiae, qui in centrum unionis nunquam peccaverunt. Ubi ergo velut aliud agens hanc offulam projecisti lectoribus, cito pedem retrahis, et iterum ad *antecessores* reversus, *Origenem*, *Hieronymum*, cunctosque philologos omnium seculorum doctissimos, tam facete tam polite in *hara*, *hirco*, *sue*, *cane* et *capra* rides, velut unus e turba eorum sis, qui pugno et cubito emungunt se. Sed vide quam aliter *Augustinus* de hirco, sue, et capra bethlehemitica judicaverit; quam ille barbararum vocum *colluvione* (forte *colluvie* dicere volebas) delectatum Hieronymum suspiret; nec ille modo, sed Damasus quoque et omnis orbis eruditus; vide, ut hodiedum de eo doctore, linguarum notitia egregie ornato, velut divinitus sibi dato gratias agat ecclesia. (§§. 64 et 65.) Tu ergo, mi Comes, si aliquid saperes, vel altum tacuisses de re, in qua nullum tibi competit judicium; vel ipse vacuus, laudasses alienas opes, cum iuxta Hieronymum: „*ingenua et verecunda confessio sit, quo ipse careas, id in*

aliis praedicare a)." Vel certe eadem coluisses studia dudum, quae nunc tam imperite insultas: ait enim idem doctor ecclesiae: *Condecet ob veritatem laborare paulisper, et peregrino aurem accommodare sermoni, quam de aliena lingua fictum ferre sententiam b).* Miror, quomodo doctorum hominum subire possis conspectum, quibus aut ridendus, aut commiseratione dignus debeas videri.

§. 203.

Cum hara, hirco, sue, cane, capra, vocumque barbararum *colluvione*, forma regnorum, politico-ecclesiasticus imperii status, reipublicae denique et populorum salus conterminant! Nunquam opinabar, mi Comes, in punctis et apicibus, in barbararum vocum usu, in hermenia denique et hermeneutis tantum esse situm, ut nisi tua intercessisset providentia, de fide et religione, publicaque salute populorum conclamatum esse videretur. Sed scire magnopere interest, de quonam gubernio, consultationum foro, regnorum senatu et optimatibus, a quibus suum jam *firmamentum* repetat fides et religio, tibi sermo sit? At post superiora haud multis opus est: in *Jahnium* enim, *Mayerum*, *Ariglerum*, *Baborium* etc. bellum movisti ductu hodegi; quorum sedes et patria Austriae imperium est. Hic ergo religio divina, ut humanum politicumque systema consideranda venit; hic fides a laicis pendet; hic optimates, senatus, forum, fidei *firmamentum* sunt!

Sed nisi tecum ipse pugnas, in aperto est, *firmamentum* ex ignoratione sermonis hic usurpari pro *fundamento*, quae tamen longe diversa sunt. *Firmamentum* enim, fulcrum, tutamen, praesidium, a quovis, mi Comes, libenter suscipit religio; sed *fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus a).* Si ergo in Austria, nescio ex quo tempore, gubernium et optimates *fundamentum* sunt fidei, haud inepte dixisti, religionem hoc in imperio *humanum politicumque esse systema*, ut quondam libri sibyllini in manibus pon-

---

a) Apol. adv. Jov. Tom. 4. P. 2. p. 242. *b*) Epist. ad Damas. T. 4. P. 1. p. 148.

a) 1 Cor. 3, 11.

tificum, exta in haruspicum, aves in collegio augurum: sin minus, non aeque quisquam temerarius criminator est.

Cedo jam, mi Comes, quibusnam ex fontibus hoc tuum portentosissimum judicium hausisti? An tu in aliquo *antecessore* hermeneuta legisti: *Cuius est regio*, *ejus est et religio*, uti protestantibus quondam placuit? Quamquam et hoc sit, nihilominus absurdus eris, qui sub principe religiosissimo, avitae pietatis haerede, cuius intemeratam fidem tot publica instituta loquuntur; cui non potior civium probitate cura; cui eruditio sine probitate reipublicae detrimentum est; cuius animum in Deum pium atque sincerum, in communem omnium nostrum patrem sanctissimum filialem propensumque, oculis spectasti in centro unitatis: qui, inquam, sub hoc principe tribunalia et optimates religionis sensu exuas; inanem tribuas fidei larvam; Pharisaeorum progeniem, rerumque divinarum nundinatores pessimos facias; de sublato fidei fundamento conclames; et tanto imperio humanum politicumque subtrudas systema pro instituto divino. Fidelis discipulus es Magistri! Quae enim ille effutivit de *naturalismo* nostro, quem nemo ante illum suspicatus est, id tu, pro tua modestia, ad regna atque imperia transtulisti; perquam sapienter hanc stragem ab hermeneutis derivans, qui barbararum vocum *colluvione* delectentur! Ceterum habeo tibi gratias, qui nos non feceris *Carbonarios* quoque, quod instituto tuo tam opportunum videretur; nisi forte hanc mantissam editioni secundae reservas, cuius curandae sollicita cura tenet hodegum.

Prolapsiones tuas in theologicis, etsi maximas, minus miror; at qui sponte aut invitus regna lustraveris; qui populorum videris mores et urbes: tamen a tempore, loco, rebus ipsis ac veritate tam aliena scripsisse te, nemini non mirum videatur. Vulgasti enim haec eo ipso anno, cum Austriaci princeps imperii, sedem apostolicam, centrumque unitatis, sua coluit praesentia; scripsisti in media regione, in qua pravorum consiliorum molimina jam non latebant sub cinere doloso; scripsisti primitus sermone vernaculo, alieno ab academiae catholicae dignitate; adverso autem ordini publico, si vulgasti palam; quod ne feceris, qui quid factum, quid non sit factum nesciam, tui atque academiae honoris causa cupio.

Tune ergo in hoc rerum statu non vidisti, quam alii politicis de causis, regibus et principibus quaerebant invidiam, eam augendam esse, dum idem agis religioso praetextu, et oppressae in Austria fidei obtentu? Annon vidisti, hermeneuticis haec inferre litibus, esse desphinum sylvis appingere, fluctibus aprum? Novam nempe hermeneutis parabas invidiam; sed fragili quaerens illidere dentem, offendis solido, qui vestris causam non praebuit unquam suspicionibus; qui cum vestram penitus perspexit inopiam, tum spatio lustrorum vestras medullitus callet artes fallaces. Illudere voluisti? tectius oportuit: fallere incautos? Doli non sunt doli, nisi astu colas. Gallinario latenter in tenebris obrepit vulpecula cauta: vos ipso in meridie plenaque luce, cum vociferatione e latebris erupistis, homines sane ridendi.

Tamne demum, mi Comes, parum cernis acute, ut non sentias hac tanta accusatione ipsos adeo praesules peti? Unquamne divina religio in humanum politicumque systema versa est sine martyribus? An unus tu tam lynceos habes oculos, ut quod nemo sensit, nemo suspicatus est, solus perspexeris atque palpaveris? Suspicor factum, quod ejus es discipulus, qui quod nemo vidit, is unicus tenuit manibus, haereticos nos esse atque incredulos, quarto demum lustro muneris publici! §. 7. Vel forte Austriaci imperii illustris praesulum corona, adeo tibi vilis est, ut si intendisses oculos rugasses frontem, jactasses manus, pedemque applosisses solo: velut obscuram in partibus infidelium coloniam, metu atque terrore exanimandos putes? Non sic, mi Comes: Uni Jovi olim datum fuit nivibus conspuere montes: tibi, quos voles, probris conspuere non licet. Supremum quod inferam illud est: te parem esse politicum ac theologum.

§. 204.

In epilogo specimen dedisti *eruditionis historicae* dum scribis: „quaelibet falsa interpretatio nos in errorem inducere potest, et ut melius dicam cum D. Hieronymo, pro Jesu Christi evangelio hominis evangelium excipere possumus. Quomodo evenit omnibus, qui ab ecclesia catholica recesserunt, quique interpretationes ex arbitrio confictas adoptarunt, *puta Novatiani, Cerinthiani, Ebionistae, qui primo seculo*

ecclesiam divexarunt, et adversus illos s. Joannes apostolus Deo dilectus evangelium conscripsit." Pag. 138. Nae tu magno conatu magnas nobis nugas scribis. Ut enim de primo dicam: si *quaelibet falsa interpretatio* ex Christi evangelio evangelium hominis facit, tum, mi Comes, nullus patrum erit, quem in hanc suspicionem vocare non possis, cum nullus sit, quem alicubi in interpretando errasse non invenias, ut te docebunt Patrologi. Magister autem tuus tanto magis evangelio excidit, quod praeter erroneas interpretationes, quaestiones scholasticas perpetuo confundit cum fidei dogmatibus, uti in superioribus vidisti per singula; paris autem periculi sit, falsa inducere ac vera negare dogmata. Assertum ergo tuum locum unice habet, dum erratur in essentialibus, et de quibus haud dubie loquitur Hieronymus, cujus locus speciatim excitandus erat, si quid efficere voluisti.

Quod autem ad *Novatianos* attinet, non tam errasse te miror, quam quod Romae tantopere errasti, ubi majorem istorum notitiam nemo non jure a te postulet. Tu ergo persuasum habe, nondum vel patrem *Novatiani* conceptum fuisse, cum Joannes jam defunctus fuit. *Novatianus* enim praeter haeresim etiam schisma contra Cornelium summum pontificem sub medium seculi tertii conflans, sua disputatione id etiam effecit, ut epistola ad Hebraeos, quam Cajus jam anno 210. in collatione cum *Proclo* Montani sectatore habita, abjudicavit apostolo; nunc tamquam *apud Alexandrinos Pauli nomine ficta ad haeresim Marcionis* penitus abjiceretur; idque ob caput 6. ejus epistolae, quod Montanistis et Novatianis puppis et prora fuit *a*). Cum ergo tantus hermeneuta et exegeta sis, miror, rem tam obviam de Novatiani aetate effugisse eruditionem tuam.

---

a) Euseb. H. E. Libr. 6. c. 20. p. 247. Ed. Val. Epiph. Haeres. 39. alias 59. Tom. 1. p. 494. Ed. Petav. Theodoret Comment. in Epist. C. 6. Tom. 3. p. 579. Ed. Hal. Coll. Murat. Antiqq. Ital med. aev. Tom. 3. p. 854. et Galland. Biblioth. PP. Tom. 2. p. 208. col. 2. ubi Anonymi Fragm. sub nom. Caji adduc. addito tamen: *ut videtur.* et doctiss. Hug. *Einleit. in d. Schrift. d. neuen Test.* §. 131. p. 316.

§. 205.

Scribis alibi: „*Langius* in sua *bibliorum explanatione*, nullam ss. Patrum auctoritatem nisi *negative* admittendam censet; quia non licet scripturam interpretari contra unanimem consensum Patrum; attamen quia neque necesse est eam interpretari juxta consensum ss. Patrum, id est, *affirmative.*" Pag. 100. Infra autem in nota 57. addis: „Johannes, qui in typographia Budensi an. 1809. publicavit: *Patrologia*, quam in R. Universitate Pestiensi praelegit J. Bapt. *Lang.*" Est opusculum tuum, mi Comes, ex copia, magnitudine et quadam insolentia errorum, saepe ita joculare, ut lectorem iucundissime moretur. Mihi certe haec prolixum risum elicuerunt, qui conjiciam, quid dicere volueris, unaque videam, quam alia omnia dixeris. Nihil hic cohaeret, primis repugnant extrema; media, aenigmata sphingis, dant sine mente sonum. Tibi et Sybillae scripsisti, eoque difficilius est tua nosse, quam vincere. Dormitans assides, et vigilans somnias, dum *patrologiam bibliorum explanationem* vocas, quam nunquam scripsit Langius: cui ut nihil tuis accederet laudibus, sic vituperio decedere nihil potest. Ais, in ea *Bibliorum explanatione* Patrum auctoritatem tantum *negative* admitti. Talia non vel tiro inter nos errat, quoniam hanc distinctionem auctoritatis negativae et positivae theologia ignorat, nec de hoc monstro apud Langium vestigium est. Dicere forte voluisti, decretum Tridentinum esse *negativum*, ut dixit *Jahnius* (vid. §. 110.), non autem Patrum auctoritatem, quam tecum una reveretur *Jahnius* (§. 128.) et ita asserit Langius, ut simul ostendat, quod horum consensui adversum sit, ecclesiae quoque adversari, rectaeque fidei. Id si improbas, Rationalista eris; si probas, nil fuit, cur Langium argueres. Compatior tibi, qui loqui nescias, et tacere non possis.

§. 206.

Ubi *Jahnii* dicta insigniter corrupisti (§. 21.), pergis de *Neotericis* scribere: „Quaeso Academici, animadvertite eorum non propriae regionis asperitatem, quomodo isti loquuntur, sed animi cordisque segnitiem adversus Catholicos, queis illorum verba diriguntur." Pag. 110. Ain' tu Boeotios nos esse? Ver-

vecum in patria, crassoque sub aëre natos? Hem! crasso munusculum filo pro hospitali inter nos tessera, quam turpiter fregisti. Si tibi quandoque asperior cuticulam strinxit aquilo, non tamen suum in vertice nostro tardus torquet plaustrum bootes. Tolle Adriam, et Austriae tecum conterminat imperium. Mite nobis coelum, tellusque foecunda est, seu Cereris seu Bacchi quaeris opes. Vidisti robora virum, et generosam Martis invicti sobolem, quae iterato tuis te reddidit sedibus securum. Si tua tibi gignit terra Caecubum, Venafrum, Falernum, sunt nobis his paria plura: quod proprium est, nulli in orbe secundum, nectarque deorum, tu minime ignoras; quippe dum inter nos ageres, familiare tibi et quotidianum. Hoc, mi Comes, dum immortalis pontifex Benedictus XIV. sumebat, dicere est solitus: *Summum pontificem talia* *) *vina decent.*

Quid autem de *animi cordisque segnitie* dicam, quam pro tua in nos humanitate exprobras? Annon supra §. 202. de *Neotericis* questus es: scribi *ingentes librorum moles*; adhiberi linguas multiplices, vocesque (tibi) barbaras, ad interpretandum? Quam incautus, minimeque circumspectus es! An tu non vidisti, cuique, qui me minus tibi amicus sit, pronissimum esse, rotundo syllogismo concludere, in his ipsummet te non constare tibi? Quid, si autem id etiam addiderit, quod in dedicatione opusculi pag. IV. scribis: „*alium patronum invenire mihi datum non fuit, quam te, qui eodem ardore incensus, animos aliis addidisti, ut eandem tererent viam, et hinc ea praeclarissima, qua gaudes ingenii perspicuitate et acumine, jure meritoque in immortale religionis et huius academiae columen esses accensendus?*“ Illud item: „*Sapientissimo consilio aperuisti selectissimam bibliothecam, libris optimae notae apprime refertam, undique conquisitis, non sine ingenti sumtu et cura ad scientias omnes adquirendas profligandasque novitates civili societati perquam infensas?*“ Vah quantum elogium magnati Hungaro datum! Nae tu in Boeotios liberalis es! Quamquam major erat vir ille Hungaris immortalis, nisi laudas-

*) Lusus in voce est: *Talya* enim, quod Hungaris Talja pronunciatur, unum e praecipuis Tokaicis promontoriis est.

ses; quod sic laudari, ut quod altera dedisti, altera repetas, eiusdemque quem sic laudes, nationem prostituas, non laus, sed probrum est.

Demum, mi Comes, an hodegus, magister et commilito tuus, qui te consilio, re et opera juverunt, Itali sunt? Unus Magister suas si abs te repetat plumas, ridiculus stabis in fabula corvus. Putasti nempe, si Magistri scoriam Roma remisisses, continuo aurum nobis fore, non scoriam; falleris: nec dum enim sic coecutimus, ut non videamus, quid distent aera lupinis.

§. 207.

In fine opusculi addis: „*Argumenta, quae in academiae conventibus contra nonnullos recentiores pseudo-interpretes sacrae Bibliae an.* 1818. *tractata fuerunt.*“ Horum quoniam nihil legi, nihil vidi, qua eruditione et soliditate tractata sint, judicare non possum: in quibusdam tamen ipse docet titulus, tractari merces suo peregrinas auctori. Ponam ergo unum alterumve exemplum. Numero 3. habetur: „*Verborum sensus proprius et directus, id est literalis, aliorum est fundamentum, et saepius praecipuus. In plurimis locis, atque in aliquibus libris scripturae s. sensus figuratus est literalis, videlicet praecipue contemplatus.*“ Pag. 142. Etsi nullo indicio colligitur, an 14. thesium, quas retulisti, adeoque et totidem dissertationum, tu ipse, mi Comes, sis auctor; clarum tamen est, qui super hic posita scripserit, cognitione istarum rerum tecum esse gemellum. Cedo, quid est sensus *directus*, qui recurvum non noscam? quomodo sensus proprius seu literalis aliorum fundamentum est, et *saepius* praecipuus? Anne metaphoricus non est literalis? An tu illud Joelis proprie sumis: *scindite corda vestra et non vestimenta vestra?* (2, 13.) vel illud Christi: *dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (Matth. 8, 22.)? aut illud Pauli: *surge qui dormis et exurge a mortuis et illuminabit te Christus* (Ephes. 5, 14.)? ne de allegoriis dicam Isaj. 11. Ezech. 16. 37. et alias saepissime? An tu vel sensum mysticum docere potes, nisi praecedat literalis? Quid demum illud: *in aliquibus libris sensus figuratus est literalis?* Video ex aliis thesibus, sensum *figuratum* usurpari pro *mystico:* erit ergo sensus *mysticus literalis*, quod est *hirco cervus;* aut aliud ex Colchi-

de vel Africa monstrum. Quis talium non teneatur desiderio?

§. 208.

Quinta Thesis sonat: „*Primus canon biblicae interpretationis est directio et convenientia cum Majorum traditione, quae non tantum est rationabilis, sed quoque in rebus essentialibus regulam fidei efficit.*“ Pag. 142. Haec tua esse, mi Comes, non vane conjicio, quia a Magistro sumta sunt, de quibus jam supra §. 83. quaedam monui. Inest autem his spectatissimum *hysteron-proteron*. Quid enim, te oro, comparabis cum *Majorum traditione*, si qualemcunque nondum eruisti sensum sententiae? Poteras id discere a Magistro, qui scripsit, quaerendum esse: „*num sensus, quem adprehendit interpres, sit omnino verus illius loci sensus a*)?“ Annon vides ante omnem collationem cum *traditione Majorum*, a tuo Magistro jam adprehendi sensum, nec nisi postea quaeri, an etiam cum analogia consentiat? Dum erga hanc collationem *primum canonem* vocas, tam lepide errasti ac Magister tuus, qui supra §. 26. prius protrahit sensum, et postea demum quaerit de usu loquendi, seu quid voces atque sententiae significent? Cur autem dicis traditionem Majorum *in rebus essentialibus* constituere *regulam fidei?* Si enim sub *rebus essentialibus* intelligis catholicam doctrinam universim, tum ab usu loquendi aberras, qui *essentialium* nomine summa capita et velut ceterorum fundamenta intelligit: insuper in latiori illo sensu non apte additum est *regula fidei*; sonabit enim: *catholica fides est regula fidei*; dicis ergo idem per idem, cum tamen *regula* sit distinctum quid ab eo, quod ad illam exigendum est. Quod si autem *essentialia* sumis usu recepto de doctrinis summis, pariter erras; quia *regula fidei* catholicae omnia complectitur dogmata; et alioqui *regula* manca tibi cynosuram praebere non potest in interpretando, cum in scripturis non sola *essentialia* occurrant fidei dogmata. Quanto *Jahnius* vobis et in fidei pientior, et in hac disciplina doctior est; qui pro interpretandi regula statuit Tridentinum decretum: de non interpretando contra sensum eccle-

---

a) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 21 Ed 2.

siae et unanimem consensum Patrum; quorum nomine, ut supra docui, tota intelligitur catholicae fidei doctrina? Demum, cuinam haec opposita sunt? *Jahnio* haud dubie et *Neotericis*. Quam autem in hac re aut turpiter erres, aut crimineris palam, te docebunt supra §§. 72, 81 et 128.

§. 209.

Sexta thesis est: „*Frustra praesumitur aliquam versionem librorum sanctorum in quacunque lingua legitimam auctoritatem facere, et libere evulgari, nisi approbatione ecclesiae instructa sit.*" Pag. 142. Si nomine *legitimae auctoritatis* eam intelligis, qua sess. IV. Trid. vulgata declaratur *authentica:* tum tibi cum umbris pugna est. Si latius sumis, damnas syriacam, copticam, armenicam aliarumque nationum versiones vernaculas, et declaras illegitimas, adeoque ab usu removendas, quod, ut minimum dicam, temerarium et insulsum est; nisi et hic ab recepto usu loquendi recedis, et *ecclesiam* absolute positam, pro quavis particulari usurpas, quo in casu tamen ventos posces, cum unaquaeque illarum ipso seculorum usu, ut vulgata ante Tridentinum, probata sit. Quam tu demum *legitimam auctoritatem* scripturarum habebis in ecclesia Latina primis seculis? An tu nescis quam variae fuerint tum versiones in ecclesia, quoniam ut cuique graecus codex in manus venerat et utriusque linguae facultatem sibi habere visus est, ausus est interpretari? Utque de *Itala* dicam, si nescis eius statum mancum atque corruptum, lege praefationes *Hieronymi* in *Pentateuchum*, et primam in Lib. *Paralip.* in *Josuae* item, ubi ait, apud Latinos tot esse *exemplaria quot codices*, et unumquemque pro arbitrio suo vel addidisse vel subtraxisse, quod ei visum est. Lege praefationem primam in Job, et intelliges, ut liber hic octingentis fere versibus truncatus, laceratus, corruptusque foeditatem sui publice legentibus spectandam praebuerit. Lege demum *Augustinum* de versione Latina, in diversis codicibus tam varia, ut tolerari vix posset; ita suspectane in graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari dubitetur *a)*. Ordo naturae est, ut quisque prius discipulus, postea magister sit.

---

a) Epist. LXX. inter Opp. Hieron. Tom. 4. P. 2. p. 611. Ed. Mart.

Demum ais thesi 11. „*Falsă assertio declaratur qui autumant filiorum Dei nomen in vet. test. nunquam Filio Dei vero naturali, sed duntaxat angelis aut hominibus Deo caris attribui; praesertim in nov. test. apostolos atque evangelistas, ubicunque hi Jesum Christum filium Dei nominant, juxta vetus loquendi morem, nullam notionem divinitatis nobis donare.*“ Pag. 143. Haec qua fidelis discipulus sumsisti a Magistro, de quibus §. 192. monui; forma tamen mutata, ut difficile dictu sit, uter vestrum magis hallucinetur.

§. 210.

Addam quaedam *incohaerentia* et *pugnantia*, quibus scriptum tuum refertum est. Pag. 81. in titulo operis de hermeneutis catholicis, contra quos bellum susceptum est, ais: „qui sub *respectu* (forte *praetextu* dicere voluisti) novarum interpretationum s. scripturae, *Naturalismum* evulgare, ac *revelationis ideam* delere conantur“ Pag. 99. de iisdem praedicas, quod „Vestigia Protestantium ac Socinianorum premant, et religionem Christi in merum naturalismum convertere tentent.“ Pagina 112. iidem „Fidem ecclesiae et disciplinam tot seculorum evertere curant, et ad naturalismum recto tramite fideles et incautos ducunt.“ Pag. 114. asseris: „S. scripturam privato spiritu intelligere praesumunt, et contradictione inaudita omnem ab ecclesia universali auctoritatem adimentes, totam ingenio, hominum menti ac studio tribuere non dubitarunt.“ Haec hisque similia etiam Pag. 117. 120. 137. et passim occurrunt: et tamen Pag. 137. pro his metuis „unionis centrum amittendi periculum.“ Pag. autem 86. de iisdem Neotericis scribis: „non certe, quod sancte testor, cum haereticis confundendis.“ Cito ergo titulum operis oblitus es; postea autem etiam piae contestationis tuae.

Laudas pag. 88. Judaeos: „Commercium, quod cum Arabibus iniverant, occasionem dederat, ut eorum doctores seculo X. eruditiores ac peritiores prodierint, grammaticam et philologiam colentes.“ Pag. vero 90 de *Coccejo* et *Grotio* ais: „insignes cognitione orientalium linguarum.“ Pag. 91. scribis: ambigendum tamen minime est, tot tantosque labores ac studia nonnullorum Germaniae scriptorum, qui disciplinam exegeseos coluerunt, inutiles non fuisse. —

Plurimum enim ipsi in scientiam biblicam perpoliendam contulerunt, ut alii ad metam pervenirent." Pag. 112. de Neotericis Cath. ais: „in patefacienda singularum vocum vi ac proprietate, in examinandis moribus vetustis, tam multi, tamque assidui sunt, ut magnam industriae suae partem in eo consumere videantur." Et de iisdem pag. 120. : „magna qua pollent eruditione linguarum primitivarum."

Quam tu, mi Comes, vir acutus, ingenuus, prorsusque optimus es, qui philologiae commoda videas et fatearis palam, quae morosus Magister tuus supra §. 35 — 39. tam obstinate pernegat? Jam ergo tibi lubenter ignosco, cum infra pag. 137. immemor istorum, linguas orientales haram, hircum, suem, canem, capram vocas, et vocum barbararum *colluvionem*, vid. §. 202.; qui pag. 111. scribas: „ea est conditio linguae sanctae, ut non solum vera intelligentia s. codicis accipienda sit ex traditione, verum et ipsa lectio; quippe qui sine punctis vocalibus exaratus, recte legi non possit, nisi ab eo, qui jam lectum audiverit, sive ab ecclesia didicerit, quomodo legi debeat." Quam doleo, mi Comes, quod rerum istarum nullam prorsus habeas ideam! Doctrina ab ecclesia sumitur, linguae ceteraque praesidia humanis subjacent legibus; eoque vidisti supra ab Hieronymo magno aere redemtos magistros hebraeos; vidisti episcopum et populum in cucurbitae et hederae causa Hebraeo detulisse judicium supra §. 67.; ipsumque codicem hebraeum, unde vulgata adornata est, non ab ecclesia petitum, sed fraude Judaei obtentum esse, atque ad usum Hieronymo datum. Quam tu ridiculus homo es, qui hermeneutas catholicos, naturalistas, sanctam autem matrem ecclesiam facias *Maitresse de la langue hebraique!*

§. 211.

Scribis pag. 111.: „*Ceterum omnes ecclesiae Patres et linguas orientales, et Hebraeorum mores callebant* (nova haec sunt, inandita ipsi Augustino). Sed praecipue quoad bibliorum intelligentiam traditionem consulere nitebantur, quod satis constat ex eo, quod *Patres* in biblica interpretatione *concordes semper fuerunt*, etsi ubique gentium essent in diversa secula viventes eorum scripta ediderint." Et tamen pag. 139. solum producis Hieronymum hebreae gnarum. Non aptius

ergo et de his judicas, ac de grammatica hebraea. Quod enim Patres omnes in linguis orientalibus et archaeologia probe versati fuerint, tu unus nosti: quod vero in commentando raro consentiant, tu unus ignoras. Sed sint semper concordes; sint *supremum principium* hermeniae, ut cum Magistro statuisti, mendaciter pollicente, se nunquam nisi ex unanimi consensu interpretaturum scripturas §. 104—7.: quomodo pag. 127. post ista scribere potuisti: „Nostris professoribus non arrisit illa in disputando veterum Patrum modestia, qui cum abundarent doctrinae copia *vix tamen unquam* de rebus, in quibus aliqua inest obscuritas, *asseveranter et affirmative* pronuntiabant? Loqueris autem de rebus fidei, quia proxime praemisisti, pro talibus obscuris illustrandis *viva auctoritate* esse opus.

Oro te, mi Comes, inverte manticam, et ab tergo retractam, pectori impone, ut intelligas, an id fuerit modestiae aut prudentiae, illustres catholicos scriptores, quin praeter scholasticas nugas, aut inscitiae documenta, quidquam cum Magistro protuleris, proditae religionis crimine postulare? Quam enim in disciplinae huius elementis peregrinus sis, praesens quoque docet exemplum. Quomodo enim Patres, licet *semper concordes*, ut somnias, *supremum* interpretandi *principium* sint, aut exegetis ulli usui, quando in omni eruditionis copia ita modesti sunt, ut vix *unquam asseveranter et affirmative pronuntient*? Talibus enim nullam inesse auctoritatem, vel *Pallavicino* judice vicero. (§. 104 et 111.) Dic igitur in doctrina concordes esse, sed non in commentando, non in argumentis e scriptura petitis.

§. 212.

Scribis pag. 120. „Sed illa indigemus (divina auctoritate), quia a nobis ipsis dirigi ac moderari nequimus, *nec certi ac tuti traditionis judices esse possumus*.“ Si sic est, mi Comes, incohaerentia tradis, dum continuo urges Patres cum Magistro, illosque *supremum* hermeniae *principium* statuitis. Quid enim? An ecclesia in scripturas commentarios edidit in aliquo generali concilio? Sin minus, sensus juxta vos ex traditione Patrum unice repetendus erit. Si ergo nunc juxta te certi et tuti traditionis judices esse non possumus, cedo, unde illam certo et tuto noscam?

Addo: cum nec perpetuo, nec in omni angulo generale concilium reperire sit, dic, an dogmatici fidem mereantur, dum per omnem superficiem terrae sparsi, in angustis saepe cellulis declamantes, adductis longo ordine Patribus, ex traditione probant dogmata nostra? Ego quidem in posterum ductu tuo his hominibus non credam, quoniam nihil *certi ac tuti* tradere possunt. Quin si mihi quodlibet generale concilium ante oculos ponant, et decisionem ejus legendam offerant, ridebo hominum imperitiam, qui credere me jubeant in ea re, de qua te judice, nec illi ipsi, nec ego scire aliquid *certi ac tuti* possimus. Nisi forte, dum vivi judicis, dum ecclesiae infallibilis acta legis in quolibet generali concilio, aliis oculis, alia mentis acie divinitus praeditum te putas. Qui ergo ista non intelligas, mitte leges scribere aliis; Magistrum tuum abdica, qui incautum te jam toties deduxit ad coenum, et cuius in eo summum ingenium est, leges rogare aliis, quas ipse perpetuo violat perjurus. §. 104 — 107.

§. 213.

Ais pag. 106.: „Insano modo ratiocinantur nostri antecessores, futilis ac puerilis opinio“ (Decretum Trid. *negative* explicare). Iterum ibid: „Desinant rectae rationi obluctari,“ et pag. 120. de iisdem: „Falsa ac repugnantia prosequi gloriantur. pag. 140., jugiter mendaciis erroribusque obnoxii.“ Tam haec ponderose, ut nec Aristarchus quondam gravius. Attamen hoc ipso postremo loco: „non obstante, ais, eorum jactata scientia et eruditione, nil aliud sunt reputandi, quam tot simplices privatique *sapientes*, sine ulla missione (an divina?) et auctoritate!“ Contenti sunt, mi Comes, hoc elogio *Neoterici*: missionem habent ordinariam, ut quisque in officio publico, extraordinariam cum apostolis et prophetis non appetunt; sunt denique te judice *sapientes*; in quo non vulgare praedicas, cum scientiae et virtutis vertex sapientia sit. Alibi demum ais, *Neotericos* vigilias terere „ut immenso propemodum eorum (suo) labore, eorum (sua) acutissima exercentes ingenia, ut aliis praestare possint.“ pag. 130. Sic est, mi Comes, ut dicis; eoque sic tibi omnes foveant superi, ut tu nunc vera locutus es. Praestare cupiunt *Neoterici* aliis, hocque studio eo provecti sunt, ut multis me-

tum jam atque invidiam afferant, quoniam, ut ais pag. 114. „*Clypeos ancipites portant*!“

Ut magna semper ingenia conveniunt! *Neotericos*, mi Comes, jure praedicas *sapientes:* idem facit et Magister; nisi quod graece loqui maluit, eosdem compellans *nostrae aetatis gnosticos a*). Quanta vis veritatis, quae etiam ab invidis testimonium accipit! *Gnostici* profecto sunt *Neoterici*, queis pudor, incorrupta fides, nudaque veritas, individui sunt Comites. Nullius illi dicta corrumpunt, neminem compilant, procul mendacio, calumniam exhorrescunt, multum dissimiles vobis. Haec facies primorum Christianorum est, quibus *Gnosticorum* alterum nomen fuit. Audi *Clementem* de eo, qui spiritu adhaeret Domino: „Filius hic totus, homo sanctus, impatibilis, *Gnosticus*, perfectus, formatus doctrina domini, ut cum facto et verbo et ipso spiritu Domino adhaeserit, recipiat illam mansionem, quae debetur ei, qui sic vir evasit *b*).“ Et alibi: „Is ergo, qui *Gnosticus* et perfectus, eximendus est a quavis animae affectione ac perturbatione. — Fieri enim non potest, ut qui jam semel est consummatus per charitatem, — parvis et humilibus quibusdam et abjectis delectetur *c*).“ Denique: „Qui est omnigena multitudine *sapientiae* praeditus, is proprie fuerit *Gnosticus d*).“ Vos ergo vestri haec de *Neotericis* animi sensa, quamvis verissima, imposterum studiose occulite, ne publica haec tanta laudatio discrimen afferat *Neotericorum* modestiae, periculum virtuti.

Denique pag. 130. scribis: „Voces sunt nostrorum professorum, rationis humanae facultatem non deprimere, sed extollere cupientium. Rationem dicunt, ingenium, cogitationes (!) nobis Deum summum frustra non concessisse. Hoc autem quid est aliud, quam noctem et caliginem medio in meridie inducere?“ Illico autem post tres lineas subjungis: „Numquid isti ignorare possunt, humanam mentem considerandam esse velut facem ardentem, quae nos ad veritatem revelationis divinae ducere satis est!“ Ergo et mihi jam satis est haec retulisse, ut lector intel-

---

a) Instt. vet. test. Tom. 1. p. 38. Ed. 2. *b*) Strom. Libr. VII. §. 14. p. 886. Ed. Pott. *c*) ibid. Libr. VI. §. 9. p. 777. *d*) ibid. Libr. I. §. 13. p. 350.

ligat, ingenii acumine, eruditionis copia, ubertate doctrinae, et perspicuitate dicendi, neminem tibi esse parem; nec quemquam esse eruditorum, qui in *Neotericorum* errores profundius introspexerit, acutius retexerit impietatem, atque in eos tanquam conscelera-tos *Naturalistas*, damnationis sententiam jure potiori palam potuerit dicere! Te ergo boni superi in catholicae fidei praesidium quam diutissime servent!

§. 214.

Ceterum, mi Comes, palam profiteor, e dissertatione tua multa didicisse me, quae alibi frustra quaesivissem. Ex ea enim liquido intelligo, tibi et academiae catholicae, huius statum quaestionis, totiusque disciplinae conditionem praesentem, penitus esse ignotam: eoque hac scriptione tua impletum nunc esse, quod quadriennio prius tuo praedixi hodego. Mira enim pro more suo minitanti, ajebam: ocyus agite, ut sit, quod affatim rideamus. Neque enim aut *Jahnium*, aut ipsum quaestionis statum intelligitis. Cogita obsecro! postremum affirmavit, quin interposito, nescio quo teste doctissimo, confirmavit quoque. In quo si incohaerentiam dictorum miratus sum, inopino candori etiam adstupui. Et sane, consideranti dissertationem tuam, nihil mihi occurrit, quod esset indicio, te quidquam ultra secula superiora sapere; imo dilucide vidi, in iis quoque hospitem esse te, quae Majores nostri dudum praeclare tradidissent; tantum abest, ut quidquam eorum audiveris, quae ab seculi superioris dimidio, in fidei nostrae totiusque revelationis praesidium, tam copiose quam salubriter, indefessis doctorum studiis reperta sunt. Latent te tuosque mutationes, conversionesque non paucae, quae ex deserto aut commutato hostium systemate, ex novae philosophiae influxu, ex novis praesidiis, provectisque disciplinae huius partibus, abesse non poterant ab hermenia atque exegesi: ut si hodie agere voles eo more, quem seculorum tulit usus, multo sit satius carbasa remosque aeternae quieti reponere in casteria, quam sine gubernaculo excurrere in proelium.

§. 215.

Alterum e dissertatione tua illud cognovi, academiam, quantum quidem ad hanc disciplinam atti-

net, rebus detineri minutis, et vix ullius considerationis, si ad haec tempora nostra, si ad rei catholicae necessitates praesentes ea argumenta refero, quae XIV. dissertationibus (vid. §. 207.) tractata sunt: vel certe nullo fructu occupari in iis asserendis, quae nullus negavit Catholicus, contra quos omnis haec expeditio suscepta est. Ut enim de minutis dicam; quid momenti hodie habeat quaestio: an ratio humana et sana critica, sensum figuratum (mysticum) in bibliis admittat? Quis enim hodie dogmaticorum est, qui nostra ex eo probet dogmata? quis illum adversario hodie audeat opponere? Quae demum est veritas mystica, quam tutius sumere non possis e novo testamento in sensu literali (§. 188.)? Quid etiam rem catholicam juvet: quod Patres allegorico, morali et anagogico sensu usi sint ad aedificationem? Id enim tam de trivio est, ut nemo ignoret, nemo egeat Magistro. Quid prosint inanes illi soni: „verborum sensus proprius et directus, aliorum est fundamentum et saepe praecipuus?" illud item: „sensus figuratus (mysticus) est literalis?" Cui usui sit illa quaestio: „an legitimam auctoritatem faciant versiones vernaculae sine approbatione ecclesiae?" aut illud: de synagoga quarumdam partium scripturae lectionem prohibente etc.? Qui te, tuosque fontes norit, mi Comes, non haerebit anceps, unde illae tres dissertationes de sensu mystico fluxerint: ego certe in his et reliquis quoque accuratissima ratione dispungam, quid ad hanc dissertationum syllogen aliunde affluxerit, quo Magistro profeceris, et quibus praesidiis sis usus?

Haec atque similia tractari per otium possunt, ubi res non domi modo, sed foris quoque securae sunt: aliena sunt a tempore, cum summa religionis capita periclitantur, et academiae catholicae poscunt opem. Incurii patrisfamilias est, de scandulis et imbricibus unice sollicitari, cum inimici in fundamentis convellendis desudant. Hoc nunc quaeritur: An revelatio divina humano generi unquam facta sit? An in nostris libris perscripta? an ii auctores, eaque aetas his tribuenda sit, quam recepta fert persuasio? Quaenam fides tam vetustae, tam singularis historiae? humanane, an ultra hanc quaedam etiam amplior? Id ne prophetae reapse erant, quod crediderunt Hebraei? Quaenam Christi et apostolorum vera aucto-

ritas? Quinam fontes utriusque instituti? et quae ex his pendent quaestiones aliae, quarum minima momentosior omnibus inquisitionibus de sensu mystico. In his igitur versari, aut intricatiora loca scripturarum, adhibito omni praesidiorum apparatu, docte et critice illustrare, academia dignus, lectoribus fructuosus labor erit. Habet sorores, aetate et meritis jam spectatissimas matronas, Parisinam, Goettingensem, Petropolitanam etc., quarum egregia de omni literarum genere nemo non gratus merita colit. Has intueri, istarum in delectu judicium grave, in demonstrando robur, in disserendo ordinem et claritatem, in provehendis denique utilibus disciplinis contentionem nobilem et studium indefessum, aemulari in theologicis, et si dabitur, vincere quoque: haec dignitati academiae catholicae consentanea unice fuerit palaestra.

Ut demum de ceteris etiam sine fructu tractatis aliquid dicam: quis hermeneuta catholicus „*sub respectu novarum interpretationum scripturae naturalismum evulgare, ac revelationis ideam delere conatus est*? Ubi *Jahnius* aut alter Majorum traditionum in exegesi seponendam existimavit? conferantur §. 72, 81. 128. et patebit, quantis hac in re injuriis affectus sit *Jahnius*. Illa vero, de lege nullam erga Christum relationem habente; ad unicam morum honestatem directa; de negata angelorum existentia; de primogenitorum caede sine prodigio; quid nisi studiosa somnia sunt, semper mentientis et criminantis Magistri? Illud demum quantum supercilium habet: „dici nequit *absque errore* ex textu Job XIX. 25—27. et ex illo Daniëlis XII., 2. *mortuorum resurrectionem non intelligere*": aut prout in fine inter corrigenda habetur: „*Resurrectio non intelligi?*" Defendi in his resurrectio potuit; sententia dissona erroris argui non potuit; quia a Patrum aetate hic in diversa itum est.

§. 216.

Tertium quod tua dissertatione docuisti, ceteris quadantenus etiam gravius est. Video enim academiam, cui non aliud propositum esse potest, quam fidem catholicam docte asserere, adversus hostes defendere, et pro ratione praesidiorum temporis huius, illustrare atque etiam ornare uberius; dum hostilem assumsit spiritum, quem tua prae se fert dissertatio, ingenti detineri errore, penitusque excidere fructu op-

tato. Quis enim unquam exspectasset, ut ab iis lacessendis sui laboris sumat exordium, quibus nemo academiae opportunior, nemo conjunctior est? Ut tanto in illos impetu et belli furore invadat, cui addi nihil posset, si cum apertis hostibus, aut manifestis apostatis negotium ageretur? Quid enim obsecro, viri doctissimi! hac prima dissertatione, quae judicia, animumque vestrum orbi aperuit; quae hostilitatis totiusque belli summam continet, literis aut religioni praestitum est? Frons operis, hermeneutarum Austriae, ad ipsam usque adeo revelationis delendam ideam, conspirationem et exquisitam impietatem offert lectoribus; in operis decursu, expressa eorum nomina conspiciuntur; leguntur impia et exitiosa, si Diis placet, eorundem dogmata, tam temere, tam susque deque projecta et repetita, velut si de pomis unice et nucibus ageretur; pro coronide demum, quod in Austriae imperio, religio divina in humanum politicumque systema versa est (!), hermeneutarum studiis adscribitur! (§. 202. 203.)

Quis in hoc dissertationis scopo, in hac tanta accusationis enormitate, non exspectet et jure postulet *Jahnii*. *Mayeri*, *Arigleri* etc. ordine sibi recenseri monstra illa errorum et impietatis, quae revelationi afferant exitium, aut naturalismo aperte velificentur? Tu autem, mi Comes, quid tanto dignum tulisti hiatu? Nugas certe et fabulas meras, quibus egregie tibi os oblevit Magister, et hodegus; aut si quid praeterea, nihil sane ultra scholasticas et criticas quaestiones, nec tibi, nec illis intellectas. Repete superiora, si sine rubore potes, et senties nihil dictum in *Neotericos*, quod non pari jure in Hieronymum dicas et summos quosque viros. Nihil, ut vides, silentio praeterii tuorum, et hederas insuper addidi Magistri, quo magis intelligas, te nihil, nisi pilam, esse in ejus manibus, qua ex insidiis illudat alios; nihil nisi leivem sonum, ut quae inter nos ad raucam usque ravim oggerit, tu Roma recentares, resonabilis echo.

Quidquid enim abs te, mi Comes, a Magistro, a Commilitone objectum est *Jahnio* de usu loquendi; de usu ecclesiae in hermenia; de sensu ecclesiae et consensu patrum, in quibus praecipua sedes vestrarum criminationum est; haec omnia errorum monstra si vos audio; unico illo facto complexus est *Hieronymus*, dum ex hebraeis fontibus, novam ecclesiae

adornavit versionem latinam. Vidisti enim supra §. 54 — 83. primam huic summo viro curam fuisse de hirco, cane, capra et sue (§. 202.), e quibus contemperatas ad Apicii praecepta dapes suis pararet Latinis. Summo loco erat sermo hebraeus, proximus Chaldaeus, post alieno adjutorio Syrus quoque et Arabs. Usum loquendi docuerunt Tiberiadenses Rabbini, quorum haud dubie plures redemisset, nisi jam tum rari fuissent, qui non *magis ventris quam pectoris curam gererent a)* Nihil ergo tanto doctori ecclesia, nihil Graecorum Latinorumve patrum chorus hoc in opere contulerunt, nisi forte tibi magis placet docti Commilitonis sententia, ut vocabula Hieronymus didicerit ab Hebraeis, sensum ab Graecis et Latinis! §. 134. Nec minus crimen illud erat, cum passim receptam de LXXII. cellulis Alexandrinis persuasionem exsibilat (Praef. in Pent.); quae ad augendam graecae latinaeque versionis auctoritatem non minimum fecit.

Haec duo, mi Comes, in Hieronymo tanta sunt ad excitandam coaevorum invidiam, ut omnes *Neotericorum* sententiae, de quibus vos, qua praejudicio, qua inscitia, tamquam exitiosis sanae doctrinae vociferamini, vel ideo in comparationem venire non possint, quia maxima parte nihil continent, quod non dudum praeiverit Hieronymus: cetera autem natura hodiernae controversiae exigat, si sine perpetua petitione principii cum adversariis sermonem vultis conferre. Unde si quid hac in re nossetis, etiam me non monente videretis, multo majus fuisse odium Hieronymi inter coaevos, quam hodie *Neotericorum* sit; nec dubium esse, ut vos omnes nunc laudatis Hieronymum, sic *Neotericorum* quoque agendi rationem, perseverante praesertim adversariorum systemate, brevi, vobis etiam invitis, palam ab omnibus esse probandam; quoniam in aperto est, non nisi vestro livore, vestris mendaciis et criminationibus, inania spectra et terriculamenta hominum oculis objici. Ut ergo Hieronymus intemerate retenta ecclesiae doctrina, adversariorum alios explosit, alios castigavit severius: sic praesens haec lucubratiuncula, quamcunque incomta atque strigosa, vestras tamen satis reteget artes viles atque fallaces.

---

a) Praef. in Ose. Tom. 3. pag. 1238. Ed. Mart.

Denique, mi Comes, si cum Hodego, Magistro, et Commilitone sententiam ferre vis de *Jahnio*, scias oportet judicia aetatis, controversiae statum, ipsamque hanc, de qua agitur, disciplinam. Ponam ergo tibi, qui istorum nihil intelligas, de *Jahnio* viri sententiam, in quo nec fidem nec scientiam desideres. Is ergo, ubi quaedam praemisit de moderna Judaeorum interpretandi ratione, sic continuat: „Hier gilt „jenes Paulinische: prüfet alles, und was gut ist, behaltet! Selbst bei unsern naturalistischen Auslegern „ist dies der Fall. Ausser dem, dass manche ihrer Interpretationen nach sehr richtigen Grundsätzen entworfen sind, leiten die gekünstelten, exotischen und „nicht christlichen, gerade durch den Gegensatz, auf „die richtige Ansicht hin, die sonst verborgen geblieben wäre. Freilich gehören, um dieses zu leisten, Männer dazu, die zu prüfen verstehen; und „deren hat die catholische Kirche nun mehrere; um „nur einige zu nennen, einen Jahn, Dereser, „Hug etc.“ „Literaturzeitung für kath. Religionslehrer, von Fr. C. Felder 1817. Septemb. pag. 310.“

Pag. autem 311. ibid.: „Recensent bemerkt dies, „weil blinde Verwerfung nie Gutes wirkt, noch minder die starre Orthodoxie. Wir leben in Zeiten, wo „geprüft werden muss. So wird Recensenten eben „geschrieben, dass Jahn's *Introd. in vet. test*, *Reybergers Ethica christ. Mayers Interpres nov. test.* aus „allen Schulen in Ungarn verwiesen worden. Wird „man anstatt dieser trefflichen Werke etwas Besseres „einführen können?“ Scandalosum dubium, mi Comes! quasi non exstent sex volumina tui Magistri.

In tantis igitur, mi Comes, dissertationis tuae vitiis, totiusque incepti defectibus, non possum non dolere de tam inauspicato academici instituti exordio, quod pro eminentissima urbis dignitate, pro copia doctissimorum virorum, quos suo gremio complectitur, pro suo rem catholicam provehendi studio, fructus ferre poterat amplissimos, si, qua mente pia et integra negotium susceptum esse non dubito, eadem gravitate judicii, maturitate consilii, penitiore personarum notitia, totiusque argumenti cognitione profundiore fuisset tractatum. Nunc vero, ubi incerto auctore, rumore vago, aut obscuris malignorum vocibus inducti estis, ut severitate inaudita statueretis de nobis; ipsi

vos academici doctissimi vestris ita praejudicastis laboribus, ut non facile quisquam, qui rem intelligat, quod indidem profectum sit, dignum lectione sit existimaturus in posterum. Causa enim nec explorata, nec cognita, in ipsa fronte propudiosissimae dissertationis huius monstra fecistis ex hominibus, cum fidem nobis eripuistis et religionem.

Si enim id sumus, quod vestro de nobis judicio decretum est, non jam vel id nobis relinquitur, quod in simili causa dixit apostolus: „*si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*“ Neque enim jam miserabiles ex errore, qui optimam voluntatem quam saepissime comitem habet; sed studio dataque opera, mente animoque conscelerati sumus: praedicamus, quod non credimus; seducimus cum instituimus; corde aversamur, quod laudamus ore; in quovis dicto, quovis vitae momento, tamquam simulatores pessimi, et seductores detestandi, propriae conscientiae judicio damnamur; si tamen non et istam nobis eripuistis. Hui! quanta monstra unico peperistis oraculo, de quibus ultra tres cerebrosos administros causae huius, nulla in Austria fama, nulla suspicio est. Compatior ergo tibi, mi Comes, compatior academiae et rei catholicae. Si enim primitiae novi instituti, quas eruditione, gravitate, ipsoque sermone spectatas imprimis atque illustres esse oportuit, ita cesserunt, ut sine haesitatione amplecteremini, quod livor malignus et crassa inscitia ad vos detulit; ut hostes duceretis, qui in asserenda revelatione et fide catholica communi publicoque judicio doctissime versati sunt; ut pro doctrina monstra errorum, pro laude convicia, pro argumentis probra atque ludibria quavis ingereretis pagina: vereor, ne, dum sic agitis, contra animi vestri sententiam, res catholica plus detrimenti capiat a vobis, quam ab apertis hostibus. Mihi crede experto, ne tuarum quidem, mi Comes, partium paucis satisfecisti, lectoribus, quos errorum, quos sermonis inculti et rustici, totiusque scriptionis indigestae atque confusae ita pudet, ut ad nescio quam arcanam providentiam confugere malint, quam haec a te Romae scripta atque probata ullo modo credere. De libris invectivarum Rufini scribebat quondam Hieronymus: „*miror, ausum illum esse, haec Romam verborum por*

tenta transmittere b); hodie verborum sententiarumque Roma nobis monstra mittuntur.

Artes illiberales.

§. 217.

Decet, mi Comes, literarum imprimis cultores, in referendis alienis incorrupta fide versari, nihil insidiose agere, nedum comminisci, et perfide adscribere aliis, quod illi nunquam senserunt. Te igitur, Magistrum et Commilitonem tuum, pulla vestis, attonsum caput, universaque conditio, fidei, veritati, virtuti peculiarius sacrata, magis etiam commovere debuerunt, ut mendacia, corruptiones, fraudes, calumnias a vobis quam longissime segregetis, et peste peius fugiatis. Quae ergo vos agunt intemperiae, qui istis omnibus ita vos devinxeritis, ut, qui vos norit, in eam debeat opinionem venire, has propudiosissimas artes criminum numero exemtas esse vestra sententia? aut veri honestique sensum duro et impenetrabili callo in vobis esse obductum? Unde dederim licet plura iam per decursum huius probri flagitiique vestri exempla, alia tamen proposito huic loco servavi, ut, quos hac fallacia et impudentia in errore detinuistis hactenus, tandem intelligant, vos non casu, non imprudentes, uno alterove loco sic esse prolapsos, quod pro humana fragilitate nemo non excusandum duxerit, sed passim, obvie, studio, dataque opera, prodigiose mentiri, corrumpere, criminari.

§. 218.

De vet. test. institutionibus Magistri tui cum dicerem sententiam (supra §. 2.), sic ante annos XIV. Part. 1. §. 1. num. 5. scribebam. „Divina librorum auctoritas, alias, etsi minus commode, *inspiratio* dicta: ubi docendum erit, sacrorum scriptorum non modo sermones, quos velut divini legati protulerunt ad populum, sed etiam scripta universorum, quae ad nos usque pervenerunt, pari inerrantiae auctoritatisque praerogativa pollere. *Quid enim absurdi est suspicari,*

---

b) Advers. Ruf. Lib. 2. Tom. 4. Part. 2. pag. 401.

Moysem et prophetas, quae divinitus revelata acceperunt primum, et viva voce retulerunt ad populum, postea ingenio suo, suisque relictos facultatibus retulisse in literas? quod de historicis et moralibus libris multo etiam pronius est opinari; cum in illis quidem gesta referantur, quae aut suis viderunt oculis auctores, aut e scriptoribus anteriorum temporum derivabant in sua; uti patet e libris regum et paralipomenon, qui passim e regum annalibus fluxerunt. In his autem posterioribus sufficere abunde possit acutum Salomonis ingenium; imo hanc originis rationem auctor ecclesiastici *) *aperte tradat in prooemio. Unde non mirum, si haec sententia inter acatholicos*, qui majorum suorum nondum penitus repudiarunt systema, *passim nunc obtinet;* etsi major hinc oritur necessitas, hoc argumentum tractandi sedulo."

§. 219.

Ibidem §. 3. Exempl. 1. pag. 10. haec de *inspiratione* commemoravi: „Argumentum sane ut momentosum, ita maxime impugnatum hoc tempore. Primum acatholicorum paucis proponam sententiam, cum id minus dilucide fecerit cl. auctor. Neque enim apte vindicari veritas potest, nisi constet, quid? quibusve de causis? aliud statuat adversarius. Est autem sequens eorum ratiocinatio nec adeo inepta aut vana, ut non quadam consideratione digna sit. Concedunt moderatiores certe eorum, Moysi et prophetis revelationes obtigisse rerum arcanarum, et mandata divina, quae perferrent ad populum: at e perpetuis exemplis illud quoque satis patere, munus propheticum ad particulares tantum actus fuisse restrictum, nec esse, cur illis perpetua inerrantia divinaque auctoritas tribuatur, ut in apostolis creditur: sed terminata legatione, quam peculiari Dei mandato obire jussi sunt, rediisse ad communem hominum conditionem, uti Nathanis 2 Reg. 2. Isajiae 38. et Moysis aberrationes testantur Exod. 18. et Num. 32." Hic subjunguntur alia adhuc adversariorum argumenta; tum autem sic prosequor eorundem nomine:

---

*) Per inadvertentiam auctor cum libri interprete permutatus est.

„Sed multo minus opus esse divino hoc praesidio in libris historicis et moralibus. Qui enim rebus gestis ipsi non aderant, sua scripserunt e vetustis documentis, uti in libris Josuae, Judicum, Regum, Paralipomenon tardius adornatis clarum est. Proverbia denique, Ecclesiasten, Cantica-Canticorum, quin Salomon sui unius ingenii adjutus opibus potuerit conscribere, cordatum quemque eo minus esse dubitaturum, quod alterius praesidii aut luminis nec ipse meminit auctor."

„*Nunc jam videndum, quomodo cl. auctor dogma catholicum ex adverso vindicaverit. Sic autem disserit*" —:

§. 220.

Qua fide integra, mea tibi retuli, mi Comes, eadem tibi etiam referam, quae Magister tuus in famoso scripsit libello supra §. 6. De primo igitur loco, quem habes supra §. 218. sic ille: „Nro. 5. deinde istius suae praescriptionis habet istud: *Quid enim absurdi est suspicari, Moysem et prophetas — Unde non mirum, si haec sententia inter acatholicos passim nunc obtinet.*" Describit nempe ea, quae illo §. 218. cursivis literis expressa sunt: tum autem continuo subjungit: „Ipsius itaque sententia est, quam etiam infra suae recensionis pag. 10. de industria suscipit probandam adversus meam de inspiratione LL. Canonicorum sententiam, Moysem et prophetas in scribendo divina inspiratione praeditos non fuisse; historicos s. scripturae libros non alia ratione esse scriptos, quam scribi solent aliae quaecunque profanae historiae etc."

De altero autem loco meo, §. priori posito, ait: „Hic adversus illud, quod ego habeo de divina inspiratione, illud ipsum adstruit, quod jam supra ipsius verbis est positum: libros scripturae s. esse tantum humano ingenio et industria scriptos, meamque sententiam de divina inspiratione vi omni sua et contentione oppugnat. Huic autem principio, suo a Protestantibus modernis accepto, inaedificat illa omnia, quae adversus meam de divina inspiratione catholicam sententiam opponit etc."

§. 221.

Habes in his, mi Comes, exemplum fidei et veracitatis Magistri. Neque enim quisquam, qui quod

legit, intelligat, negare potest, supra §§. 218 et 219. adversariorum a me sensa referri; poni eorum argumenta obvia, quae vel tironi paulo attentius rem expendenti in mentem veniant. Tum etiam vides §. 218. in fine additum: „*Unde non mirum, si haec sententia inter acatholicos nunc passim obtinet.*“ Certe ergo, quae in antecedentibus retuli, non mea, sed Acatholicorum sunt. Nisi forte omni ratione ita destitutum me putas, ut, si catholicae insidiari volui doctrinae, sententiam meam Haereticorum commendem consensu! Mihi crede, nemo circumforaneus tam insanus est, ut toxico infectas clamet, quas vult protrudere merces. Ego vero, etsi nihil mihi arrogo, eam tamen obviam rudissimorum etiam prudentiam non mihi derogem, ut obrepere si volui incautis, ipse ego, in scripto publico, quod praeviderim altius subiturum judicium, eandem doctrinam haereticam fatear, eodemque momento damnem pariter, pariterque commendem. Id enim non astus foret, sed delirium.

Idem vero etiam apertius vides §. 219. ubi initio, alienam a me referri sententiam aperte professus sum; et in fine addidi: „*nunc jam videndum, quomodo cl. A. dogma catholicum ex adverso vindicaverit.*“ Quae si non sufficiunt, iam nemo erit, quem similiter mentiendo non possis haereticum facere. Quid ergo causae fuit tam propudiosi incepti? Id unum, mi Comes, quod Magister ad eas hostium rationes ita contremuit, ut nisi impacta haeresi fidem mihi facultatique detraxisset, periclitari videretur ea opinio, quam ipse de se habuit semper maximam; inque suspicionem veniret, se nondum etiam post tot volumina nosse, quomodo tanta fidei nostrae veritas asserenda sit. Quasi vero, qui multa scribat, semper etiam docte scripserit: ipse eruditus sit, si nos simus haeretici: aut hostium satisfactum sit argumentis, si me fecisset impium, qui ea retulerim! Tolerabilior esset injuria, si vel per infamiam nostram profecisset, et publicae institutioni hac in parte esset consultum. Sed satis vides e superioribus, imprimis e §. 138. 139. non vel in praesens videre Magistrum, ubi ejus quaestionis situm sit momentum, tametsi, dum suas institutiones vulgavit, rem omnem dilucide, et nostris consentanee necessitatibus deductam habebat in *Jahnio*.

Denique super eo, mi Comes, diligentius te monitum volo, hunc truncatum locum meum, hanc in referendis meis perfidiam Magistri tui, turbinem fuisse eius tempestatis, de qua §. 6. injecta mentio est: ut mirari debeas, repertum esse, qui e verbis postremis: *unde non mirum si haec sententia inter acatholicos nunc passim obtinet*, non illico fraudem subodoratus sit, sed propudiosum hoc Magistri commentum, tamquam Delphicum oraculum avide arripuerit, quo de me, totaque facultate, tamquam compertis haereticis triumpharet. Triste est, mi Comes, si magis placet, primi instituti lustrorum magistros (§. 7.), haereticos esse, quam pios. Alterum illud opportune disces, quanto ad id incubuerit studio Magister tuus, ut totum institutum haereticis accenseat; qui, tametsi mea legerit per extensum, et apertissime viderit, alienissima esse ab animo meo, quae tam indecore adscripsit mihi: non viderit tamen, quod erat obvium, additis his verbis postremis, aperte prodi, quod molitus est, insidiosum inceptum; cum nemo censeri possit tam hebes, ut in scripto publico, ultro crimen profiteatur in caput suum. Vide ergo in Magistro quid impotens parere natus sit animus? quorsum admissis habenis coecus rapiat affectus? Quod ut magis intelligas, eoque caveas diligentius, alterum addam gemellum exemplum.

§. 222.

Joannes Davides *Michaelis*, in suo collegio critico (1759), ostendit, Psal. 16 (Vulg. 15.), versu 10: lectionem hebraeam חסידיך spectatis consonis formae pluralis, postponendam esse alteri formae singularis חסידך, adeoque cum vulgata legendum: „*non dabis sanctum tuum*,“ non vero „*sanctos tuos videre corruptionem*.“ De eodem autem hoc loco, 1790, adeoque annis 30 tardius, in suis ad Act. 2, 27. adnotationibus sic scribit:

V. 27. „Dass d e i n H e i l i g e r v e r w e s e. (oder „buchstäblich mehr Hebräisch als Deutsch, d i e V e r„w e s u n g s e h e.) Ehedem hat man es als eine „fürchterliche Einwendung gegen die Erklärung, die „P e t r u s und Cap. XIII., 35. 37. P a u l u s vom sechs„zehnten Psalm machen, angesehen, dass im Hebräi„schen deine Heiligen in der mehreren Zahl stehen, „also nicht von Christo allein die Rede sey, sondern

„von den Heiligen Gottes überhaupt, die er schützet, „oder doch von mehrern Heiligen: allein diese ist „seit 1780 und 1787 völlig verschwunden, nachdem „die Hebräischen Handschriften von Kennicott und „de Rossi verglichen sind. Vor 30 Jahren sagte ich „im critischen Collegio über den 16. Psalm, was ich „damals sagen konnte, dass die alten Uebersetzungen, „die um Jahrhunderte älter sind, als alle unsere he„bräischen Handschriften, ferner auch viele dieser „Handschriften, und mehrere Juden, hier so hatten, „wie Petrus und Cap. XIII. 35. 37. Paulus, dein „Heiliger: im Jahr 1790 aber fällt wohl der Zwei„fel völlig weg, nachdem sich diese Leseart in mehr „als drittehalbhundert hebräischen Handschriften, und „vielen der ältesten, selbst blos jüdischen Ausgaben „gefunden hat. Die Sache ist so ausgemacht, dass „im Jahre 1783 der gelehrte Jude Moses Mendelssohn, „der blos die Kennicottische 1780 herausgekommene „Sammlung der Lesearten gesehen hatte, und noch „nicht die de Rossische, im 16. Psalm übersetzte: „du lässest deinen Frommen nicht die Ver„wesung schauen. Mehr kann ich hier, wo ich „alles Gelehrte vermeiden muss, nicht sagen, es ist „auch nicht nöthig, denn wenn einer meiner Leser „mehr wissen wollte, um in einer ihm wichtigen „Sache mit eigenen Augen zu sehen, so kann ich „ihn auf *de Rossi varias lectiones veteris testamenti* „verweisen."

Nunc, mi Comes, tuum audi Magistrum. Is, ubi commemoravit, numerum singularem *sanctum* a Michaele probari, atque etiam causas ejus e commentario critico attulit, postea sic pergit: „Idem Michaelis tamen in adnotationibus suis ad Act. 2, 27. annis 30. post illud *collegium* suum *criticum*, abjecit hanc de numero singulari sententiam, cum per *Kennicottum* et *de Rossi* in pluribus quam ducentis quinquaginta exemplaribus, horumque multis antiquissimis detecta, et producta esset altera *numeri pluralis* (!) lectio: lectoremque suum ad *de Rossi* remittendo, confidenter praenuntiat, ubi hunc consuluerit, non haesurum dubium, quin Petrus et Paulus hunc istius psalmi principem locum male allegaverint. Ubi ergo sunt illa tam certa atque firma pro altera numeri singularis leetione argumenta, ab ipso Davide Michaelis in *collegio eritico* allata? Tamne facile se dimoveri

passus est a pristina sua sententia *a*)?" Quam vile mendacium et obtrectatio turpis! Ipse adeo *Rossius* adjuvare debet maledicentiam, cuius copiosos codices aliaque documenta, non pro plurali *sanctos*, ut subdole finxit Magister tuus, sed pro singulari *sanctum*, per extensum legere potes Var. lect. T. 4. p. 9.

§. 223.

Alterum quoque vide animi impotentis exemplum. Scribit Instt. novi test. Tom. 3. pag. 10.: „David Michaëlis sic scripsit in annotat. suis ad Act. 2. v. 27. „Ehedem hat man es als eine fürchterliche Ein„wendung gegen die Erklärung, die Petrus und „Paulus Cap. XIII., 35—37. vom 16. Psalm machen, „angesehen, dass im Hebräischen deine Heiligen „in der mehreren Zahl stehe, also nicht von Christo „allein die Rede sey, sondern von den Heiligen Got„tes überhaupt, die er schützet, oder doch von meh„reren Heiligen: allein diese ist seit 1780 und 1787 „völlig verschwunden, nachdem die hebräischen „Handschriften von Kennicott und de Rossi ver„glichen sind. Ipsa verba produxi, ut supplerem, quod me fecisse dixi in Instt. Herm. vet. test. Tom. 3. pag. 165. ad Psal. 15. quod tamen omissum fuisset."

Idem ergo affectus aemulationis, qui Magistrum paulo ante ad obtrectandum impulit, nunc mentis aciem ita hebetavit, ut nec adverterit quidem his suam damnari perfidiam, ab creata autem invidia Michaelem absolvi. Si enim horribilis illa quondam objectio, e *fontis plurali* petita, per *Kennicottii* et *Rossii* variantes, juxta haec Michaelis dicta disparuit; utique necesse est, ut Michaëlis et in collegio critico, et in adnotationibus quoque ad Act. 2, 27. lectionem singularis numeri praetulerit, uti §. priori verba ejus clare indicant; quorum sensum dum prius mendaciter Magister posuit, nunc ipsa verba sincere adferens, fraudem suam ultro aperit, inque caput suum ipse dicit sententiam.

§. 224.

Non possum ab hoc psalmo 15. divelli, quin unum adhuc exemplum dem malae fidei Magistri.

---

a) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 164.

Michaelis in sua versione germ. Tom. 6. 1782. psalmi huius sic praemittit argumentum pag. 18. „Eine „Weissagung auf Christi Auferstehung von den Tod-„ten. Eine ungenannte Person, die uns als ein Prie-„ster Gottes beschrieben wird, redet erst überhaupt „davon, dass Gott an seinen Heiligen noch im Grabe „Wunder thue, und sie zum Leben erwecke: dann „aber sagt sie von sich insonderheit, ihr Leib werde „nicht im Grabe verwesen, weil Gott sie früher aus „dem Grabe auferwecken werde, als die Verwesung „eintreten kann."

Ait ergo in hoc Psalmo loquentem induci sacerdotem: in Textu autem v. 10. sequitur lectionem singularis numeri: „Du wirst nicht zugeben, dass „dein Heiliger verwese." De auctore vero psalmi sententia illius colligitur ex subiunctis notis pag. 27. ubi provocat ad *criticum collegium*, probatque ibi scripta praeter unicam deviationem a punctis versu 5. In collegio demum illo pag. 47. profitetur Davidem, de titulo psalmi sic scribens: „Eine Grabschrift Da-„vids ist hier nicht eine Grabschrift auf David, son-„dern eine, welche ihn zum Verfasser hat."

Nunc audias Magistrum: „Iste psalmus, inquit, Davidis est, ut hoc Davidis nomine testimonium etiam productum est a Petro et Paulo apostolis. Contra quam tam apertam et apostolicae auctoritatis testificationem, tamen hunc iterum *David Michaëlis* sacerdoti cuipiam tribuit: quo pacto Davidi non maneret, qui sacerdos non fuit ex tribu Juda oriundus." Instt. vet. test. Tom. 3. p. 168. Qui flavis vitris utitur ocularibus, illi, mi Comes, etiam candida flavescunt, eoque et hic corrupta vides, quae scripsit Joannes D. Michaelis.

§. 225.

Aliud de Michaële memorabilius accipe exemplum. Is in sua versione germanica psalmorum sic praemittit psal. 110. in vulg. 109. argumentum. „Von dem „Messias, als einem siegreichen Könige, und ewigen „Priester, der selbst der Herr, oder Jehova ist, und „zur Rechten Gottes sitzt." Versum autem primum vertit: „Der Herr hat zum Herrn gesagt: Setze dich „zu meiner Rechten." Neque desunt graves causae sic vertendi. Scribit autem in notis pag. 246. „Der „Herr ist hier eben derjenige, der im fünften Vers

„unter diesem Namen erwähnt wird. Der Herr „spricht zum Herrn, oder Jehova zu Jehova: derje„nige König zu Zion, aus dem Geschlecht Davids, „oder der ewige Priester über das Heiligthum Mel„chisedeks, der uns hier beschrieben wird, ist der „Herr selbst, d. i., er ist wahrer Gott; denn die„ser Name (hebräisch Adonai) wird keinem andern, „als dem wahren Gott gegeben, und ist mit, Jeho„va, gleichbedeutend.“ Et paulo infra: „Wenn nun „Jehova zu dem Herrn (dem Könige und Priester aus „Davids Geschlechte) saget: setze dich zu meiner Rech„ten: so ist es zuvörderst so viel als: geniesse mit „mir göttliche Ehre und Anbetung! sey der Gegen„stand aller Gottesdienste meines Volks.“ Pag. 247.

Denique ad vers. 4. scribit pag. 250.: „Melchi„sedek scheint keinen steinernen Tempel gehabt zu „haben, sondern der Himmel sein Heiligthum, zu „dem er die Augen im Gebet wandte, gewesen zu „seyn. Ueber dies grosse und wahrhafte Heiligthum „Gottes, über diesen, wie ihn der Brief an die He„bräer nennet, nicht mit Händen gemachten Tempel, „soll der König zu Zion, der hier besungen wird, „ewig Priester seyn. Dass dieses eine Abschaffung „des levitischen Priesterthums in sich fasse, das an „eine irdische Hütte oder Tempel gebunden war, „wird man leicht sehen; und Paulus schliesst dieses „auch daraus, weil ein Priester nicht aus dem Stamm „Levi, sondern Juda, ganz gegen das levitische Ge„setz, verordnet wird. Auch das scheint in dem „Ausdruck zu liegen, dass dieser Priester die „Religion, so wie sie zur Zeit Melchisedeks in ih„rer natürlichen Einfalt war, wieder einfüh„ren werde: denn, wie vorhin gesagt, der Ort, wo„hin man sein Gesicht im Gebete wendet, ist im „Orient ein Merkmahl und Bekenntniss der Reli„gionen.“

Quod autem de Melchisedechi religione dicit: „so „wie sie in ihrer natürlichen Einfalt war;“ clarum est, eam comparari cum cultu Hebraeorum innumeris ritibus onusto; unde etiam Paulus Hebr. 7, 11. 12. e sacerdotio Melchisedechi eorum abolitionem intulit.

Sed nunc Magistrum audi. Loquens de *J. D. Michaëlis* ait: „Hoc ergo in his verbis (v. 4.), quibus Christus a Davide canitur sacerdos secundum or-

dinem Melchisedech, sibi videri esse, ut abrogato Levitico sacerdotio, ritus per Christum colendi Deum et religio ea reducatur, quae *simplex et naturalis* aetate Melchisedechi fuit. Desideraturne quidpiam clarius ad perspiciendum, quo homines hi sua scripturae interpretatione laborent, qui scopum ipsius Christi in fundanda religione „*non alium faciunt. quam solam naturalem religionem*“ Instt. vet. test. Tom. 3. p. 197. Pro documento autem tantae impietatis citat, e Michaëlis §. proximo verba supra relata: „Auch das „scheint in dem Ausdruck zu liegen, dass dieser Prie„ster die Religion, so wie sie zur Zeit Melchise„dechs in ihrer naturlichen Einfalt war, wieder ein„führen würde.“ Nec hac re contentus, impudentissime mentitur Christum a *Michaelis* et *Neotericis Naturalismi* constitui *antistitem* ibidem pag. 195.

Est in his, mi Comes, Magister tuus commiseratione quam animadversione dignior. Qui enim virum scriptis doctistimis de revelatione immortaliter meritum, eoque in tota Europa notissimum, nulla causa, pectore gelido Naturalistam faciat, et oculo irretorto in huius famam et religionem grassetur; haud scio annon nativum pudoris, aequi justique sensum, in illo prorsus jam occaluisse jure dicas.

Tu igitur adverte, religionis „*naturalem simplicitatem*, quod dixit Michaëlis, et „religionem *simplicem et naturalem*, quod finxit Magister, oppido distare. Christianam enim Mosaicae collatam, ab *naturali simplicitate* jure laudes; at *simplicem* et *naturalem*, in oppositione scilicet *revelatae*, uti *naturalem* sumit Magister, absurde dixeris. Legit praeterea tuus Magister non tantum has notas Michaelis in duabus pagellis, unde calumnia sumta, sed legit etiam eius prolixum commentarium in *collegio critico*, quia plura inde unice sumta commemorat: qui ergo viderit Christi divinitatem ex hoc psalmo ita asseri, ut a nullo factum est antea; viderit hac Michaëlis opera in rem catholicam sedulo usos esse dogmaticos nostros; non ignoret demum, Michaelem in sua dogmatica, de insufficientia naturalis religionis et revelationis necessitate, ceterisque dogmatibus positivis, docte et studiose egisse tribus annis post illa etiam, unde calumnia ducta est: quo animo Michaelem Naturalistam fecerit, facile statues. Confer eandem vilissimam calumniam etiam inInstt. nov. test. Tom. 1. p. 29.

§. 226.

Si ex his nondum satis nosti, mi Comes, Magistrum, accipe alia: neque enim penuria exemplorum est. Scribit *Jahnius* Enchir. §. 8. Nro. V. pag. 30. *Usum loquendi* definiri *vita communi.* Inter alia exempla adfert vocem ἐξουσία, quae *potestatem, auctoritatem* etc. significat; at 1 Cor. 11, 10. usurpari pro *peplo*, quam notionem nullus Graecorum norit; ut adeo vertendus sit locus: *mulier peplum habere debet super caput.* Sed unde inaudita haec notio? Ex usu in vita communi, inquit. Similia ait esse: *canis, canis mortuus, mingens ad parietem*, pro homine impotente, infimae sortis; *Senex* pro honorato; *Frater* pro diligendo, vix tamen nisi etiam socio religionis etc., tum autem continuat: „Ceterum scriptura plerumque juxta communem sensum loquitur; quare effata talia premenda non sunt, ut jam adnotavit *Holdenius* in divinae fidei analysi Lib. I. C. 5.; scribit enim: „veritates philosophicae nec probandae, nec improbandae sunt ex puris nudisque scripturae verbis et sententiis; quamvis enim nullam complectatur scriptura falsitatem, attamen ipsius loquendi modus utplurimum vulgaris est, atque ad communem captum potius, quam ad loquelae proprietatem et rigorem sermonis adaptatus est. Hoc ipsum de Paulo quoque, licet fuerit eruditus, observavit Chrysostomus Hom. 9. in ep. ad Philipp. 2. ubi scribit: „*multa ex communi audientium sensu proferre, neque ubique philosophari.*" Tom. 6. pag. 86. Ed. H. Savil.

Quid Magister tuus? mirare: propter haec verba tantum non atheus evasit *Jahnius!* Ubi enim Magister locutus est de sensu vulgari, quo adversarii immortalitatem, resurrectionem, poenas aut supplicia vitae alterius aliaque e scripturis eliminent dogmata, subjungit in eadem tractatione: „nec putandum est, ista tantum pauca esse, ubi hunc vulgarem sensum constituant *Neoterici.* Sunt *Jahnii* verba ista: *Ceterum scriptura plerumque juxta communem sensum loquitur. Quare effata talia premenda non sunt*: (Enchir. §. 8. p. 31.) ne scilicet si accipiantur, ut sonant, falsitas ex his exprimeretur. Jam vero si pleraque talia in scriptura sunt, quae intrinsecus falsa, in speciem tantum asseruntur in scriptura; quantillum in ea remanebit, quod sit solidae veritatis?" Instt. nov. test. Tom. 1. p. 99.

Non tam hebes est, mi Comes, Magister tuus, ut non viderit, a mente *Jahnii* longissime abesse, citato loco de dogmatibus e vita communi explicandis instituere sermonem; (nisi forte ipse Magister in compitis dogmata colligit, et resurrectionem aliaque positiva, quae per sensum vulgarem impugnantur, *philosophicas veritates* putat) vidit et *Jahnii* et *Holdeni* dicta ad res naturales referri, de quibus in scripturis sermo est, et quae olim magnis litibus praebuerunt ansam; uti non pridem adhuc de Copernicani systematis veritate Romae quaestio fuit; maior olim de antipodibus, an eodem Adamo patre, eodem Christo salvatore gaudeant? et cetera id genus. Sed quia fixum est Magistro, erga omnes, quos fama ab eruditione extulit, feros Saturni erga suam sobolem imitari mores, eo factum, ut sicut paulo ante *Michaelis* propter duas voces: *naturalis simplicitas*, Natulista factus est: ita nunc *Jahnius*, propter *vita communis*, e qua promendae essent vocum notiones, parum abfuit, quin Naturalista deterior fieret Atheus.

§. 227.

Sed jam gravius aliquid narrabo, mi Comes, ad tuam aliorumque salutem. Dicitur 1. Reg. 5, 6.: „*aggravata est manus Domini super Azotios et demolitus est eos: et percussit in secretiori parte natium Azotum et fines eius. Et ebullierunt villae et agri in medio regionis, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnae in civitate.*“ Quaenam esset haec plaga, quaesitum est. Variis varia placuere. Haemorrhoidibus obstat, quod Philistaeorum hoc malum contagiosum videatur; mortiferum cum strage civitatum; quod demum mures causa videantur, et hic commemorati, et anathematibus aureis expressi 1 Reg. 6, 11. 18. Haec removit *Lichtenstenius* docta disquisitione ostendens, vocem fontis usurpari de *solpuga fatali*, specie aranearum, quam sic describit *Jahnius*: „Diese noch so wenig bekannte *Solpuga* hat 6 Füsse, „ziemlich lange, steife und dichte Haare von gelb- „licher Farbe, wie die Wiesel und Spitzmäuse, ist „auch so gross, als eine Spitzmaus, und überhaupt „der Spitzmaus so ähnlich, dass sie leicht mit dieser „verwechselt werden konnte, und oft wirklich ver- „wechselt worden ist.“ Archaeol. germ. P. 1. Vol. 2. pag. 353. Hoc ergo insectum, dum scorpiones, qui-

bus vescitur, indagat, mordere homines in secretioribus aliisque partibus, natosque hinc tumores esse exitiales: „Diese, *inquit*, Insekten haben sich „also durch eine besondere Schickung Got„tes in Philistäa ungemein vermehrt, die „Menschen gebissen und daher die Plage „und die Todesfälle der Philister." (ibid.) Gratuleris de novo invento, quod expediendis difficultatibus tam opportunum est.

Sed eo ipso, quod novum est, damnatur a Magistro; utque lectoribus etiam persuadeat haec esse damnanda, more suo dicta corrumpit, et solemnia mentitur. Loquens enim de *Lichtenstenio* et *Jahnio*, ait: „Per *solpugas* vero intelligunt genus illud *soricis*, qui *sorex arenarius* solet vocari (Germ. Spitzmaus), quorum morsus venenati et mortiferi soleant esse. In quo discedunt a veteri significatione istius vocabuli. Nam juxta Plinium Lib. 29. C. 4. (in fine) *solpugae formicarum* quoddam genus est, morsu venenato praeditum." Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 304. Ed. 2.

Docui supra, mi Comes, poetam mihi videri Magistrum tuum, qui neminem habeat parem; quod praesens etiam docet exemplum. *Jahnius* enim et *Lichtenstenius* in facie orbis literati protestantur, *solpugam* non esse *Spitzmaus*; araneam esse 6 pedum, non autem quadrupedem *soricem*. Frustra sunt omnia; *Jahnius* et *Lichtenstenius* jussu Magistri e solpuga fecerunt *Spitzmaus*, e formica, arenarium *soricem!* Nec hac absurditate contenti *Lichtenstenius* et *Jahnius*, etiam morsum venenatum tribuunt sorici! Opportune sane hoc finxit Magister: cum enim notissimum sit, septemtrionalis Asiae et Europae obvium incolam *soricem*, si ab eo damno discedis, quod a muribus communiter infertur, animal esse prorsus innocuum: nullo labore de iis tamquam rerum omnium ignaris triumphum canit. Pro appendice demum adhuc observat *Lichtenstenii* et *Jahnii* proterviam, qui a Plinii nomenclatione atque fabulis ausi sint discedere, pro huius *formica* solpuga, usurpantes solpugam *soricem!* Si compatior magno illi *Linneo* praemortuo praesentibus, naturae scrutatoribus etiam succenseo, quod tam leviter et incogitanter negligant opera tui Magistri, in quibus tanta arcana naturae recluduntur! Utinam hac scriptione ali-

quid conferam, ut docti viri tandem intelligant, Plinii etiam non intellecta nomina, una cum ignotis animalibus, assutisque fabulis, religiose retinenda esse, et persuasi sint, stultum esse, ultra Plinium quidquam velle sapere!

Haec de metamorphosibus Magistri; nunc de discrimine dicam, in quod *Lichtenstenius*, et *Jahnius* suas animas conjecerunt per *fatalem* illam *solpugam*. Vin tu scire crimen, quod huic animali aut nomini insit? Audi Magistrum: „*Archaeologi neoterici* (quam belle! brevi et *sutores neotericos* dabit), eiusdemque novitatis interpretes, non amant res in scriptura, quae Dei virtute factae sunt, naturae, quae in mundo est viribus superiore, unde firmamentum habet revelata divinitus religio. Hae sunt solpugae, non illae, quas isti in Philistaeis comminiscuntur: quarum morsus vere sunt venenati religioni!" Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 306. Et alibi: „Si itaque has (haemorrhoides) esse fatereutur, videbant sibi agnoscendum esse in his quiddam, quod supra naturam sit, et fuisse plagam, quae venerit ex illa divina vi, qua prodigia fiant." ibid. p. 305. quasi vero prodigium his inesse, aperte non sit fassus supra *Jahnius*. Tu ergo, mi Comes, si retinere cupis nomen christianum, pro haemorrhoidibus Philistaeorum cave dicas *solpugam* aut *soricem*, alioqui tu ipse venenata fidei *solpuga* eris, prodigiorum osor, et Naturalista incredulus.

Quam doleo de tot praeclaris viris, tot meis in arte communi magistris! E Calmeto enim intelligo, *quosdam* solum haemorrhoidibus favisse olim, ceterorum quemque pro lubitu aliud et aliud sapuisse. Hos ergo tamquam venenatas fidei solpugas irrevocabile tenet exitium! Si quid tamen solatur in tantis malis, id unum est, quod ex quo istoc mundo illuxit oraculum, uberiori talium rerum inquisitioni supersedere possumus, quoniam ultra haec Apollinis Delphici effata sapere velle, mera stultitia est. Davidi ergo *Michaëlis* impense gratulor, qui in haemorrhoidibus consentiens Magistro, quoniam per prodigium contagiosas credere visus est, e naturalista subito evaserit christianus fidelis; et paulo prius hostis prodigiorum, tuo jam nunc in deliciis sit Magistro. Sed vereor, ut stabilis sit, quae ex haemorrhoidibus tam cito coaluit amicitia. Maximopere ergo laudo pium Magistri zelum, qui irrevocabili sententia decreverit,

haemorrhoides Philistaeorum sine fidei jactura seponi non posse, tametsi omnes hactenus docti hanc quaestionem inter nugas eruditas retulerint, de quibus quidquid sentias, nihil intersit ad salutem et religionem. Id unum enim curae habebant, ut locum explicarent, et de commemoratis iterato *muribus* expedirent negotium. Sed hoc nihil ad Magistrum, qui ad omnes difficultates, adversariorumque argumenta, quovis mure semper altius silet, quia persuasum habet, pro eminentissima auctoritate nulli ab se deberi responsum.

§. 228.

Ad alias calumnias venio, mi Comes. Agens de strage *primogenitorum* Aegypti *a*) et exercitus *Senacheribi b*), ait: „hoc utrumque volunt *Neoterici* persuadere ex *causa* accidisse *pure naturali*, videlicet per pestilentiam, quae ipsa quoque *causam suam* et *originem naturalem* habuerit. Nam, quamvis Assyriorum strages facta asseveretur per *angelum*, Aegyptiorum per *ipsum Deum*, tamen ista expressione juxta morem loquendi Hebraeis usitatum, non significari stragem, nisi ex *naturali causa* profectam *c*).“ Hanc autem naeniam tibi occentat per octo paginas, sententiae huius patronos nominans J. Davidem *Michaëlis* et *Jahnium*. Communis licet in ambobus calumnia sit, compendii causa de solo agam *Jahnio*. Criminatio ex eo nata est, quod *Jahnius* Exod. 11, 4 — 7. et 12, 23. 29. (ubi de strage *primogenitorum Aegypti*) et 4 Reg. 19, 35. et Isaj. 37, 36. (ubi de clade *Senacheribi* sermo est) in sua archaeologia *d*), inter ea loca citat, in quibus in scriptura de *peste* sermo sit. Hinc autem christiana charitate tuus Magister intulit, utrumque illum eventum prodigiorum numero eximi.

Pudet, mi Comes, Magistrum instituendum esse in primis elementis, adeo in archaeologia et hermenia rudem ostendit haec accusatio. De Assyriis dicitur: „*venit angelus Domini et percussit in castris* 185,000“ — De facto constat, de modo quaeritur:

---

a) Exod. 12. *b*) 4 Reg. 19, 35. Isaj. 37, 36. *c*) Instt. vet. test. Tom. 1. Cap. XXIV. §. 71. p. 295. *d*) Part. 1. Tom. 2. p. 387. 388.

est enim natura comparatum, ut etiam cum non cogunt adversarii, qui similia in fabulis putant, causas modumque, quantum res ipsa tulerit, anquiramus. Magister tuus urget dictum: *angelus percussit.* Quaero: an immediate? an causae alterius interventu? Si primum, nescio quam ideam conjungere possit, qui de spirituum operatione nullam habeamus. Hinc jam ante XVII. secula Flavius Josephus aliam causam requisivit, cui ratio acquiesceret; scribit enim: „*Morbo pestilenti in Senacheribi exercitum immisso*, 185,000 *intereunt e*)."

Aliorum diversa tentamina *Calmeti* verbis tibi, mi Comes, in compendio referam, cum operae pretium non sit his immorari, quae ita cuiusque relicta sunt arbitrio, ut quamlibet sententiam praeferas, nihil intersit. Ait autem: „Sive enim gentem perimi contigerit peste, morbo, gladio, unus est angelus mortis, qui gladium suum exseruit. Vel Assyrii in mutuam caedem intempestae noctis horrore saevierint; sive tonitru, fragore, et concussione spiritus intercluderentur; sive igne coelitus delapso, sive fulgure, sive immissis intimis ulceribus interierint, sive e saxis praecipites se dederint: unus est angelus mortis inferens caedes. Ita omnia scripturae loca, ubi de hac re sermo, et variae ac in speciem repugnantes commentariorum opiniones conciliantur *f*). Non poterat aptior satyra scribi in tuum Magistrum, qui non videat, angelum hic nihil esse nisi indicium divinae ultionis.

Sed quid opus multis, quando Isajas de eadem strage loquens ait: „*Propter hoc mittet dominus in pinguibus eius tenuitatem, et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.*" 10, 16. In quibus etsi non plane constat de notione vocis, quae hic per *tenuitatem* vertitur; clarum tamen est, nec hanc, nec *maciem*, quod alii praeferunt, convenire; sed majus malum indicari propter parallelismum alterius membri, ubi cum *combustione ignis* permutatur. Quod magis etiam patet e Sophoniae 2, 11.: „horribilis dominus super eos, et *attenuabit* omnes deos terrae" ubi ejusdem radicis verbum pariter lenius

---

e) Ant. Lib. X. Cap. 1. §. 5. *f*) Diss. de dissip. exerc. Senach. sub fin. T. 1. p. 542.

redditum est *attenuabit*, cum praedicatum *horribilis* longe gravius postulet. Hinc ut ex Hieronymo videre est, Hebraei ejus aetatis priorem locum de interno quodam ardore, quo Assyrii assumti sint, exposuerunt *g*). Vides ergo, mi Comes, omnes sub *percussione angeli* morbum, aut naturale quodpiam malum, quo Assyrii peremti sint, intellexisse; quia probe noverant vocem *angeli* de similibus mediis usurpari, quibus Deus ad fines suos utitur. Hinc Psalmo 77, 49. ira Dei et hinc manantia mala vocantur immissiones *angelorum malorum;* Psalmo autem 103, 4. venti et ignis urens, tamquam *angeli et ministri* Dei exhibentur; Proverb. 16, 14. ira regis, et *angelus mortis;* Actorum 12, 23. aeque *percussit angelus* Herodem, id vero est, ex ventris vehementissimis doloribus et vermibus die quinta exstinctus est, ut habes apud coaevum Fl. Josephum *h*). Denique dum Paulus ait: *datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet* 2 Cor. 12, 7. quod jam Chrysost. et Hieron. de capitis doloribus exposuerunt, quos a malo satana apostolo immissos esse, puto nec tu nec Magister vobis persuadebitis.

§. 229.

Ad alterum exemplum venio, de exterminatis *primogenitis Aegyptiorum* Exod. 11 et 12. „*Deus pater, inquit Magister tuus, dixit se egressurum esse in Aegyptum et percussurum* etc. Vos ergo hoc serio creditis, mi Comes, Deum patrem circumivisse et percussisse? Vultis ergo infantes esse, ut tunc Hebraei, quibus anthropomorphico sermone opus erat, quoniam prae ruditate spirituale numen cogitare non poterant, et quibus Moyse absente vitulo aureo continuo erat opus? Non invideo vobis hanc sapientiam. Sed tamen dicite, an *Deo patri* opus fuerit linire postes sanguine, ut sciat ibi habitare Hebraeos et innocuus transeat, prout habetis Exod. 12, 13 et 23.? Dicite viri doctissimi, si *Deus pater* suis manibus percussit, quomodo verum erit: cumque viderit sanguinem — transcendet ostium domus, et *non sinet percussorem ingredi domos vestras et laedere?* eodem

---

g) Comment. in Isaj. Libr. 4. C. 10. Tom. 3. p. 94.
h) ibid. Libr. 19. Cap. 8. §. 2.

versu 23. non ergo ille percussit, sed nescio quis auxiliaris lictor, bonus an malus? Sed isto quoque vos exuam, quia de hac strage dicitur in Sapientia: „*Omnipotens sermo tuus exiliens de coelo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit.*“ 18, 15. Si autem vobis placet per *omnipotentem sermonem*, qui λογος dicitur, *Dei filium* intelligere, quoniam eam vocem sic usurpat Joannes, non repugno; sed tum dabitis, jam ad tertium confugiendum esse stragis auctorem, quamquam evidentius est, quam ut negare possitis, hoc loco nudam prosopopoeiam esse divini decreti. Quis ergo percussit, Pater? Filius? lictor? an decretum? Vide ergo, mi Comes, ut Magister tuus nullus hermeneuta est, ut ille in cortice et apicibus haereat, ut is ad hoc natus factusque est, ut ridiculam hostibus reddat scripturam.

Tu ergo, mi Comes, si quid supra Magistrum sapere potis es, anthropomorphica haec esse existima, nec nobis quidem prorsus inusitata, dum de peculiari quodam effectu loquimur, quanto magis antiquis rudioribus. Exemplum accipe ex Isaja; descripturus calamitatem Aegypti ait: *Ecce dominus ascendet super nubem velocem, et ingredietur Aegyptum*; — hoc quid sit, subjuncta docent; dissidia nempe domestica, nomorum concursus, donec tandem omnes subjicit v. 4. dominus crudelis, qui imperium obtinuit, *Psammetichus*. Confer Psal. 17. et videbis totum naturae ordinem convelli, donec tandem v. 17. e nubibus Deus manum porrigit, et Davidem e fluctibus eripit. Nec tamen haec et similia quisquam prudens ad vivum resecat, sed pro ornatu orationis habet, quo beneficii magnitudo amplius luceat. Sic ergo prorsus in *Deo patre*, aut *angelo* vastatore liberum tibi est ad modum rei explicandum causam probabilem in natura quaerere, quin factum ipsum prodigiosum esse desinat: nisi forte inter plagas ceteras Aegypti, et in transitu per mare, ventum, ranas, grandinem etc. immediate e throno Dei venisse putas, quod suapte ridiculum est.

§. 230.

Ut demum intelligas, quam turpiter mentiatur Magister, dum negat in prodigiis esse *Jahnio* primogenitorum et Senacheribii exercitus stragem, audi

Jahnium de plagis Aegypti loquentem. „Moses be„stimmt in der Vorhersagung jener Wunderbege„benheiten häufig die Zeit des Anfanges und des „Endes, auch wohl mit dem Beisatze, dass die He„bräer von den Plagen frei bleiben werden, und mit „manchen andern sonderbaren Umständen *a*)," et inter alia loca citat Exod. 12, 6. 12. 13. 29. 30. ubi primogenita caeduntur. Alter expallesceret ad illatam innocenti tantam injuriam, tuus Magister ridebit super detecta calumnia. De strage Senacheribi scribit: „Er (Isaias) sagt Cap. 37, 21—35. dem Könige „Hiskia, da alles verloren schien, voraus, Sena„cherib werde abziehen müssen, er erwähnt dabei „eine Luft, die ihn anwehen werde (Pest, vergl. „*Isaj.* 10, 16.) und das Gericht *b*)." — Quomodo ergo non crederet exitium a Deo immissum, quando ex nomine Jehovae facta tam determinata praedictione divinam inspirationem probat prophetarum?

Miror, mi Comes, malum gustum tui Magistri: ut enim supra §. 227. *solpuga* scorpionibus vescitur, sic ille perpetuo mendaciis pascitur et calumniis. Saepe miratus sum hoc embryon archaeologicum, quod vixdum ab secundina liberum, jam bellum in archaeologia quoque indixit *Jahnio*, qui illum nunquam laeserat, nunquam viderat: *Jahnio*, mi Comes, cum viveret major archaeologus biblicus in Europa non fuit, pauci pares; adeo eius quinque volumina ubertate et eruditione omnia excedunt, quae in hoc genere novi scripta non pauca: dum interea Magister tuus, vulgato jam in totam scripturam commentario, archaeologiae biblicae nomen nondum audierat. Ut vero ea hic quoque loci inducta est, jam anno sequente contra *Neotericos* paratus in acie stetit orthodoxus archaeologus eo successu, ut supra §. 189—191. docui.

§. 231.

Accipe, mi Comes, aliud exemplum imposturae cum calumnia: quod ut magis intelligas, adverte *Jahnium* ex communi criticorum judicio statuere, librum Josuae post mortem huius ducis exaratum esse,

---

a) Introd. vet. test. oper. germ. Tom. 3. p. 358. *b*) ibid. pag. 359.

et nomen accepisse a rebus ab eo gestis, non vero ab eo auctore; prorsus ut *Job*, *Esther*, *Ruth*, *Judith* ab argumento sua nomina traxerunt, non vero a personis quae scripserint. Hanc in rem aliorum recensens argumenta fatetur, his quaestionem non decidi; ipse vero duo commemorat, quae sibi videantur rem conficere; illud imprimis, quod Josuae 10, 12—15. citetur *Liber Justorum* ad confirmandum, quae prius narrata sunt; quod utique ab duce, qui ipse ea gesserat, expectandum non sit, uti certe ridiculum foret, si Julius Caesar alterius scriptoris interposita fide probaret, a se Gallos devictos *a*).

Nunc audi Magistrum: „*Jahnius*, inquit, cum argumenta expendisset omnia, agnoscit, haec non esse firma satis ad probandum, hunc librum esse opus scriptoris, Josua junioris. Non eo minus tamen ipse etiam librum abjudicat Josuae, et ad tempus refert primorum annorum regni Saul aut paulo anterius. — *Nullum vero argumentum profert praeter illa, quae firma ipse non habuit* ad librum hunc ab Josua ad aliud posterius tempus relegandum *b*).‟ Vides ut alia re non sit opus, quam inspicere *Jahnium*, ut illum in manifesto teneas mendacio. Sed quia fixum erat, *Jahnium* incohaerentem atque incogitantem facere, qui defendat, quod ipse improbet, opus fuit mendacio, ut imponat lectoribus. Si enim nullum agnoscit *Jahnius* firmum argumentum sententiae suae, cur ejus e Josua 10, 12—15. ductum solvere tentavit *c*)?

§. 232.

Sed si tanta perfidia indigna est, mi Comes, illud sane impudentissimum dices, hoc mendacio abuti turpiter, quo suspectam reddat *Jahnii* fidem et religionem. Quaerit enim in subsequis, quid causae sit, cur liber in tardiorem conferatur aetatem? Audi responsum: „*Jahnius*, inquit Introd. Part. 2. §. 28. veritatem rerum, quae sunt in hoc libro, *tantum in eo fundat*, si historicus, utpote non coaevus (talem videlicet ipse habet scriptorem huius Josuae libri), res, quas refert, quarum oculatus testis non fuerit, sumsit ex fide dignis monumentis idque fideliter.

---

a) Introd. vet. test. Part. 2. §. 26. Ed. lat. *b*) Instt. vet. test. Tom. 2. pag. 227. *c*) ibid. pag. 223.

Haec autem monumenta tam in hoc, quam in aliis libris rarissime producuntur et fere nulla. Sunt vero in hoc libro res admodum prodigiosae, quibus *deistae* et *interpretes Neoterici* amici non sunt. Hinc istis cuniculis, et trudendo compositionem huius libri ad longe posterius tempus, fidem et auctoritatem conantur labefactare historiae, quae in hocce libro est *a*)."

Dic, mi Comes, an sani hominis sit, quod ab angustissimis ideis suis deviet, devium statuere ab religione quoque; et quaestionem criticam, adiaphoram prorsus sanae doctrinae, in argumentum vertere irreligionis tot doctissimorum virorum? Cuius tandem religio ab conviciatoris huius lingua maledica, secura erit, si maledicere ad orthodoxiam pertineat et pietatem? Nemo enim praeter tuum Magistrum intemeratus fidei et religionis doctor in patria est, supra §. 6. Sit, si ita sentire libitum est: modo qui huius adorator est dogmatis videat, ne saevo hoc invalescente spiritu prisca iterum redeant tempora, quibus ex simili tractatione theologicarum rerum, turbata tranquillitate publica (cuius quodpiam specimen jam superviximus), ipsa quoque concussa sunt imperia. De literis nihil dicam: alioqui si haec effraenis licentia in laude est, de institutione publica, quae periculis occurrat temporum istorum; quae ecclesiae vindices paret fidei et religionis; quae demum in hoc centrali instituto altissimis respondeat finibus, omnis deponenda est cogitatio, cum nihil tam seu indifferens esse possit in eruditione, seu tam salutare in fidei praesidium, quod simili maledicentia non vertatur in crimen, si modo ab superiorum seculorum judiciis latum unguem discessisset.

§. 233.

Tu ergo, mi Comes, audi, quid monstri sit dicere, librum sub nomine Iosuae, non ab hoc duce, sed paulo tardius ab ignoto auctore, e coaevis ipsis rebus monumentis esse conscriptum. Summi quique vident scriptores, in eo libro occurrere quaedam eo duce recentiora. Hoc problema quomodo solvendum est, quin fides periclitet historiae? Antiqui, e titulo *Josuae* inferentes, eundem etiam esse auctorem,

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. p. 228.

admiserunt similia tardius esse addita: „inficias tamen non iverim, inquit Calmetus, additamenta quaedam in libro notari, ab altera quam Josuae manu apposita; quare facile concedimus, scriptum hoc, quale habemus, ab altero post Josuam auctore esse recensitum. — Certam recensiti huius libri aetatem vix possemus definire; quin et accidere facile potuit, ut varii variorum temporum prophetae ad id opus manum admoverint *a*).“

Recentiores, quibus ab titulo operis ad auctorem incertissima illatio est (§. 231.), tardiorem statuunt auctorem, ex nomine tam utique ignotum, ac ii, quibus antiqui additamenta tribuerunt. In re aperta et undique innocua, unicum tibi memorabo auctorem, et tuo judicio intemerate catholicum (pag. 100.), Herm. *Jansens*, qui in sua Introductione de hoc libro ait verbis Cl. Lamy: „Docti non conveniunt de auctore libri Josuae. Nonnulli credunt ipsum non nisi post regnum Salomonis fuisse exaratum.“ Recensitis pro utraque parte momentis, subjungit inscriptionem §. XXXIV. „Liber Josuae saltem ex documentis coaevis constat.“ §. autem XXXV. de aetate libri ait: „Si liber iste ab ipso Josua confectus non fuit, saltem ante septimum annum regni Davidis compositus fuit *b*).“ Nullibi autem vel minima suspicio est, impio fine librum hunc in tardiorem conferri aetatem, tametsi *Jahnio* utitur. Sed neque tuum Magistrum tam prodigiose rudem puto, ut ignoret quam haec innocua sint: sed interfuit quaestioni huic criticae momentum affingere, quo certius illudat rerum istarum ignaris, suamque orthodoxiam ad aliorum invidiam venditet.

§. 234.

Quod de *monumentis coaevis* addidit, laudo prudentiam. Istarum enim rerum ipse usquequaque rudis merito supposuit, ignotas quoque esse omnibus, quicunque ante annos 20 pulverem scholasticum excussissent. Non dubitavit ergo magno id fore terriculamento universis, si illos ad quaestionem deduxisset, cuius nulla esset notitia, et quae ipsa sua no-

---

a) Praef. in Jos. p. 2. *b*) Introd. Tom. 1, pag. 267. 270. 271.

vitate mirum quantum periculum sacrae creare videretur historiae. Sed, mi Comes, magnopere miror hac in re tui imprudentiam Magistri, qui *non* viderit, quam publica his insit professio inscitiae in rebus summis, et inter doctos obviis. Si enim sacra historia vera est, continere debet indicia et characteres, e quibus de veritate eius statuas. Quia vero evidens est, libros *Genesim*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum* et *Paralipomena*, multo post res ipsas gestas fuisse conscriptos, quaeram, undenam sua tardiores sumserunt auctores? Si e *traditione* dices, ridebunt te omnes rerum periti, qui gentis per annos 2000 tam prolixam, tam exactam, saepe tam minutam in hominum, locorumque nominibus et numeris historiam, repetas e memoria; ipsa insuper repugnante, quae suos passim fontes scriptos indicat. Si dices, per *revelationem* divinam, tanto magis inepties, cum huius rei nullum sit vestigium; imo Magister tuus supra in *inspiratione* §. 135. per suum ridiculum *flatum* et *impulsum* nec quidem divinam auctoritatem istorum librorum probaverit, nedum revelationem historiae. Cum ergo praeter ista non aliud medium suppetat vetera gesta cognoscendi, quam scripta monimenta, tu ipse vides, his a Magistro negatis, omne fundamentum sublatum esse, quo Hebraeorum historiam prudenter possis credere.

§. 235.

Nunc vide incogitantiam Magistri. Genesim ille repetit e traditione *a*), adeoque e fide humana Majorum; in libris autem tardioribus (§. priore), quos a coaevis scriptos non esse indubium est, negat scripta monumenta! Undenam ergo Paralipomenon v. gr. libri genealogici, et quidem ab aetate Moyse anteriore (supra §. 173.) argumentum innotuit auctori? Hic nec revelationem nec traditionem obtendere potes, si ullo modo sapis; et tamen e genealogiis jura familiarum pendebant. E principiis ergo Magistri merito dices commenta. Sed illud quoque scire velim: si fidem facit humana traditio in Genesi, cur eandem non faciant scripta monumenta quoque, et in Genesi et aetate tardiore? In traditione enim historica, se-

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. §. 102. p. 216.

culorum mora multa intercidunt, alia penes summam etiam fidem et diligentiam possunt mutari atque corrumpi: alia omnia in scriptis monumentis. Si enim res gestae a coaevis referuntur in scriptum, id nullo labore custodiri intemerate potest per secula. Quae ergo incogitantia est, fidere traditioni, diffidere autem inque suspicionem vocare monumenta, a coaevis summa fide perscripta?

Scire quoque velim, undenam Matthaeus et Lucas eam suarum genealogiarum partem sumserint, quae non exstat in libris antiquis? E revelatione dices, si ab omnibus voles rideri. Fateberis ergo inde sumtam, unde ab atavo suam narrat Josephus, Vitae §. 1. sic scribens: „*Atque ita quidem generis nostri successionem, prout in tabulas publicas relatam inveni, in medium affero b*)." Et si quid vides, etiam illud fateberis, qui genealogiam Christi in tabulas publicas retulit, fuisse incredulum. De coaevis monumentis denique in Josua adhibitis, si refugis legere Jahnium, lege Hermannum *Jansens c*) supra §. 233. a te laudatum.

Ex his iam intelliges, quanta inscitia aut impudentia, inflatus Magister tuus, supra 232. ex tardiore libri Josuae aetate, adhibitisque documentis coaevis, suspectam reddat *Jahnii* aliorumque fidem: intelliges, quam irreligiosa criminatio sit, *Jahnium* aliosque velut prodigiorum hostem proscindere palam, cum nemo e nostris unquam Mosaicae revelationis divinam auctoritatem e prodigiis clarius ostenderit, quam *Jahnius:* perspicies demum et illud, Magistrum tuum post annos triginta nondum eo pervenisse, ut historiam gentis hebraeae sine perpetua petitione principii asserat contra incredulos, quoniam hodiedum in critices primis elementis hospes est. Plura de his vide supra §§. 170 — 174. Crede, mi Comes, prius lupus ovem ducet uxorem, quam calumniari *Jahnium* desinat Magister tuus.

§. 236.

Similis est ea criminatio, qua occasione transitus Hebraeorum per sinum Arabicum, in Davidem *Mi-*

---

a) Instt. vet. test. Tom. 2. §. 102. pag. 216. *b*) Tom. 2. pag. 1. Ed. Haverc. *c*) Introd. Tom. 1. §. XXXIV. pag. 270.

chaëlis et *Jahnium* usus est. Audi, mi Comes, Magistri tui de hoc facto sententiam. Statuit ille, mare a Moyse *percussum*, *divisum* esse *subito*, et aquas ex utroque latere *in altum assurrexisse*, et *quemdam quasi murum fecisse a): percussionem baculo manuque Moysis factam esse*, et aquas *in ictu oculi divisas*, *instar duorum murorum constitisse b*). *Mare percussum, subito cum fragore et fluctuum fremitu se divisisse, et quasi duo brachia sublata in altum fuisse*, dum aquae quae se diviserant, *utrinque se accumulantes*, *quasi duos ingentes muros constituerunt c*). Denique, *aquam maris non tantum a montibus, qui litus stipant, recessisse, sed omnino viam, per sui medium praebuisse d*).“ Anum de foro haec deceant, sed non exegetam, non Doctorem. Relege caput XIV. Exodi, si istas fabulas ibi reperias; nihil his aptius est, ut invisam faciat hanc historiam lectoribus, cum sic proposita, ridicula prorsus et incredibilis sit; quoniam e decade istorum assertorum, novem aperta Magistri commenta sunt, quae procul abesse oportet a scholis. Imo unicum illud figmentum, quod *a montibus quoque, qui litus stipant, aqua recesserit*, totam narrationem in Aesopicam transvertit fabulam.

Cum enim montes in occidentem procurrentes non nisi latum mare stipent, nec accessum nisi per vallem *Bedeam* offerant, quisquis locorum habet notitiam, primo obtutu ridebit, si hic traduci Hebraeos legerit. Hebraei enim non nisi unica die in litore maris sinistro progressi sunt; pervenire ergo ad *Bedeam* propter distantiam et circuitum octo milliarium non poterant. Superest mare, quinquies minimum latius heroopolitano sinu, fundus coralliis et alga impeditus, et paucarum horarum tempus, quo non modo Hebraeos in litus adversum eluctari, sed Aegyptiorum quoque exercitum in fundo maris consistere oportuit. Inspice Niebuhrium et fateberis, coturnices fuisse non homines, qui sic trajecerint. Sed Magister tuus, quod sine praesidiis, sine indagine in angulo obscuro hausit, aut ipse commentus est olim, id nunc quoque repetit, ubi res jam in plena luce est.

---

a) Instt. vet. test. Tom. 1. pag. 74. E l. 1. *b*) ibid. pag. 378. *c*) ibid. Tom. 3. pag. 349. *d*) ibid. Tom. 1. p. 374.

Non repetit ille quidem omnes has nugas in editione altera, at idem est hodiedum hominis sensus qui olim, cum adhuc in tardioribus institutionibus novi testamenti *ictae virga Moysis* dicantur *aquae e)*; alibi autem, ubi locum Exodi 14, 16. 21. ex professo tractat *f)*, hodiedum praetendat, aquas utrinque *murorum* ad instar in altum sublatas, et quod „*sese accumulassent et composuissent supra ceteras maris aquas positas utrinque, firmiterque constitissent g)*.“ Attamen non sibi constans, aquarum divisionem, quam in prima editione *ex ictu virgae* repetiit, eam in editione hac altera, *elevationi manuum Moysis* tribuit: *scriptura, inquit, docet, ad elevationem manus in altum Moysis mare esse fissum, et divisum bifariam, seque accumulasse et quasi murum fecisse utrinque h)*; et alibi: *Moyses jussus a Deo manum in altum tollere ad dividendum mare i)*.“ Anno demum tardius in Instt. novi testamenti, ad priorem iterum reditur sententiam, et *ictu virgae* murorum ad instar utrinque attolluntur aquae. Qua in re imperterrite fabulatur, cum in iis textibus (Exod. 14, 16. 21.) quos solos tractat, nullum vestigium sit.

Moyses nempe baculum, quo hactenus in edendis prodigiis usus est, extendere jubetur contra mare, velut imperans, quid fieri oporteat, et tum dicitur: *abstulit illud dominus flante vento* etc.: ceterum, quantum volet, fabuletur Magister tuus, modo non mentiatur, non calumnietur viros, quibus collatus tiro est. Sed is, ubi fassus est Davidem *Michaelis* narrationem credere, ac etiam contra fragmentorum auctorem ejus asserere veritatem, subjungit: „tamen in eo totus est, ut probet, hunc transitum non nisi iis, quae in rerum natura sunt, viribus accidisse, *nec aliquod in eo miraculum fuisse*.“ Michaeli autem dum addidit consentire *Jahnium*, continuat: „multorum adhuc aures non ferunt, si audiant dici de hoc transitu, *non fuisse miraculum k)*.

§. 237.

Nunc iam, mi Comes, audi D. *Michaelis* interpretationem, non dogmatis instar, sed tamquam opi-

---

e) Tom. 1. pag. 136. *f)* Instt. vet. test. Ed. 2. Tom. 3. p. 86. *g)* ibid. pag. 94. *h)* ibid. pag. 97. *i)* ibid. p. 98. *k)* ibid. pag. 92. 93.

nionem probabilem, quae minimas habeat difficultates, salvo nihilominus prodigio. Aestum marinum esse in sinu arabico, nunc iam extra controversiam est; qua occasione juxta experientiam Niebuhrii, libella aquae ad tres usque medium quartum pedem minuitur. Sumit ergo *Michaëlis*, ex legibus aestus paulo post undecimam ante meridiem minimam fuisse aquae libellam. Hoc tempore baculum contra mare extensum fuisse, et inductum ventum validissimum directioni sinus a meridie in septemtrionem per milliaria trecenta, e diametro contrarium. Quod si factum est, cernis, proximis sex horis non potuisse succedere aestum, ut secus solebat, sed vi venti magis magisque aquam imminutam. Post quintam autem pomeridianam, juxta perpetuum ordinem per proximas sex horas, denuo coepisse minui aquam, et potentius quidem ac ante, propter conduplicatum jam recessum et validum ventum, quo aqua ex sinu in oceanum vehementer repressa est. Fieri ergo non potuisse, ut heroopolitani sinus pars extima, ubi steterunt Hebraei, magna sui parte non nudaretur aquis. Ab undecima noctis, qua minima fuit aquae libella, iuxta leges aestus per proximas sex horas coepisse refluxum (si tamen ob ventum validum et contrarium consueto more obtinere potuit) nullo incommodo Hebraeorum. Hos enim jam post octavam vespertinam maris fundum potenter imminutis aquis ingressos fuisse, et sinum angustum (modo 757. passuum duplicatorum) gressum accelerante metu, nec vehiculis aut aliis impedimentis obstantibus, ita trajecisse, ut ante vigiliam matutinam (Exod. 14, 24. id est ante tertiam) salvi steterunt in Arabiae litore, Aegyptiis a tergo sequentibus. Nunc autem extendente baculum Moyse contra mare, istoc tanto potentius irruisse in Aegyptios.

Haec, mi Comes, sic fieri potuisse, non est, cur dubites, cum hodiedum eveniat, ut noti impulsu, aqua sinus huius ad milliare germanum ultra consuetos limites suos propellatur; nec inauditum sit Hamburgi, Bremae et in Frislandia, ut, si ventus vehementior et diuturnior a mari versus continentem, recessum aquae impediat, sicque aestum conduplicet; mare regioni infusum stragem ingentem afferat. Inverte jam ventum, et eadem vi et constantia a continente feratur in mare, et haud dubie, quanto istud paulo ante ultra limites propulsum est, tanto longius nunc, praesertim in an-

gustis sinibus, ut Heroopolitanus est, ab litore recedet introrsum, amplissimumque spatium offert, ubi inoffenso pede decurras, quod secus aquis contectum, adiri a nemine poterat.

Si dices hac ratione transitum Hebraeorum non differre a ductu *Alexandri* per mare Pamphylium *a*), aut *Scipionis* ad moenia Carthaginis *b*), vehementer falleris, nec tibi unquam hoc dabit *Michaëlis*, etsi in notis ad Exod. 14, 19. 20. pag. 60, scribit, „Moses „beschreibt die Austrocknung des arabischen Meerbu„sens nicht als ein eigentliches Wunder, son„dern als die Wirkung einer natürlichen Ursache, die „Gott gebraucht hat, des Windes; und wenn man es „für ein Wunder im strengsten Verstande aus„giebt, so widerspricht man seinen Worten.“ Adverte mi Comes, non dici, in transitu non esse prodigium, sed retectionem fundi non esse prodigium sensu strictissimo; quod et tu sine difficultate dabis, quia ex vento valido et contrario fundi nudatio naturalis sequela fuit. Similia facta habemus et alibi, certe Num. 11. coturnices aut quidquid erant, non sunt tunc creatae, sed ut v. 31. expresse habetur, e partibus trans mare per ventum in Hebraeorum castra delatae. Est ergo et coturnix et ventus prorsus naturalis, verumtamen prodigium, quatenus quod eodem capite praedictum fuit, nec naturaliter praevideri potuit, impletum est.

§. 238.

Nunc audias Michaelis, non de denudatione fundi maris, sed de toto facto judicium: „Die Austrock„nung selbst war natürlich und kein Wunder, sondern „ein Werk der Providenz, die ein Volk vom Untergange „zu retten beschlossen hatte: allein die gewisse Vor„hersehung dieser, nicht etwa gewöhnlichen, sondern „seitdem wir Geschichte haben, nur ein einzigesmal „geschehenen Entblössung des Bodens der See, war im „höchsten Grad übernatürlich, und ein eben so starker „Beweis der göttlichen Sendung Mose, als irgend ein „Wunder seyn kann. Der Mose, der sich ganz wider

---

a) Strabo Libr. XIV. pag. 666. Ed. Paris. *b*) Liv. Hist. Libr. XXVI. §. 45. Tom. 4. pag. 365. Ed. Bipont.

„den Zweck seines Marsches, und ohne alle Noth, auf „die afrikanische Seite des rothen Meeres wandte, wo „er durch die See von Asien abgeschnitten war, von „den Aegyptiern umzingelt ward, und hätte umkommen müssen, wenn nicht geschehen wäre, was nie, „weder vor, noch nachher geschehen ist; der das zwi„schen Meer und Feind eingeschlossene Volk nicht zur „tapfern Gegenwehr ermunterte, sondern ihm verhiess, „Gott werde es ohne Waffen retten, ihm befahl, nach „der See aufzubrechen, über die er seinen Stab aus„streckte und ihr gebot, dem Volke Platz zu machen; „der so handelt, als wenn er diese nur ein einzigesmal „in der Gegend erfolgte ausserordentliche Ebbe, und „ihren Grad, mit völliger Gewissheit voraus sahe: „muss wirklich von dem Herrn der Natur gesandt seyn, „welcher allein vorher wissen und Mosi offenbaren „konnte, was er zur Rettung der Israeliten in der Na„tur veranstaltet hatte. Die Beweise der Religion wer„den also gewiss dadurch nicht entkräftet, wenn ich „die Austrocknung für nichts weiter halten will, als „wofür Mose sie ausgiebt, nämlich für eine natürliche „Folge des der Fluth gerade entgegen wehenden Win„des.“ (Tom. 3. in notis pag. 66.)

§. 239.

Nega nunc si potes, mi Comes, calumniatorem vilissimum esse Magistrum tuum, cum ait, transitum nec a *Michaelis*, nec a *Jahnio* inter prodigia referri. Sed in re Magistro familiari non immorabor; id observo, ventum, cui denudationem fundi adscribit Moyses Exodi 14, 21. haud secus ac cassam nucem praeteriri a Magistro tuo, et effectum fundi retecti, marisque divisi, jam in *ictum virgae*, jam in *manus elevationem* conferri (supra §. 236.) de quibus in textu nullum vestigium est. Quod enim v. 16. dicitur: „*Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare et divide illud*, lucem debitumque sensum accepit e v. 21.: *cumque* extendisset *Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum, divisaque est aqua.*“ Annon vides totam vim reponi in ברוח קדים עזה? Stupet autem Magister, pro *urente*, alias *Orientali*, a *Michaele* positum ventum *contrarium*; quia tamquam osor cognatarum (§. 38. 39.) nunquam audivit קדים hoc sonare in arabico, eamque

adhiberi Marc. 6, 48. pro ἐναντιος. Tum autem, quomodo locum hic habeat ventus *urens* seu *orientalis*, quando in nedum removisset fluctus, sed potius impulisset in Hebraeos occidentali litori adstantes? Cui etiam usui sit ventus *tota nocte*, si is mare non repressit in meridiem, ut extimum sinum retegeret pro transitu? Cur fingit mare *momento in altos muros erectum*, cum textus dicat: *abstulit* illud Dominus vento vehemente *tota nocte*?

Denique dicendum aliquid de v. 22. המים להם חומה *aquae illis murus*; e quibus ita pendet anima Magistri tui, velut primus sit articulus fidei catholicae. Audi ergo quid sit חומה: si de aedificiis sermo est, haud dubie *murum* significat: at saepissime adhibetur pro *praesidio. tutamine*; sic dicitur de Davide, quod accolis deserti fuerit *pro muro die ac nocte a*); in proverbiis autem *opes* dicuntur *murus validus b*): Jeremias *murus aeneus contra populum suum c*). Ezechiel arguit pseudoprophetas, quod se non opposuerint *murum pro domo Israël d*). Nahum de Diospoli: *ante murale est mare, aquae autem murus eius e*): atque id genus exempla obvia sunt, ut et v. 22. merito vertas: aquae illis praesidio, tutamini erant. Sed inquit Magister ex talibus exemplis non sequi etiam versu hoc 22. vocem pro *tutamine* positam *f*). Audio: sed quis in exegesi vel paululum exercitatus talia obmovet? Fictus ille *murus* hic ideo stare non potest, quia de commentis, *subito, in ictu oculi, cum sonitu et fragore, in ingentes muros erectis aquis* (§. 236.) nihil in textu est: non nisi ergo poetam Magistrum tuum sic interpretari decet. Sed repugnat praeterea Psalmus 113, ubi de hoc transitu dicitur: *mare vidit et fugit* v. 13. et iterum 5. „*quid est tibi mare quod fugisti?* An haec non magis consentanea sunt explicationi *Michaëlis*, quam ludicris inventis Magistri? Adde denique, fundum maris non fuisse e marmore polito, et intelliges retecto majori parte fundo, remansisse hinc et inde voragines etiam profundiores, quae ab latere Hebraeorum hostes arcebant, tergum illorum sequi coactos.

Ne autem in *sicco* erres, adverte יבש יבשה חרבה Hebraeis non opponi *humido* aut *lutoso*, sed terrae

a) 1 Reg. 25; 16. *b*) 18, 11. *c*) 1, 18. *d*) 13, 5. *e*) 3, 8. *f*) Instt. novi test. Tom. 1. p. 136.

aquis contectae, eoque imperviae et inaccessae g); neque dubita Hebraeos, etsi per *siccum* ambularent, tamen ad cutem usque maduisse, et haud dubie genuumtenus saepe in aquis vadasse. Sume tibi Psalmum 76. et vide v. 18. 19. gravem describi tempestatem, quae etiam Exod. 14, 24. insinuatur. Simul autem adde 1 Cor. 10, 1. 2. ubi Paulus ait, patres suos occasione transitus in Moyse *baptizatos esse in nube et in mari*, id est, aqua maris et pluvia tempestatis egregie lotos lavatosque. Quaere ex Magistro, si in muros praealtos concrevit aqua, quomodo baptizati sunt? An tu non vides, quid inter fabulas et veritatem intersit?

Inspice demum Calmetum in dissertatione Exodo praefixa, et videbis diversissima jam veterum tentamina. Alii dicebant semicirculum fecisse Hebraeos in mari, et rediisse ad litus, unde ingressi sunt. Alii super congelatas aquas eos deduxerunt; alii mare in coagulum vertunt, et per medium sulcant viam; alii pro numero tribuum duodecim parant canales. Sed qui ita deliraverit, ut Magister tuus supra § 236. neminem comperi, adeo suapte ridicula et indigna sunt. Haec sunt, mi Comes, tui Magistri prodigia, haec si neges, incredulus eris; doctius tentamen si ineas, Naturalista es, ut *Michaëlis* et *Jahnius*! Obsecro hiccene homo est, qui suos doceat revelationem defendere, et prodigia asserere? cui nihil prodigium est, nisi auctum prius fabellis fiat ridiculum? qui per tredecim paginas disputat, quin quidquam in prodigii confirmationem protulerit? Tamquam murariorum magister sit, ita preeter muros nihil somniat. Mi Comes, ut cancer lepores non capit, sic vos talibus praesidiis contra incredulos utentes hodie, revelationem prostituitis magis, quam defenditis. Tu ergo ex omnibus hypothesibus, quaecunque arriserit, delige, aut novam adfer firmiorem, et tibi gratias agent *Neoterici*. Certi enim in his nihil est, nec erit unquam, quia succinctior est tanti facti narratio, quam ut *modum transitus* per omnes circumstantias ita definias, ut nihil restet quaerere: Deum extraordinaria ratione, modoque prodigioso intervenisse, nec *Michaelis*, nec *Jahnius* negavit; qui autem per omnia factum sit?

---

g) Gen. 1, 9. 10. 8, 13. 14. etc.

Disputationi exegetarum relinquitur et vicerit qui probabiliora attulerit.

§. 240.

Joannes Davides Michaëlis olim haereticus, post naturalista, polytheista tardius, nunc demum monotheista Judaeus e Magistri sententia. Non miror: in metamorphosibus enim, ut vidisti, Ovidio nihilo inferior est. Causam nosti? dicam. Is dictum Jeremiae „*vox in Rama audita est* — literalem prophetiam statuit de caede infantium Bethlehemiticorum *a*). Laudandum putares, quod vel e nostris paucissimi ea religione sunt, ut in litera prophetiam dicant; sed vel vagam allegoriam, vel nudam accommodationem. *Calmetus* scribit, Rachelis luctum „comparat Matthaeus cum Bethlehemiticarum matrum ploratu, liberorum caedem lugentium. Mera est alterius ad alterum relatio, ex rerum similitudine petita," in comment. ad Matth. 2, 17. Sed audi Magistrum: „quemadmodum, inquit, Judaei nihil ultra quam quod temporale atque ad illud pertinens est, quod terrestre regnum habuerunt, in prophetiis videre volunt; ita idem sic prophetiam hanc explicando, facit David Michaëlis *b*)." Hac vice solito acutius, tantum non ut supra §. 188. de *templi nebula*. Sane incorruptam habeas aciem oculorum, ut cernas, quomodo Michaëlis in mediis caedibus, matrumque luctu, terrenum cum Judaeis animum pascat. De ceteris vero sic ibidem. „Alii, inquit, ex *Neotericis*, et unus alterve etiam eorum, qui bene morati sunt interpretes, nominatim *Calmetus*, difficultate pressi, tantum accommodationem volunt esse." Hic habes doctorum sortem, humanasque fortunas! Michaëlis prophetiam affirmat: vapulat. *Calmetus* negat: vapulat pariter; ergo seu affirmes, seu perneges, vapulandum est, nec erit vapulandi finis, donec ille caedendo, hi vapulando usque omnes defessi erunt. Sed aequum est, ut id genus pinguia et obtusa ingenia acuti Aristarchi pareant imperio.

Sed en tibi talpas et noctuas Davidem Michaëlis et Calmetum, quem *Neotericum* esse nunc primum intelligo, *bene moratum* tamen! Solatio est, quod et *Neotericis* e bonis moribus spes salutis relinquitur. Hi ambo Rachelis *fletum et ejulatum* comparant cum

---

a) Jerem. 31, 15. Coll. Matth. 2, 17. *b*) Instt. vet. test. Tom. 3. p. 233.

luctu et ploratu Bethlehemiticarum matrum, nec aliud ipse evangelista facit. Sapienter ergo e priore quaerit Magister: „at vero in hoc sensu literali, ubi istud *solatium* Rachelis est ex recuperatione filiorum, quos Romani neci tradiderunt *c*)?" Ex altero autem: „in hac caede infantum, quidpiam etiam erit, quod cum *consolatione* ex reditu tribuum convenientiam aliquam habeat *d*)?" En tibi stipites praeustos Davidem Michaelis et Calmetum, qui in abductis Babylonem et caede infantum, *solatia* non videant matrum. Ego Matthaeo compatior, qui non viderit cum luctu *consolationem* etiam jungendam matribus, quoniam sic placiturum esset olim Magistro. Tu ergo vide quam facilis victoria sit, si appulso ad fallaciam animo, lucem permutes tenebris, luctuosa jucundis.

Si cupidus es sciendi, quid novi attulerit Magister (merito enim id exspectes, a quo omnes vapulant) paucis accipe. Jeremias 31, 31. ait: *venient dies, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum,* — quod illi de Christianis sonat. Per fidem ergo facti sumus semen *Abrahae, Isaac* et *Jacob*; ergo et filii *Sara, Rebeccae, Liae* et *Rachelis.* Inter filios ergo Dei cum pertinerent infantes ab Herode interfecti, semen Abrahae, divinaeque promissionis haeredes: eos recipiet Rachel in vita coelesti. Merito ergo ad hos etiam infantes Matthaeus, hoc Jeremiae vaticinium extendit, quoniam sub typo filiorum Abrahae et posterorum Rachelis e captivitate revertentium, intelliguntur, qui per fidem revertuntur in patriam coelestem, unde per peccatum originale exciderant. Ut hodiedum parturiunt montes! Quatuor paginis opus erat, ut hoc commentum mysticum tibi extunderet, cuius nullum in litera vestigium est, et cui perpetuus usus loquendi repugnat.

Jeremias enim de *Israel* et *Juda* loquens, Hebraeos intelligit, carnalem stirpem Abrahae. Qua fronte ergo hoc sumit de Christianis, qui sumus ex gentibus? Paulum attulit ad Hebr. 8, 8. Sed non vidit, Paulum e loco prolixo Jeremiae tantum usurpare *foedus novum*, e quo legitime intulit divino consilio abroganda legalia v. 13. uti idem fecit ex novo *sacerdotio Melchisedechi* capite septimo. Idem pror-

c) ibid. *d*) ibid. pag. 234.

sus obtinet etiam de 10, 16. ibidem. Si *consolationem* quaesivit Racheli, cur coelum petit, cum propheta eam polliceatur in terra? *Quiescat, inquit, vox tua a ploratu; revertentur de terra inimici; revertentur filii ad terminos suos e).* Quis Magistrum docuit, reditum e captivitate typum esse, seu accessus ad evangelium, seu excessus nostri in coelum? Quae matri consolatio ex hoc ludicro invento, quod mulier ignoravit, nec quidquam commodi contulit ablatis, unde gauderet mater? Tum autem quam nobile inventum, homines ob scelera sedibus pulsos, postea incredulos et hodiedum obstinatos typum facere conversionis et fidei gentium, ac gloriae coelestis! Si hoc est interpretari, mi Comes, jam nescio, quid sint aegri somnia. Et tamen Judaei sunt, inepti sunt, qui haec non praeivissent deliria!

Si tuus Magister scire cupit, quale sit illud *novum foedus*, quod feriet Deus *domui Israel et domui Juda* Jerem. 31, 31. legat Paulum ad Rom. 11, 25. — et ibidem ad ductum Isajam. Si autem Genesis quoque caput 30. contulerit, nisi livor obstiterit, illud etiam videbit, parum docte quaesitum fuisse *Michaëlem* irridendo: „hinc Judaei, *qui modo* etiam *dispersi sunt*, aliquandoredituri, suamque iterum sedem, atque regnum habituri in Palaestina sunt f)? Quis enim somniat, *hos*, *qui modo dispersi sunt*, *redituros esse*? Sic tantum tirones quaerunt, vel omnia corrumpere adsueti. Seri posteri istorum, ubi conversi fuerint, si fides est Moysi Deut. 30. generalissime reditum promittenti reducentur; in quo, quid absurdi sit, sane non video.

§. 241.

Dabo tibi, mi Comes, par lepidarum corruptionum. Qui Jos. 10, 12. — ex Habac. 3, 11. explicant, adversae interpretationi opponunt; tellure subito retenta, quae motu rapido circa axim, singulis minutis tria et tres quartas milliaris german. conficiat ab occasu in ortum, necesse fuisse, omnia aedificia, ceteraque elatiora corpora tanto impetu in orientem proruere, et terrae affligi, ut non aeque in ma-

---

e) Jerem. 31, 15. 16. *f)* Instt. vet. test. p. 233. Tom. 3.

ximo terrae motu: maria autem latissime effundi in continentem. Cogita, quam ingeniose se expediat. — Motum telluris *circa axem* commutat in ejus motum *circa solem a*)! Ad aestum autem ex tellure retenta conduplicatum, ait nec in Palaestina proxime post pascha esse magnum, quoniam Petrus Joh. 18, 18. hoc tempore se ad prunas calefecisset in atrio pontificis! Credo sentis, quam stupendus is sit archaeologus; quam dignus *Jahnii* Magister, qui Mesopotamiae, Palaestinae et Arabiae temperiem in numeratis habeat. Quamquam, mi Comes, si contuleris Josuae 5, ubi primum celebratur pascha in terra patrum, usque ad caput 8, praesertim huius finem, facile intelliges, pugnam juxta Gabaon, ni tardius, certo in nostrum Junium incidisse, cum tamen in eadem regione minimum mense prius Judithae virum Manassen ex aestu peremtum legamus *b*).

Ponam denique Magistri tui ad Davidem Michaëlis apostrophen, ut intelligas, qua modestia eruditorum dissentientes sententias examinet. „Non scripturae uspiam, inquit, sed tua haec audacissima est figura orationis, quam comminisceris juxta libidinem tuam sentiendi: haec tua est, dum tua figmenta in locum significationis, quam legitime verba dant scripturae, nequissime supponis *c*)." Cum haec scriberet, mi Comes, Magister tuus, allium aut austro capti ilia rhombi esse oportuit, adeo gravi stomacho est.

§. 242.

Par superiori fallacia est, cum scribit: „Nemo praeter Augustinum fuit, cuius vestigia magis pressissent, quicunque postea e latinis scripturae interpretationes fecerunt: quin *Ernestius* quoque Protestans post *Victorinum Strigelium* pariter Protestantem, sic eum laudat, ut affirmet: *„plurimum valuisse, et nullum ex patribus fuisse meliorem interpretem, quam Augustinum a*)." Qui tiro non sit in arte, primo obtutu ridebit hanc obtentam Ernesti sententiam, adeo ab viri huius docti judiciis aliena est. Audias ergo jam ipsummet Ernestum:

---

a) Instt. vet. test. Tom. 3. p. 123. *b*) Jud. 8, 2. 3.
c) Instt. vet. test. Tom. 3. pag. 122.

a) Instt. nov. test. Tom. 1. p. 21.

Augustinus inquit, si hebraice et graece doctus fuisset, pro ingenii magnitudine et subtilitate, superasset haud dubie omnes. Nunc vir in dialectis et rhetoricis exercitatior, quam in grammaticis, literisque graecis et hebraicis, commentarios replevit allegoriis, et digressionibus dogmaticis, saepe valde bonis, quaesivitque mysteria in verbis, quae saepe adeo torquet, ut ludere voluisse videatur. Interdum tamen, felicitate ingenii, non modo sequitur meliores superiorum interpretationes, sed etiam sua sponte, maxime in libris dogmaticis, verum videt. Ceterum haec ratio interpretandi, quia non opus habet literis, sed ratiocinatione dialectica utitur e verbis versionis, sensu vulgari latino acceptis, et ad analogiam doctrinae relatis, sequentibus seculis, quae et ipsa illis literis carebant, lectores et admiratores reperit plures, quam Hieronymus. Itaque interpretes latini, qui post fuere, usque ad instaurationem sacrorum, toti pendent ex Augustino, cuius interpretationes non modo e commentariis, sive sermonibus in libros sacros, sed etiam e libris ceteris omnibus, inprimisque iis, qui adversus Arianos, Pelagium et asseclas, item Manichaeos scripti sunt, laboriose collegerunt, ut *Thomas* in Catena aurea, et totam interpretationem N. T. Augustinianam fecere."

„Nam quae ab Anglis, ut *Beda* et *Alcuino*, postquam literae graecae inter nos coli coepissent, e Graecis, Chrysostomo, et e literatura hebraica a *Nic. Lirano* et *Paulo Burgensi*, Lirani continuatore, ducta sunt, ea tenuia sunt et pauca, quamquam non contemnenda. Atque etiam proximis ab instauratione sacrorum temporibus, cum primi theologi essent ei rationi adsueti, inprimis *Lutherus*, nec dum literis hebraicis et graecis ad nostrorum temporum modum instructi, *Augustinus* plurimum valuit, ut quem etiam *Victorinus Strigelius*, vir elegantissimae doctrinae, et inter optimos illius aetatis interpretes numerandus, Locor. theol. P. III. p. 29. non dubitat, ceteris omnibus praeferre: nullus ex patribus melior interpres est, quam Augustinus. Ceterum commentariorum optimus est in epistolam ad Galatas, parcior ille in allegoriis, magisque ceteris grammaticus *b*)."

---

b) Instt. interpr. nov. test. Part. 3. C. 9. §. 29. p. 296.

Totum §., mi Comes, tibi exscripsi, ut ipse statuas de fide Magistri; cui nunquam tuto credes, nisi ipsa loca inspexeris, quae attulit; uti aliis etiam exemplis tibi nullo labore approbem. Quemnam autem *Ernestus* habuerit Latinorum principem, hinc intelligas: „Latinorum longe princeps est *Hieronymus*. solus hebraice et graece doctus, qui plures N. T. libros commentariis illustravit *c*).“

§. 243.

Aliud quoque tibi dabo, mi Comes, exemplum insignis mendacii et criminationis, ut una intelligas, quantopere pudeat Magistrum meliora sapere, cum tandem sapit invitus. Audi ergo, quid ille de *Nabuchodonosore* Dan. 4. in prima Institutionum editione commentus sit:“

„Etiam de Nabuchodonosore illa, cum esset potentissimus rex, subito a suis esse abjectum, deinde ferinam vitam duxisse, et foenum comedisse, non istis criticis videntur vere gesta esse, sed in sola tantum fuisse acta Nabuchodonosoris imaginatione. Atqui ipse Daniel hoc illi sic etiam eventurum praedixerat. Num etiam iste hoc sic pronunciavit, ut intelligeret, Nabuchodonosorem ista sibi tantum imaginaturum? Quod sibi aliquis tantum imaginatur, hoc nondum potest dici futurum. Dixit vero Daniel, Nabuchodonosorem a suis eiiciendum esse, rore coeli tingendum, foenum, ut bos solet, comesurum. Ergo hoc sic reipsa debuit factum esse. Secus verum non fuisset, quod de eo dixerat futurum. Deinde expresse est dictum, ubi deinde sibi restitutus esset, *figuram etiam illius rediisse*. Ergo *figura etiam corporis reipsa mutata in eo fuit. Ergo res etiam non est acta per solam tantummodo imaginationem*. Si quod narratur, ut factum, licet accipere pro sola alicuius imaginatione; quid manebit in scriptura, quod consistat, et non perinde sic, quandocunque libebit alicuius ingenio, exsufflabitur ut imaginarium *a*)?“

Hanc metamorphosim, aliaque similia, quod non probaveram *b*), en paratam criminationem: „Quae

---

c) ibid. §. 26. p. 292.

a) Instt. vet. test. Ed. 1. Tom. 3. in Dan. pag. 217.
b) supr. §. 2.

omnia inquit cur cl. Rec. non probentur, dum ipse suas rationes non profert; scirem per conjecturam assequi. Ubi miracula sunt, haec cuperet magis tantum sic explicare, ut naturaliter facta intelligantur, qualis verbi gratia Nabuchodonosoris *transformatio in belluam fuit*; ubi typi sunt erga Christum et ecclesiam, cum istis nihil vellet haberi; ubi demum prophetiae, has quoque nollet ad Christum referri *c*)."

Sed nunc audi, quid ille tradat super hoc argumento in earumdem Institutionum editione secunda. Hic enim cum Danielis 4, versum 1 et 30. praemisisset, subjungit: „quod vero moderni interpretes de sola phantasia et imaginatione Nabuchodonosoris intelligendum esse censent, per mentis perturbationem *ex pura naturali aliqua causa.* Nec ego jam *in mea scripturae interpretatione ad hunc locum*, hoc aliter sumseram, cum ea tamen differentia, quod cum *Neoterici* hunc iterum *pure naturalem* casum faciant; ego rem affirmaverim, et modo affirmem, accidisse non ex *casu naturali* per machinae corporeae in capite perturbationem, unde secuta mentis alienatio sit. Itaque ego prodigium hac in re asseram esse, *illi hoc negent.* Prodigia quemadmodum comminiscenda non sunt, ita nec debent negari."

„Sunt vero ista, quae probant insaniam istam Nabuchodonosori non evenisse ex causa aliqua naturali: primum quod haec contigerit ad vocem e coelo missam divinitus; dein quod tempus a Deo constitutum sit, et Nabuchodonosori praedictum, quamdiu in illa mentis alienatione mansurus erat. Nam certe, quod ad vocem divinam et ex imperio Dei factum est; non fuit ex causa naturali, si quidem nec ipsa haec vox fuerit naturalis *d*)."

Quoniam *suam in hunc locum scripturae interpretationem* commemorat, et indicare videtur Commentarium suum; etiam hinc, ut omnia videas, locum adferam: „Erat vero inquit Nabuchodonosor in feram, et in belluam mutatus sic, *ut externam etiam hominis formam amiserit*, cuius capilli in similitudinem aquilae, ut est infra v. 30. creverint, et ungues ejus ut avium ungues effecti sint, quique foeno et

---

c) In Libel. super. §. 6. *d*) Instt. vet. test. Ed. 2. T. 1. §. 74. pag. 309.

herbis velut jumenta, vixerit. Atque hoc significatur v. 13. dum dicitur, cor eius ab humano esse commutandum, atque cor ferae ei dandum: cuius scilicet mens et ratio perturbata sit ita, ut ipse se pro fera haberet atque gereret, foenumque pro cibo appeteret: non quod ratio illi prorsus ablata sit, sic enim a natura etiam hominis descivisset, sed quod illius tantum imaginatio sic laboraverit *e*)."

Negarene potes solemnissime mentiri Magistrum, dum in secunda Institutionum editione negat a se metamorphosim regis traditam, sed de insania illius unice sumtam narrationem? Unde enim jam disces hominum mentem, si e textu primae editionis non vides veram asseri bovillam belluam? Cur me in libello incredulum facit, et hostem prodigiorum ea de causa, quod negem „*Nabuchodonosoris transformationem in belluam?*" Si enim de *insania* solum agitur, hanc ne hostis quidem revelationis negat, qui veterem humana fide recepit historiam. Si tu, mi Comes, ista scripsisses, haberet fortassis hoc effugium locum, qui ignoratione latini sermonis, saepe aliud cogites, aliud scribas; alias multa verba scribens, nihil cogitasse videaris, ut supra §. 205. Sed hoc non obtinet in Magistro; qui velut pueris scribat, sic eadem decies repetit; et quae tribus verbis dici poterant, passim integra tradit pagina; tam prodigus verborum quam rerum per omnia egenus.

Sed pallium quaesivit mendacio: *Neoterici*, inquit, *ex pure naturali causa* repetunt regis insaniam ipse velut bonus Catholicus etiam admittit prodigium. Laudo fidem, quam cum *Neotericis* in hoc habet prorsus communem: sed abominor calumniam, qua velut involucro obtegere voluit mendacium. Quis enim est, qui hac in re non idem sentiat cum Magistro? Contra *Neotericos* ait se defendere prodigium: horum, ut vidisti semper hactenus, primipili sunt *Jahnius* et *Michaelis*; qua fronte autem hos accusat de hoc negato prodigio? Annon satis fuit doctissimum scriptae revelationis vindicem *Jahnium*, dum viveret ut haereticum, naturalistam, polytheistam et orci tenebrosi praedam coram suis traducere: nisi etiam post mortem laceraret calumniis, probrumque

e) Comment. Tom. 11. p. 48.

suum tanti viri infamatione velaret? Annon satis erat fecisse impium, nisi cum Nabuchodonosore faceret etiam insanum? Insanum enim prorsus jam necesse est esse *Jahnium*, qui, cum in prophetis Danielem habuit, librum ut canonicum divinumque suscepit; authentiam totius operis doctissime vindicavit: neget tamen eam poenam divinitus evenisse regi; quod enim paulo ante tuus Magister e voce coelesti et praefixo insaniae tempore pro prodigio attulit, hoc totum Danielis fide historica nititur. Si ergo *Jahnius* negat prodigium, negare quoque debuit Danielem in narrando veracem; quod si est quis nisi stultus atque delirus in Daniele suspiciat prophetam, ut facit *Jahnius*? quis homini mendaci divinas revelationes futurorum obtigisse doceat, ut in Daniele docuit *Jahnius f)*?

Vide ergo quorsum impulerit Magistrum tuum, mendacium, dum negat metamorphosim a se creditam. Cum enim tandem huius commenti puderet (etsi factus sum incredulus, qui super eo monuerim); quoniam in his angustiis obvius haud erat evadendi modus: ad tetram apertamque calumniam se recipere maluit, quam suspicionem creare erroris, suamque infallibilitatem in discrimen apud lectores adducere. Vide, annon suum ipse sibi idolum sit? annon delphici Apollinis oracula putet esse, quaecunque etiam imperitissime effutivisset?

Superest, ut de postremis ejus verbis moneam, quae ex illius commentario adduxi. Hic vero dictum: „*Erat vero Nabuchodonosor in feram et belluam mutatus sic, ut externam etiam hominis formam amiserit*;" metamorphosim clarius exprimit, quam ut ullo modo trahi ad solam insaniam possit. Quis enim hominem ex ferino vitae modo sordidatum exprimere volens, dicat illum in *feram* et in *belluam* versum, mutata etiam *externa hominis forma*? Nemo adhuc itineratorum de septemtrionalibus Americae populis, feris sylvarum incolis, sordidis prorsus et putidis, nobis retulit, eos hoc vitae modo, *formam etiam hominis externam amisisse*, versosque esse in *feras* et *belluas*. Quod ergo Magister deinceps de insania ibidem sub-

---

f) Introd. in LL. vet. Foed. Part. 2. §. 147 — 154. et fusius sub iisdem §§. in edit. germ.

jungit, non aliter superioribus constare potest quam si dicas, regem etiam in metamorphosi mentem rationemque eatenus retinuisse, ut adhuc reflexe cogitaret. seque ipse pro fera haberet; tametsi, ut opinor, haec reflexa cogitandi ratio, similibus insanis non convenit. Ceterum quiscunque sit verborum sensus, in quibus commentarius commentario egeat: tamen in Institutionum editione prima, quatuor annis tardiore, bovilla belluae figura ita aperte lucet, ut qui id neget, aut quod legit, non intelligat, aut cum Magistro pariter mentiatur.

§. 244.

Postremum exemplum accipe, virtutis et artis splendore nulli secundum. Ait autem Magister: „Auctor recentissimus adhuc est, *Altmannus Riglerus*, cuius Hermeneutica biblica generalis, usibus academicis accommodata Viennae, ubi studii biblici professorem egit an. 1813 prodiit. Docet in praef. eo se permotum ad hanc elaborandam, quod adverterit hermeneuticam disciplinam pluribus adhuc defectibus laborare, utque hanc ad ordinem accuratioris systematis componeret; *dein ut eam etiam partem illius, quae circa historicam interpretationem versatur, accuratius, quam factum ad hoc tempus sit pertractaret*, idque monitu Eichhornii, Plankii, aliorumque gravissimorum auctorum. Quales hi sint et quanta gravitas illorum, potest adverti ex Eichhornio, qui in hoc numero primus est. *Historica interpretatio est ea vatiticiniorum interpretatio, qua haec ita explicantur, ut doceatur, esse haec impleta tantum per eventum aliquem in historia nationis hebraicae, nihil vero habuisse, quod vere et proprie pertinuerit ad Christum.*"

Quo criminandi esset occasio torqueri, mi Comes, viri spectati dictum innocens in partem sinistram, vides. Gratularer, si vel inscitiae obtentu, tantam impudentiam, quae huic facto inest a Magistro abstergere liceret. Verum quid *historica interpretatio* sit, quam ea non innocens modo, sed prorsus necessaria sit hoc tempore, non in prophetis solum, ut fingit Magister, sed in omni prorsus scriptura, ac quovis etiam scripto profano; jam nec tirones fugit; tuum autem Magistrum latere tanto minus potuit, quod in *Jahnio*, quem etiam in *Enchiridio* per singula insectatus est, clare describitur, atque etiam exemplis il-

lustratur. Lege eiusdem *Enchiridii* §. 1. p. 4. et videbis ad recte interpretandum a viro doctissimo exigi, ut praeter linguarum notitiam „*etiam historiae, et earum rerum omnium historicarum, quas nomine antiquitatum complectimur, cognitione instructus sit interpres.*“ Cuius rei plura exempla apposuit in nota. Proximo autem §. 2. pag. 7. ait: „in enarratione vero non solum sensus auctoris, clarioribus verbis exponendus et argumentis comprobandus est, sed etiam res vel doctrinae, quae traduntur, nequaquam generatim, aut quaepiam a longe arcessendo, aut ex nostro aevo aut climate, sed ex aetate et regione autoris, non minus dilucide quam subtiliter explicandae sunt, ut enarratio sit *non tantum grammatica sed etiam historica, et historico-theologica*, quae triplex interpretatio ab aliis quidem unius *grammaticae* interpretationis nomine comprehenditur, et nequaquam immerito; *interpretatio enim, quae non est historica, neque grammatica jure dici potest.*“

Res demum prorsus enucleata est §. 8. pag. 23. ubi scribit: „Usus loquendi cuiusvis linguae et nationis, judicio cl. *Ernesti* adjunctis sequentibus determinatur, quae sedulo observasse, *ad historicam interpretationem permultum confert. Tempore, regione, religione, secta et disciplina, reipublicae civilis et ecclesiasticae forma, vita communi, moribus, ritibus, consuetudinibus et reliquis rebus historicis a),*“ quae omnia a pag. 23 — 32. illustrantur exemplis. Quomodo ergo haec ignoravit Magister, qui illa supra in *Jahnio* et *Ernesto* irrisit? Nisi forte hyperborice rudem statuere mavis, ut qui interpretationem grammaticam, a qua historica divelli nequit, professus sit, quid grammatica interpretatio sit, hodiedum ignoret.

Vides ergo, mi Comes, de necessitate *interpretationis historicae* idem tradere *Jahnium* et *Ariglerum*: merito ergo quaeres, cur Magister illum tacitus praeterierit, hunc tam saevus invaserit? Sed in *Jahnio* non occurrit mentio *Eichhornii* ergo nec calumniae locus erat, nisi ipsam necessitatem impugnaret *historicae* interpretationis, quod non nisi ab insano exspectes: at ubi *Ariglerus Eichhornium* intulit, opportunissima occasio fuit, pro suo maledicendi studio in

---

a) Instt. vet. test. Tom. I. Ed. 2. p. 48.

illum omne odium conferendi, quod in posteriorem intimo pectore conclusum tenebat. Tu ergo vel ex hoc exemplo vide, quam necessarium sit nosse personam, judicia, animum, variamque relationem scribentis; id vero est, quam necessaria sit *interpretatio historica*, si ultra corticem penetrare cupis in mentem auctoris.

Ut autem videas, quanta sit temeritas et impudentia Magistri, qui virum spectatissimum, iam tum (1813) ordinis s. Benedicti abbatem Gottvicensem, sacr. majest. et cels. regiminis consiliarium, ut frons operis illum docebat, de pernegatis messianis prophetiis palam postulet: unicum ex eo opere exemplum ponam: e contra inquit, *sermonem propheticum* 2 Petr. 1, 19. non ad singulum aliquod oraculum restringet, sed collatis locis 1 Petr. 1, 10. seqq. Rom. 16, 26. Apoc. 1, 3. etc. *ad omnia effata messiana pertinere eo confidentius statuet*, quod vel contextus loci conf. v. 20. sequ. eundem sensum suadeat *b*)." Hoccine est vaticinia messiana negare?

Habes ergo de vili calumnia convictum Magistrum: nunc ex eodem docto abbate tibi, Magistro, commilitoni tuo, modestiae, animique liberalis exemplum dabo, non ut sapiatis, quod jam sine prodigio fieri non potest; sed ut intelligatis, quantopere mores vestri distent ab doctorum hominum judiciis, sensu, totiusque vitae ratione. Audi ergo, quid vir ille scribat in Praef. pag. VI. „Accedit, inquit, quod alia vitia, quae meo operi adhuc adhaereant, eius generis esse intellexerim, quae accedente oris explicatione, et in subsidium vocato cl. *Jahnii* Enchiridio, haud magno negotio removeri et corrigi possent." Dicite, annon hic animus vestram illam adversus summos viros perpetuam et ridiculam aemulationem in ruborem dat? Multa insunt in mediocri volumine; lampadem olet, et in dictione praecisa multa rerum utilium ubertas: cum in Magistro inter sentes vepresque verborum, vix multo labore tandem evadas vacuusque respires. Mihi crede, eximie literas ornat modestia, praejudicia eliminat, viamque pandit ad veritatem; eoque si ulla mihi spes esset boni successus, obsecrarem Magistrum, ut vel aemulandi studio hanc virtutem co-

---

b) Herm. gener. §. 103. num. 3. pag. 185.

lat. Sed ut supra vidisti §. 243., impudenter mentiri mavult, quam profecisse videri, etiam cum profecit invitus; adeo ab utero matris congenitam sibi inerrantiam, persuasum habet. *Mabillonium* cum quidam coram rege laudaret ut Galliae doctissimum, *Fenelonius* addidit: et modestissimum quoque.

§. 245.

Ad *Commilitonem* tuum redeo, mi Comes, si satis adhuc retines memoria: dudum enim a nobis profectus diu abfuit: nunc paululum revertetur, ut supremum maledicat *Jahnio*. „Sensum, inquit, verbi Dei ex usu loquendi potius, quam ex ipsa apostolica intelligentia, pastorum institutione, ac ss. Patrum sensu ad nos transmissa, determinandi ratio, proh dolor! ad invehendum fovendumque rationalismum comparata magis esse videtur, quam ad arcendum eliminandum *a*).“ Quam pie, quam catholice loquitur! Aedificat, mi Comes, virum hunc doctum, hermeneutamque expeditum, de apostolica intelligentia, pastorum institutione, et patrum sensu verba inferre, qui supra §. 128. contra *Jahnium* liberaliter sanxerit, apostolicos patres ad probandum scripturarum sensum non valere: qui §. 131. mira eruditione profiteatur, Patres etiam unanimes, ad interpretationis apostolicae lineam modice attendisse; solum aut plus aequo, ingenii viribus, et collectis e Judaeorum, Graecorum philosophorum, haereticorum regno copiis confisos ad interpretandum accessisse. Proh dolor! quam iste patres ornavit! quam iste traditionem, omnemque veterum auctoritatem penitius delevit, quam Dianae templum *Herostratus*, et velut alter *Pyrgopolinices*, omnibus Neotericis unico pugni ictu *brachium* confregit et *femur!* (supra §. 9.)

Profunde, mi Comes, hic vir introspexit in hermeniae arcana; plus iste videt Jahnio; atque hic unus abjecto usu loquendi et explosis patribus, aureum revexit seçulum, quo quisque, ut Magistri tui verbis loquar, suo ferri possit ingenio per scripturas. Viden' tu, mi Comes, quid sit horae discipulum fieri Magistrum? *Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri, sola scripturarum ars est, quam*

---

a) Lex Cath. interpr. §. XVI. pag. 17.

sibi passim omnes vindicant etc. ait Hieronymus; ferrarius fulmina cudat Vulcani ad modum, aut compedes jungat et catenas; modo ne horologium faciat. Sic est, mi Comes, placet vobis verbis piis, imoque de pectore ductis suspiriis ludificari homines, vobis istarum rerum non magis gnaros: qui autem gressum unum trans limen protulerit, ridet vos jure suo, quippe nondum eo provectos, ut vel partium nexum, aut fundamenta videatis, nedum penetralia perspiciatis disciplinae huius. Quis enim usus sit Patrum in interpretando, dixi supra in *Tridentino decreto* §. 84. et deinceps: quam vero turpiter calumnietur *Jahnium* Commilito tuus, passim videbis §. 40—53. et 120—134.

§. 246.

Quod errorum et criminationum adhuc superest audi. „Notum est, inquit, huius principii interpretes quomodo infirment dogmatum positivorum argumenta; quomodo ludant cum sensu *filii Dei* Matth. 26, 63—4., *filii Dei veri* Matth. 14, 32—3., *redemtionis* Matth. 20, 28., *oblationis* Ephes. 5, 2., *resurrectionis* Jobi 19, 22. sq., *ligationis et solutionis* Matth. 18, 18., *remissionis peccatorum* Joan. 20, 22. sq. etc. Notum est, quantis *existentiam angelorum malorum* merserint difficultatibus; quam abnegant ex usu loquendi ullo tempore Christi fuisse veri nominis *energumenos.* Notum est, quantopere *miracula*, supernaturalis, et immediatae causalitatis insignia, tractatoribus ipsis dispareant; quomodo *prophetiae* V. foederis aut evacuentur, aut ad civilem gentis judaicae sortem restringantur; quomodo *vaticinia*, quae in N. foedere impleta asseruntur, ad nudas accommodationes ac allusiones desciscant; apostolis, hac in praxi hic et ibi dupliciter etiam hallucinantibus. Notum est, quomodo *mythi*, *philosophemata*, in verbum Dei introducta *a*).“

Pauca adnotabo, cum alia istorum huc non pertineant, alia admodum sint levidensia, et suum cuique in his peregrinum auctorem indicent. Ergo qui *usum loquendi* statuunt pro supremo principio, illi infirmant argumenta dogmatum! Quare Magister non

---

a) Lex Cath. interpr. §. XVI. pag. 17.

dixit, Hieronymum ipsa sustulisse dogmata, qui in Vet. Test. Tiberiadenses Rabbinos magistros habuerit in eruendo usu loquendi hebraeo? Si ergo eius versionem grata suscepit ecclesia, quomodo usus loquendi infestus sit dogmatibus? Vel forte hodie jam meritum usus loquendi amisit, cuius ope ea ipsa nata versio est? Sed voci tam puerili superfluum est immorari: tu vide, mi Comes, quae supra de ipso *usu loquendi* dicta sunt.

Addit exempla e Matth. 26, 63. ubi summus pontifex ait: *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei*: et e Cap. 14, 33. ubi discipuli post panicum terrorem, Christum „*adoraverunt dicentes: vere filius Dei es.* Commilitoni, ut vides in utraque sententia vis posita est in verbis *filius Dei.* O indoctum dogmaticum, qui ex his vocibus tantum suspendat mysterium! Tales, mi Comes, habere adversarios sibi honori ducunt *Neoterici*; quia similium vociferatio certissimum testimonium est, demonstrationem dogmatum severiori argumentorum delectu percultam esse atque provectam. Pudet me, qui Commilitonem ablegare debeam ad Magistrum, ut discat saniora. Tu autem confer supra §. 192 — 195. Unicum addam *Theodoretum*, qui Majorum suorum sapienter meditata in compendium redigens, quid de *filio Dei* sentiret, clare edixit in commentario ad Psal. 2, 7. *Filius meus es tu. Hanc vocem, inquit, nemo qui spiritus s. doctrinae credat, divinitati domini Christi applicabit* etc. *b*). Et alibi: „*ante crucem quidem et passionem dominus Christus, non solum aliis Judaeis, sed ipsis etiam apostolis non videbatur esse Deus c*).“ Causas docti viri, qui qua Syrus etiam usum loquendi tenebat, ibi requiras. Si hoc antiquus catholicus episcopus, quid faciet emunctae naris rationalista? Diligenter ergo considerandum est, quovis loco, quomodo sumatur sententia. Dixi jam, malum apologetam minus solum nocere hoste aperto, sed nocere tamen.

Adde inconsiderantiam Commilitonis, qui argumentum requirat, ubi nullum est; id negligat, quod jacebat pro pedibus. Matth. 26, 63. dum quaerit

---

b) Tom. 1. p. 621. Ed. Hal. *c*) in Comment. ad Rom. 1, 4. Tom. 3. pag. 15.

pontifex: *si tu es Christus filius Dei*, de Messia agi paucis docui §. 194. Adde, Jesum quaesitis reponere: *a modo videbitis filium hominis.* Quomodo ergo in quaestione pontificis sermo sit de divinitate, cum Christus subinferat suam humanitatem. videbitis *filium hominis?* Si Commilito tuus non est tiro in arte, quare haeret in *filio Dei*, usu loquendi scholastico. quem hic nec substrata materia, nec contextus admittit? Quare non usurpat potius dictum: *sedentem a dextris virtutis Dei?* Huic apte inaedificasset mysterium, uti post Joh. Davidem *Michaëlis*, ostendit etiam *Jahnius*, in commentario Psal. 110. in F. 109. in vulg. Hic jam merito suspires: proh dolor! quam parum sapit hic novus Aristarchus! Proh dolor! quam parum cogitatur, priusquam scribitur!

Quid autem Matth. 20, 28: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemtionem pro multis*, et similis ad Ephes. 5, 2. hic velit, non sane intelligo; nisi forte illudere vult lectoribus, tamquam redemtionem neget *Jahnius.* Suspicor, mi Comes; artes enim vestrae tam prolixae, tam propudiosae sunt, ut non dubitem surrecturum adhuc aliquem, qui, ut in fabula est, mortuo insultans, illum etiam faciat atheum. Qui ergo accusationem non intelligam, reponam, quod similibus vage criminationibus iam Hieronymus reposuit: „*nominatim debes dicere, et ipsos homines denotare d)*“ imo et ipsa dicta atque loca eorum, quos impugnas. Ut tamen intelligas, quid *Jahnius* de redemtione sentiat, audi quid ille ad Joh. 1, 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, scribat in Enchirid. Herm. Gen. „Locus nobilis, inquit, quem rationi soli inhaerentes theologi nostrae aetatis pervertere conantur, per parallelismum inexpugnabilis et salvus est: primum enim *agnus Dei* respicit Isaj. 53, 7. (hic plura loca allegantur) et patet esse ovem Deo sacram, et ad victimam destinatam; dein *peccatum* in hac, alias frequenti formula loquendi, esse poenam peccati et integram phrasim dicere, pati poenam iniquitatis aut peccati *e*).“ (Hic iterum copia exemplorum). Sed operae pretium facies, si totum locum relegeris, ut

---

d) Contr. Ruf. L. 2. Tom. 4. P. 2. pag. 417. *e*) §. 27. pag. 83.

videas, quomodo *Neoterici* ex usu loquendi soleant demonstrare, quoniam contra adversarios alia certior ratio non datur.

§. 247.

De *resurrectione*, e Jobi 19, 25 — 27. dixi supra §. 215. in fine. Addit Matth. 18, 18. et Joh. 20, 22. Cave credas, mi Comes, Commilitoni, qui tibi os oblinere parat, tamquam *Jahnius* lixis etiam et calonibus tribuat potestatem absolvendi a peccatis. Concilium Tridentinum ex his locis damnat eos, qui hanc potestatem ultra episcopos et presbyteros extendunt *a*). Si ergo Commilito tuus non est sycophanta, locum ex *Jahnio* citari oportuit, in quo id perneget; (contra *Jahnium* enim utraque *lex*, *suprema* nempe et *catholica interpretandi* scripta est), aut certe *Neotericum* dari, qui illud dogma infregerit, alioqui vaga id genus accusatione impudentissimus quisque alios impetet.

Subjungit de existentia *malorum angelorum* et *energamenis*. Prius illud nihil ad *Jahnium*; alterum superioris aetatis nova controversia. Cum enim manifestum sit, *spiritum malum* in Saule esse morbum naturalem, ut quem invidia pepererit, ut quem citharae sonus levaverit *b*): non deerant, qui daemoniacos nov. test. similiter explicarent. Quaestionem enucleatam habes in archaeologia allatis utriusque partis argumentis *c*); qua in re nihil definitum esse nosti, nihil etiam decedere Christi factis et dignitati perspicies, si adverteris, quos daemoniacos dicimus, fuisse morbis gravissimis detentos; quos solo verbo sanare ex aequo divinae virtutis est, seu natura seu daemon causa fuerat morborum.

Postea naeniam canit cum tuo Magistro de negatis *prodigiis* et *prophetiis*; non mirum, omnes enim in eodem ludo docti estis. Si vis videre, quomodo *Jahnius* prodigia defendat, lege eius Enchiridion *d*), ubi asserit donum linguarum in pentecostibus: „ita etiam omnia illa artificia, inquit, quibus recentiores quipiam, qui rationalistae dici amant, donum linguarum extraordinarium in ordinarium mutare conati

---

a) Sess. XIV. de Poenit. Cap. VI. et Can. X. *b*) 1 Reg. 18, 6 — 12. 19, 8 — 11. *c*) §. 192 — 197.

sunt, vana esse apparet, si diversa loca conferantur. Nam si donum erat ordinarium" etc. Alia duo exempla invenies ibid. pag. 65. Quid autem dicam de Introductione in LL. Vet. Foed. in qua ideo singulorum librorum historicam asserit fidem, ut tu, mi Comes, inde tuto prodigia possis sumere? Ceterum probe tenet Commilito tuus, quam doctus et strenuus prodigiorum vindex sit *Jahnius*; sed miro mentis errore ad hoc linguam se habere putat, ut proximos laceret, idque doctum existimat, si de cunctorum fama detrahat.

De prophetiis aeque Magistrum resonat, de quibus non quidquam addam, cum dictum sit satis supra §. 175. et subsequis. Suadeo solum, ut de prophetis *Jahnium* consulat, ne cum pia plebe credat prophetas, causas ignoret. In *mythis* demum et *philosophematibus* doctus videri voluit, quoniam hae merces inter nos adhuc parum notae sunt: stupent ergo plerique ad ignota nomina, velut ad praesentis exitii portenta. Si tamen subito ex illo quaeras, quemnam ex his usum faciant adversarii (neque enim nisi revelationis hostibus ista frequentantur), forte aqua haeserit, cum in hac disciplina vel Magistro magis hospes sit, ut vidisti hactenus.

Concludit demum: „*Attendite*, *inquit Christus*, *a falsis prophetis. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas*, *aut de tribulis ficus?*" Ut vides, mi Comes, non avare laudat *Neotericos* Commilito tuus: minus recte tamen, quod nec spinas nec tribulos protulit e *Jahnio*. Tu aequior arbiter, non gravate dabis, innumera esse in illo, quae ita commodo esse possint Commilitoni, ut nisi ingrato est animo, id sibi ab Jahnio pulchre foeneratum beneficium dicat, quod in scriptae revelationis demonstratione, in tractatione critica prophetiarum, et dilucida hermeniae principiorum declaratione est positum; ab dogmatum tractatore pluris aestimandum, quod ex nostris parem habet neminem. Ego illud Hieronymi probo: „*non consuevi eorum insultare erroribus*, *quorum miror ingenia e*)." Qui ergo nihil reperit, quod arguat in *Jahnio* viro doctissimo, fidei-

---

d) §. 27. pag. 84. *e*) Epist. 41. Tom. 4. P. 2. pag. 346.

que integrae, eo longius segregari oportuit a calumnia.

§. 248.

Tua demum, mi Comes, adhuc paucis illustrabo, qui de *Neotericis* scribas; „Dum isti se prae ceteris sapientes in exponendis sensibus Bibliorum arbitrantur, student summopere et ab aliis recte intellecta destruere, et sua perversa roborare. Ita conantur dilatare *terminum suum*, id est naturalismum. Hi vero in praefationibus operum minime verentur novum scribendi modum, novamque excogitandi rationem de intelligentia Bibliornm tractantes, exponere. *Babor* Brunae in Moravia antecessor, *Jahn* et *Mayer* aperte asserunt, se semitas Eichhornii, Augusti Ernesti, aliorumque Protestantium fidenter secutos esse, quia *hos linguarum scientia, eruditione ac diligentia antiquioribus longe praestare* ainnt *a*).“ De suis adversariis quondam Hieronymus scribebat: „Veteres Magistrorum suorum calumnias concinnantes, in tantum elingues et miseri demonstrati sunt, ut ne maledicere quidem suis verbis potuerint *b*).“ Hoc, mi Comes, dictum hodie vere in te accidit, qui calumnias a Magistro *c*), verba, ab nescio quo Tullianae orationis haerede sumsisti. Dicam ergo primum de usu Protestantium, tum de viris, quos commemorasti.

§. 249.

Quid tibi vis, mi Comes, qui *Jahnio* et *Mayero* dicam scribas super laudata in Protestantibus linguarum scientia, eruditione et diligentia? Aethiopibus sic scribas licet: *Neotericis* impune non licet, quia mirum quantum ista produnt, quantus tu in critica tiro sis. Non te ablegabo ad immortalis *Rossi* maius Var. Lect. opus in 4. voluminibus; ad eius *specimen* VV. LL. te amando, quod Romae 1782 editum est. Inspice et vide *Lilienthalium*, *Kennicottum*, *Brunsium*, *Capellum*, *Schulzium*, *Michaëlem*, *Diederichum*, *Doederleinium*, *Oberlinium* in communi stadio currentes, eoque cum laude commemoratos ab Rossio. Tu ergo si quid in posterum hoc in genere

---

a) Pag. 99. *b*) Comment. in Jerem. Libr. IV. Praef. T. 3. p. 613. *c*) Instt. vet. test. Ed. 2. Tom. 1. Proleg.

moliri voles, etsi satius erit quiescere, ac ne mutire quidem, Hieronymi sequere sententiam: „*Nec bonis adversariorum detrahendum est, nec amicorum laudanda sunt vitia; et unum quodque non personarum, sed rerum pondere judicandum a).*" Quamquam inconstans, aut nescius rerum, quod est in fabula, eodem ex ore frigidum et calidum spiras. Cur enim hic improbas, quod pagina prius laudasti? Sic enim de Eichhornii Introductione scribis: „Opus ob eximiam eruditionem cetera Novatorum, qui in scientia biblica desudarunt, antecellit *b*)." Cur alibi laudas Iudaeos, qui ex Arabum societate *seculo X. eruditiores et peritiores prodierint, grammaticam et philologiam colentes?* Pag. 88. An forte Mohammedes tibi Christo pluris est?

Sed lubet idem asserere e Chrysostomo, quem contra *Neotericos* adduxisti *c*). Is, inquis, ita de Judaeis aiebat: „hoc ipsum igitur maioris illos impietatis convicit, libros eo consilio possidere. Neque enim tantum mererentur crimen, si prophetarum scriptis caruissent; non tam impuri, et profani essent, nisi libros legissent." adv. Jud. Orat. 1. num. 5. Tom. 1. pag. 594. Iudaei ergo libris bonis non bene utendo peccarunt; si igitur bonis bene utare, in laude erit. Qui ergo paulo ante dederis, eximia scripsisse Protestantes, nec quidquam proferre potueris tu et Magister tuus hactenus, quo *Jahnium* et *Mayerum* bonis non bene usos doceatis, quidni in laude sit, bonis bene usos esse *Rossium, Jahnium* et *Mayerum?* His velut per transennam te monitum volo, ut alias prius ipsam expendas, quam adduces sententiam, ne tuum in caput recidat, ut passim tibi evenit, dum aliquid allegas e Patribus.

§. 250.

Sed nonnihil uberius de adversariorum usu dicendum est, qui sciam quam vetus hodego religio sit, tangere quod extra ecclesiam sit scriptum: ut si quos habet suae socios sententiae, rectum de his ferre norint judicium, quibus tu criminationum partem superstruxisti. Tu ergo advertas velim, non agi hic de

---

a) Epist. 41. ad Pam. et Ocean. Tom. 4. P. 2. p. 342.
b) Pag. 97. *c*) Pag. 99.

tironibus, sed de iis, qui fidem suam justis argumentis asserere et vindicare docti, seu ulterioris indaginis, suique perfectionis causa, seu postulante id munere publici Magisterii, animo sincero et integro ad legendos adversarios accedunt. Vetera decreta hic non commemores, uti de iis hactenus prudens tacuisti. Alia enim fuit rerum facies sub reformationis initium, cum inter multiplices abusus nostrorum, ostentata divini verbi majestas, ipsaque novitas rerum periculum vehebat. Sed praeteriere haec tempora, et non multos invenias hodie, quibus vetera symbola sint curae. Aliud quoque statuas de Italia, aliud de nobis. Tertium inter nos versaris, et vidisti nullum esse genus dignitatis, in cuius communionem tamquam concives non veniant; locus quoque in institutis literariis datus, ut non raro eodem in templo vicinus Jesum mecum adoret Protestans. Cur ergo eorum non legam opera, quae nec ipse diffiteris eximia? quos concives, quos communis instituti membra, literarumque habeam socios et familiares? Atque haec ex vitae civilis modo.

Si autem hanc coniunctionem ad religionem refero, annon interest scire, quid sentiant, quos religiosa judicia a nobis sejungunt? Annon postulat officium, ut, si tempori, si necessitatibus consentanea sit institutio, quid e veteribus innovaverint, quid provexerint, aut verterint in peius, quidve moliantur cum discrimine nostro, ego sciam? Malus magister est, mi Comes, qui sui temporis judicia in adversariis ignoret; pejor, qui maledicat personis, et hostile intactum praetereat systema; ille vero omnium deterrimus, qui docta, qui salutaria eorum inventa etiam corrumpat, inque odium deflectat personarum. Non artes hae malae proficiunt in bonum: serius enim aut ocyus detecta fraude vilescit Magister, ipsaque in suspicionem adducitur institutio.

§. 251.

Sed de extraneorum ac etiam hostium usu tu iam, mi Comes, veterum exempla aut judicia accipe. *Jethro* socer Moysis de gente non sancta, quam sapiens dat genero consilium, quod hic non dedignatur admittere maximus licet prophetarum a)? *Paulus*

---

a) Exod. 18.

Arato, Epimenide et Menandro est usus *b*). *Judas* autem omnium consensu ad duo scripta apocrypha respicit *c*). *Jacobus* etiam daemonum fidem probat *d*), ut inepte garrientis sit dicere: tu haereticos probas, nisi prius doceas impium et haereticum esse, quidquid haeretici scripserunt. De *Cypriano* audi Hieronymum *e*): „Tertulliano magistro utitur, quumque eruditi et ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo, Maximillamque non sequitur." „*Augustinus*, ut nosti, in *doctrina Christiana*, primo hermeneutices libello, Tichonium Donatistam pro fundamento posuit. *Hieronymus*, qui similes vobis crabrones tota vita pertulit, objicientibus quod Origenem laudaverit, reponit: „laudavi interpretem non dogmatisten: ingenium non fidem: philosophum non apostolum *f*)." Et iterum: „Quod autem opponunt, congregasse me libros illius (Origenis) super cunctos homines: utinam omnium tractatorum haberem volumina, ut tarditatem ingenii diligentia compensarem. Congregavi libros eius, fateor: et ideo errores non sequor, quia scio universa, quae scripsit *g*)." Idem: „Lactantius in libris suis spiritus s. negat substantiam. Quis mihi interdicere potest, ne legam institutionum eius libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? Apollinarius contra Porphyrium egregia scripsit volumina. Probo laborem viri, licet fatuum in plerisque dogma contemnam *h*)."

§. 252.

Idem ad *Vigilantium*: „eadem absenti significo, quae praesenti quoque locutus sum, me ita Origenem legisse vel legere, ut Apollinarium vel ceteros tractatores, quorum, in quibusdam, libros ecclesia non recipit. Non quo omnia dicam damnanda, quae in eorum voluminibus continentur: sed quod quaedam reprehendenda confitear. Verum quia operis mei est et studii, multos legere, ut ex plurimis diversos flores carpam, non tam probaturus omnia, quam quae

---

b) Arat. Act. 17, 28. Epim. Tit. 1, 12. Men. 1 Cor. 15, 33. *c*) v. 9. 14. *d*) 2, 19. *e*) Epist. 41. ad Pam. et Ocean. T. 4. P. 2. p. 342. *f*) ibid. *g*) ibid. p. 343. *h*) ibid. p. 345.

bona sunt, electurus, assumo multos in manus meas, ut a multis multa cognoscam, secundum illud quod scriptum est: „*omnia legentes, quae bona sunt retinentes.* Unde satis miror, te Origenis voluisse mihi objicere dogmata, cuius in plerisque errorem usque ad hanc aetatem penitus ignoras *a*).“ Hoc tibi dictum et hodego puta.

Idemadversus *Rufinum:* „alterum quidem nomen Eusebii, sed eadem, quae super Origenis vocabulo est calumnia. Laudavi Eusebium in ecclesiastica historia, in digestione temporum; in descriptione sanctae terrae: Num ex eo Arianus sum, quia Eusebius, qui hos libros condidit, Arianus est *b*)?“

Idem: „Si quis contrariae factionis immurmuret, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud apostoli libenter audire: *omnia probate, quod bonum est tenete* (1 Thess. 5, 21.): et salvatoris verba dicentis, *estote probati nummularii.* — Etenim si dialecticam scire voluero, aut philosophorum dogmata, et ut ad nostra redeam, scientiam scripturarum, nequaquam simplices ecclesiae viros interrogare debeo; — sed eos, qui artem didicere ab artifice. Ego et in adolescentia, et in extrema aetate profiteor, et Origenem et Eusebium Caes. viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. Quod e contra de Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere: et tamen omnes in explanationibus scripturarum sudoris sui nobis memoriam reliquerunt. Cur me lacerant amici mei, et adversum silentem crassae sues grunniunt? Quarum omne studium est, imo scientiae supercilium, aliena carpere. — Meum propositum est, antiquos legere; probare singula; retinere quae bona sunt, et a fide ecclesiae catholicae non recedere *c*).“

An te tuosque pudet Magistrum et Commilitonem, qui ex scholasticarum opinionum dissensu, doctissimos quosque dente roditis canino, lividi atque obscuri? Cum hoc eruditionis portentum ea moderatione et aequitate sit, ut etiam quorum improbat dogmata, eruditionem laudet et merita?

---

a) Tom. 4. P. 2. pag. 276. *b*) ibid. p. 359. *c*) Epist. ad Minerv. et Alex. T. 4. P. 1. p. 220.

§. 253.

Quam autem non utile modo, sed quandoque et necessarium sit adversariorum sensa cognoscere, docebo te prodigioso exemplo: Refert de se *Dionysius Alex.*, a presbytero quodam de non legendis haereticis admonitus: „visione coelitus, inquit, missa confortatus sum. Et vox ad aures meas perlata, disserte mihi praecepit hoc modo: Lege omnia quaecunque in manus venerint. Idoneus namque es, qui singula disquiras, et examines; hacque primum occasione ad fidem Christi impulsus es. Amplexus sum visionem illam, utpote quae apostolicae voci consentiret: *Estote periti nummularii a*).

Ut autem eius judicii, quod hac in re veteres secuti sunt, causam teneatis, audite *Justinum*: „quaecunque enim, inquit, praeclare unquam dixere, aut excogitavere philosophi, aut legumlatores, haec invento et considerato aliqua ex parte verbo elaborarunt *b*).“ Et iterum: „Quaecunque apud alios omnes praeclare dicta, ea nostra sunt Christianorum *c*).“ *Augustinus* vero: „Quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit veritatem.“ Et iterum: „Philosophi qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam injustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda *d*).“ Similiter *Hilarius* diaconus: „quidquid enim verum a quocunque dicitur, a sancto dicitur spiritu *e*).“ Vos ergo, mi Comes, saltem eo sitis animo erga Christianos, quo veteres erga gentiles; et quibus hactenus unica cura fuit, aemulandi studio mordere personas contemta veritate; horum exemplo discite quaerere veritatem sine praejudicio personarum.

§. 254.

Sed pergis maledicere, de *Eichhornio* enim loquens ais: „Jahnius antecessor Vindobonae, qui illius

---

a) Euseb. hist. eccl. Libr. VII. Cap. VII. p. 285. Ed. Vales. *b*) Apol. 2. num. 10. pag. 98. *c*) ibid. Num. 13. pag. 101. *d*) de Doct. Chr. L. 2. C. 18. p. 31. T. 3. P. 1. et ibid. Cap. 40. p. 42. *e*) in Comment. ad Epist. I. ad Corinth. Cap. 12, v. 3. inter Opp. s. Ambros. T. 4. p. 180.

errores secutus est, perfectum opus vocat. „Das erste vollständige und zweckmässige Werk in diesem Fache Introd Part. 1. pag. 22. *a*). An dixi veteres te concinnare calumnias Magistri. (§. 248.), eiusque te semper premere et lambere vestigia? Hic vero ad falsam usque citationem, aut certe typi errorem eidem inhaeres. Verba enim ea germanica occurrunt unice in maiori Introductione germanica, non pag. 22., sed 28, ut videre poteris, si quod nunquam vidisti, voles consulere. Sed quomodo tu, mi Comes, sententiam dicis de opere, quod nunquam vidisti, legisti certe nunquam, ignarus quippe germanici sermonis? Eichhornium volvisti? Contendisti utrumque, qui ad apicem noris, ubi *Jahnius* hunc sequitur errantem? Judicas ergo de duobus, quorum neutrum legisti, ac ne vidisti quidem! Non bene consulis, mi Comes, Academiae catholicae. Non cum haec legeres, ibi assederunt *Fabricii*, *Rossii*, *Bugati* aut *Maii*; quos doctis omnibus cultos et caros, bonis literis boni Superi diutissime servent.

Sed eodem loco tribus lineis ante Eichhornii introductionem *opus eximiae eruditionis* vocas. Qui sciam igitur, eximiis neglectis errores secutum esse *Jahnium*? hosne protulisti? nusquam. An protulit Magister? nihilo magis. Voluisti tamen? ut maxime. Qui ergo volueris errores dare, nec potueris tamen, an dum errorum accusas *Jahnium*, calumniatus es? quid haeves? loquere. Si enim non est putidum petulanter atque proterve scribere, dic confidenter, quod scripsisti. An vides, periculose scribi, quod nescias? male credi Magistro, cui non fides, non pudor est? Quem mihi dabis ex Patribus, quem pari jure non arguam? Annon philosophos, Platonem imprimis, atque haereticos legerunt, nec tam innocue semper ut *Jahnius*? Lege Commilitonem §. 245. et fateare, in vobis impletum quod Proverb. 26, 27. scriptum est.

Quid demum cum *Jahnio* litigas, qui *Eichhornii* opus *absolutum* vocet, *et scopo aptum*? Da si potes, qui criticam partem eo accumine, ea prolixitate, et eruditionis copia tractaverit ante. Quis historicorum librorum authentiam et historicam fidem tanto ingenio atque solertia scrutatus est? Vide ut ille tibi ex

---

a) Pag 97.

notis internis probat, eorum auctores aut coaevos, aut certe e monumentis coaevis ita scripsisse, ut, si eadem critica valet in profanis, rejici nec in istis possit: illis si credis, istis negare non possis fidem. Quis tantis viri opibus ditari nolit? Omnes certatim sequuntur; quisque ut suum fert propositum, inde parcius sumit aut liberalius: solum Magistrum detinuit livor, ne in suorum commoda verteret, quae tam sunt usui hoc tempore. Si in prophetis non probat Magister, nec *Jahnius* probavit; imo videas, ut ille docte contra Eichhornium vindicat authentiam prophetiarum. Annon insanus sit, qui uti nolit lumine solis, quod quasdam ostendit maculas? Idem et hic sequere; mitte errores, bona gratus accipe, et maledicere desinite viro in paucis doctissimo, qui hanc disciplinam super ceteros suo provexit ingenio et sudore.

§. 255

Sed spina tibi tuoque Magistro in oculis animoque est Joannes Davides *Michaëlis*. Te si audio, exitiosarum novitatum fautor *a*); si Magistrum, pecuniae cupidior quam veritatis, simulatorque indignus, praeseferens quae non credidit *b*)! Tu, accusationem confirmaturus, *absque ulla moderatione novas interpretationes invenisse* objicis *c*); hoc vagum est, nullo firmatum exemplo: nec novitas semper in vitio est, nisi plus quam Davidem Michaëlis accusas Hieronymum. Sunt autem sic nova illius multa, ut iis diligenter utantur et nostri, non hermeneutae modo, sed dogmatici quoque; nec dubito, olim in Italia atque Romae etiam probanda, ubi de hac disciplina scribere docti animum induxerint; adeo ita cuique placere debent revelationis cultori. Mirum foret, mi Comes, si tantus philologus, archaeologus, criticus, hermeneuta, exegeta, unaque sincerissimus cultor revelationis, per annos 74., quibus vixit, per annos plus quam 40, quibus docuit, et 50, quibus claruit scribendo, in omni contentione nihil reperisset tamen, quod tuas tuique Magistri ideas obscuras, et judicia angusta illustraret atque proveheret. Persuasum habe non sic notitiis, et eruditione locupletem esse penum

---

a) Pag. 96. *b*) Instt. vet. test. Tom. 1. p. 54. *c*) Pag. 97.

vestram, ut non ingentia atque magnificà capere possit bonarum rerum incrementa.

At quanto te prudentior est Magister tuus, qui ita considerate, ita circumspecte Davidem Michaëlis accusavit, ut simul compendii sibi faceret comprobandi laborem? Quid enim? an consiliarius eius fuit? an in animum introspexit? certe, eum prorsus ad modum, ut supra §. 243. penitissime perspexit, me non credere prodigia, quoniam Nabuchodonosorem non credidissem bovillam belluam. In eo tamen, mi Comes, acumen in Magistro desidero, quod ibidem ultro est fassus, de peccato originali iam tum dissensisse a suis, cum nondum consultum erat, hoc profiteri palam; eoque anonymum super hoc argumento libellum vulgavisse. Sed si vulgavit tamen, certe simulator non fuit, nisi una doceat Magister, eodem tempore contraria docuisse iis, quae palam vulgavit: quod ab animo viri longissime distare, fatebuntur omnes, qui illum vel e scriptis norunt. Sed aliud quoque tibi argumentum dabo. Indignum videbatur viro jurare in symbola, quae auctores haberent, nec suomet quidem judicio ab errandi periculo immunes. Quid fecit? ut suae conscientiae faceret satis, theologorum gremio nunquam aggregari voluit. Simile exemplum videas in Lessio, Michaëlis collega Göttingensi, qui aliquanto tempore dogmaticis lectionibus supersedit, ne aliis traderet, quod animus non sensisset *d*). Qui sic agat, hic, mi Comes, non nisi inique simulator dici potuit. Nescio, an ex se alios Magister aestimet, qui studio quaesitas calumnias suis annue decantet velut certissimas veritates. Inhumanum est, mi Comes, sic agere adversus doctos viros, ut naturalem etiam illis eripias honestatem.

Si peccatum originale non credidit, anne hoc tam mirum est in viro, qui extra nostram ecclesiam, nec suorum detulit auctoritati? Ideo ergo *Jahnius*, vobis etiam invitis, cum usu loquendi *analogiam* conjunxit fidei, et consensum Patrum. Vide quae supra dixi de *usu ecclesiae in hermenia*, et *de Tridentino decreto*; unaque adverte, quanto studio §. 222. inno-

---

d) Praef. *über die Relig. und ihre Gesch.* Götting. 1785. pag. VIII — XVIII.

cua dicta Michaëlis corruperit Magister, ut ne deesset, quod arguat. Ego tibi, mi Comes, quoniam theologus es ad unguem factus, commendo huius viri *Supplementa ad Lexica Hebraea.* Part. 6. in 4. inaestimabilem thesaurum philologicum, geographicum, historicum. Notas illius pro *illiteratis*, id vero est, qui literas non colunt ex professo. Tom. 17. in. 4. — Nihil est quod fidei tuae metuas; non est Michaëlis e genere Polemicorum. Propria viri dos est, ex multis archaeologicis notitiis, in veteri potissimum testamento, ita te inferre, velut mediis rebus antiqui orbis, ut tantum non oculis videas, quod gestum narratur. Hinc fit, ut quae tibi ridicula apparent aestimata e moribus nostris, non modo offensionem non habeant, sed sapienter potius tum ordinata intelligas.

Lex autem *Mosaica* in 6. Tom. quantum opus! Si Magistrum demis, invenies neminem, qui non fateatur, quod nunc rectius multo de hac lege sentimus, Michaëlis ingenio et eruditioni deberi. Tu, mi Comes, et Magister tuus, homines sane minutuli estis. qui in ea lege nihil aliud sciatis quaerere, praeter hoc unum, an exstet ibi sensus mysticus, qui ad Christum pertineat? Hoc certe in eo opere non reperies, quia extra oleas est. Si tamen eius hac de re sensum nosse cupis, lege de hoc argumento distinctum illius libellum, et invenies illum quoque assertum. Quod mireris, illud ipsum argumentum, quod supra §. 5. surripuit, e nota Michaëlis ad Luc. 24, 27. sumtum est; quod, dum Magister plagium celaturus ad Joh. 5, 46. transtulit, ridicule se implicuit, negans in Pentateucho literaliter sine mysticis involucris quidquam exstare de Christo, Paulo sibique mire contrarius. Sed latuit tum, et forte etiam in praesens argumenti auctor; alioqui pro suo in eum odio vix contrectaturus erat.

§. 256.

Tu igitur, mi Comes, quo ipsum noscas tractationis objectum et operi dignum pretium statuas; quoniam hodie lippis iam et tonsoribus de populorum *constitutionibus* sermo est, in Moysis quatuor libris postremis, hebraeae gentis *constitutionem* tradi tibi imaginere. Id si tenes, tune ultra sensum mysticum in ea nihil requiras? Nobile hoc canae vetustatis

monimentum est, cui nihil aetate, sapientia, prolixitate et integritate par, aut simile habemus ex antiquo orbe. Tu igitur penitius cognoscere nolis, qualiter legislator sapientissimus semitertium millionem e servitute in libertatem assertos, legibus rexerit, ad humanitatem, ad vitam civilem et religiosam instituerit? quomodo eorum posteros novis inductos sedibus stabiliverit? quam formam reipublicae, quem modum sacrorum, quam relationem mutuam civium, quae belli pacisque jura, quid de re agraria, commercio, militia, de justitiae administratione, de poenis et suppliciis; verbo, quid ille ad provehendam nationis culturam, industriam securitatemque sanxerit? Hanc igitur *constitutionem* antiquissimae gentis, juri consuetudinario superadditam, jureconsultorum more Michaelis in suas partes dispertivit, leges cognatas junxit una, et suo ordine digestas, ex occasione, nationis genio et necessitatibus, e proprietatibus climatis et regionis, vicinorumque populorum moribus suo ingenio et eruditione ita illustravit, ut qui ante in theologorum unice scholis sonabat Moyses, praesente hoc viri labore, jam etiam inter philosophos, jurisconsultos, ipsosque adeo medicos admiratores sit nactus. Quantum haec, mi Comes, ad archaeologiam, ad veteris testamenti institutiones, omnemque tractationem influant, intime tenuit *Jahnius*, ut ejus opera loquuntur; penitissime ignorat Magister, ut Archaeologiae et Institutionum eius omnis pagina testatur.

Denique, mi Comes, si fructuosae et reconditae eruditionis specimem desideras, lege eius *spicilegium geographiae* post Bochartum; eius *syntagmata commentationum*, quas Goettingensi eruditorum societati praelegit. Nihil hic dogmaticum, nihil haereticum est, sed dilucida et erudita tractatio, qua carere vix possis, si quid in rebus vetustis supra vulgus sapere voles. Ergo postremas has *commentationes*, quoniam academiae membrum es, tibi pro paradigmate impensius commendatas cupio, ut intelligas, qualiter scribendum sit, si instituto vestro digne voles scribere: non tam enim quid, sed quomodo scribas considerandum est. cum et de rebus summis indocte scribatur atque inscite; de minoribus scite et fructuose scribendi modus sit. Cetera praetereo prope innumera: si sciendi cupidus es, habes catalogum operum eius Tomo 4. novae bibliothecae orientalis subjun-

ctum, ac etiam in vita illius pag. 295. numero 55. diversissimi argumenti; quorum unicum subinde 10. et pluribus in 4., viginti et amplius tomis constat in octavo; praeter plurima, quae Novellis eruditis, Recensionibus, et variis dissertationum Syntagmatibus ab eo inserta sunt; ut hodie aeque difficile sit eius habere omnia, ac quondam Origenis, de quo supra Hieronymus. Ego, mi Comes, de Michaëlis scientia profiteor, quod de Origenis olim Hieronymus: „Hoc unum dico, quod vellem cum invidia nominis eius, habere etiam scientiam scripturarum, flocci pendens (Magistri) imagines umbrasque larvarum, quarum natura esse dicitur, terrere parvulos, et in angulis garrire tenebrosis *)." Sed heus tu, ne mea in equuleo verba torqueas: sine haeresi dico, ac magis etiam sine naturalismo, quo Magister tuus omnes conspuit.

§. 237.

Ad *Baborium*, *Mayerum*, *Jahnium* venio, quos tu quam doctissime Protestantium sequaces fecisti in fide. Sed hanc qui depulerim iam supra calumniam, pauca de eorundem meritis dicam. *Baborius* dedit suo tempore in introd. vet. test. (794.) quod potuit optimum: *Valtoni*, *Richardi Simonii*, *Michaelis*, *Eichhornii* aliorumque egregia inventa, quod seduli et prudentis est, in suorum conferens usum et commoda, ut ipse gratus agnoscit prope quavis pagina. Huic quid est, quod obvertas? Annon semper posteriores in sua derivarunt anteriorum, si quas invenissent opes? In angustis scholarum compendiis non datur splendescere: egregie labore defunctus est, qui e multis optima extulit, disposuit debite, et suorum consuluit necessitatibus. Tolle a Magistro aliena, et sola remanebunt mendacia et calumniae. Quibus datum est vetera provehere, et inventis ditare novis, sit illis sua gloria quaesita meritis; tu Paulum sequere, qui sine invidia cupit omnes prophetare. Frustra rodit Magister *a*) *Baborium*, cuius succincta licet Introductio et Archaeologia notitiis eius volumina longe antecellit. Sed forte beare voluit, quod Sene-

*) Praef. in hebr. Qnaest. T. 2. P. 1. pag. 507.

a) Instt. vet. test. Tom. 1. p. 45.

eae: *nihil infelicius videtur eo, cui nihil unquam evenit adversi b).*"

§. 258.

In *Mayero* (sit illi terra levis) pessime res habet: unus eorum est, qui: „in praefationibus operum minime verentur novum scribendi modum, novamque excogitandi rationem de intelligentia bibliorum tractantes, exponere" uti erudite monuisti pag. 99. post Magistrum. Sic est, ipse ille fatetur in praef. *ad institutionem interpretis sacri:* „in eo (compendio) compilando, inquit, ordini et brevitati studui. Et ordinem quidem in plerisque retinendum putavi, quem Joan. Aug *Ernesti* in praeclara sua *novi testamenti interpretis institutione* sequitur. Egregie quoque adjutus sum nostri *Richardi Simonii* Historia critica, et introductionibus, quas J. D. *Michaëlis* et J. Got. *Eichhorn* in acceptis referimus." Pag. V. et VI. Quanto satius ille tum mutus, tu surdus fuisses, ne is talia diceret, tu ne intelligeres? Vide, ut Magister faeculentos hos fontes considerans, sapienter nunc dixit: „e quibus fontibus potest innotescere, qualis sit rivulus *a*)! Sed habeo tamen, quod pro illo dicam: *Ordinem*, ait, visum esse retinendum, non adsciscenda dogmata: *adjutum* se ait, non transformatum in Protestantem. Vos ergo non felicius metamorphosim hic statuistis hominis catholici in haereticum, ac supra §. 243. Nabuchodonosoris in bovillam belluam.

Sed jam dicam vobis, quod res est. Lucem vidit opus 1789. Viennae traditum annis 20. estque hodiedum in academiis eius usus, ut ex annuis documentis probe novit Magister. Quae ergo est vestra tam insana ambitio, ut existimetis, aut vos solos sapere, aut in fidei exitium praeter vos conspirasse universos? Hermeneuticam scripsit *Mayerus*; si ergo hanc unam legem serves, non interpretari contra ecclesiae sensum et unanimem consensum Patrum, ut supra exposui; cetera nobis communia sunt cum Protestantibus, Judaeis, Mahomedanis ac Gentilibus quoque. Humanum enim esse in scripturis sermonem in

---

b) De Provid. C. 3. pag. 225. Ed. Bipont.

a) Instt. nov. test. Tom. 1. p. 46.

confesso est: regi ergo nisi humanis legibus interpretatio non potest Hermeneutica mysteria non habet, etiam dum maxime docet mysteria, ut supra §. 29. monui Sed haec de trivio, etsi peregrinae merces Magistro, qui nec quid *Hermeneutica* sit, hodiedum satis novit, ut videre potes §. 73. Hieronymum tremendum vobis opponam Achillem. Quid is ad versionem praeter fidem attulit, quod non usquequaque humanum sit? Rabbinos habuit Magistros in philologia et exegesi: ab horum ita pendebat arbitrio, ut in libellis Judith et Tobiae non haberet suum. Vid. Praefat. Nisi ergo aperta datis exempla, in quibus Protestantium secutus sit Mayerus adversa nobis dogmata: vaga vestra accusatio de *Ernestio*, *Michaele* et *Eichhornio* adhibitis, vel vestram palam docet inscitiam, vel iniquissimam continet calumniam. Hactenus nihil dedistis, praestolabor ergo, quid sitis daturi in posterum.

Meliores, mi Comes, institutiones hermeneuticae donec *Mayerus* docuit, non habuimus eius *Interprete sacro* in nostris partibus, et haud dubie nec vos in vestris, ut ex multis conjecturam facio, quod ad publica scripta attinet. Si dubitas, tuos cum illo contende, ac si voles etiam Magistri Institutionum editionem primam, etsi Mayeri opere multo tardiorem, in quam effudit omnia, quae penus angusta habebat. Prolixum reperies in locis communibus, ubi sine fructu in scholasticis haeret: in rebus necessariis atque summis tam parcum et confusum, ut, quod nunc sit usui, frustra ibi quaeras, ut etiam in editione altera. In exegesi video libentissime versari; quia ubi haeret aqua in sensu literali, praesto est illico sensus mysticus, ut supra vidisti in prophetiis. Aliter haec omnia in *Mayero* sunt. Vide eius duo postrema opera in Matthaeum et Joannem *b*): sunt longioris et penitioris indaginis fructus, praesertim in Matthaeum, cui e Syriacis lumen accendit. Docuit cum laude, nec praemio donatus laborum ab literis recessit, donec haud multo prius, qua V. Capituli Linciensis praepositus diem clausit.

---

b) *Beiträge zur Erklär. des Evang. Matth.* Vien. 1818. et *Beiträge zur Erkl. des Evang. Joh. Linz* 1820.

Ut autem vestra de hoc viro temeraria judicia confundam, utque lectores intelligant, quam nihili vobis sit aliorum fama et publica existimatio, quamque nullo apud vos calumnia sit loco; ex praefatione in Matthaeum eius de hodierna adversariorum exegesi sensa ponam: „Ich gerathe, inquit, in meinen „Anmerkungen nicht selten mit den neuern Ausle-„gern in Streit. Es ist mir unlieb, dass ich so oft „einer andern Meinung seyn muss, als diese Gelehr-„ten sind; ich hoffe aber, man werde so billig seyn, „mir darum nicht Streitsucht Schuld zu geben. Ich „bin zu lebhaft davon überzeugt, dass die neuere „Art die heil. Schrift zu erklären unrichtig seye, uns „auf Abwege führe, als dass man mir zumuthen „könnte, dass ich dieselbe in dieser Schrift, welche „dazu bestimmt ist, zur richtigen Erklärung der heil. „Schrift beizutragen, nicht laut missbilligen sollte *c*)." Ecquid pudet calumniae? num desinetis tandem lacerare doctos viros? qui vos penitius norim, non mihi spes ulla est.

§. 259.

Jahnius demum, qui prae ceteris apud vos in deliciis est, ad eos pariter pertinet, „qui novum scribendi modum, novam excogitandi rationem de intelligentia Bibliorum tractarunt," ut ais pag. 99. Addis ibidem in nota 54. de eius introductione in libros v. foed, „*totus introductionem Eichhornianam secutus est.*" Ne quis autem praeclara unice secutum intelligeret, iam pag. 97. in not. 40. ad Eichhornium providus monuisti: „*Jahnius* antecessor Vindobonae, *qui illius errores secutus est*, perfectum opus vocat." Demum in nota priore 54. et hoc addis: „quamvis nonnulli professores recentiores in illius verba jurent, quos inter Canonicus Tumpacher, Professor Pestinensis: Jahnii tamen opus celebritate multum imminutum est." Quandonam tandem meliora doctus sapies, mi Comes? Toties te iam ad lutum deduxit Magister, et misere haerentem deseruit, tu tamen in praesens usque pergis lambere.

Jahnius ergo Eichhornii *errores secutus est.* Bone

---

c) Pag. V.

vir, unde id nosti? Germanici sermonis, quo doctissimus Eichhornius sua scripsit prope omnia, penitissime ignarus, quomodo huius opera legisti? Si alter hoc dixit, an in mentem non venerat, saepe talia dici aemulandi studio et livore? Aetatem tuam respice, juvenili jam levitate exemtam; conditionem cum dignitate; statum, literis, modestiae, virtuti peculiarius dicatum: tum urbis frequentiam, celebritatem, auctoritatemque eminentissimam, ubi ista scripsisti. An ista te non commonuerunt, ut, quae per te scire non poteras, in iis erga virum doctissimum, scriptae revelationis sine controversia e nostris vindicem eruditissimum, meritorum causa haud multo prius metropolitanum Canonicum, et in ecclesiae communione pie in domino defunctum; ne famae atque honori iniquissime praejudices, prudentius agendum fuisse et modestius? Si errores secutus est, errores proferri et jugulari oportuit: tu nullo prolato errore ipsam jugulas personam. Ubi ratio, ubi consilium, ubi conscientia, mi Comes? Tua vide tubera, qui in *Jahnio* nequicquam quaesivisti verrucas.

Neque prudentior es in *Tumpachero*: qui enim nihil unquam in publicum scripserit, nulla tecum conjunctione sit usus, obsecro, unde tu hominis sensum nosti? Magistrumne audiisti vel hodegum? profecto aequos judices, ut satis hactenus vidisti. Si noris hominem, procul abesse sentias ab illo Pythagoreorum: *ipse dixit*. Tenet is illud Socratis, plus honoris habendum non esse homini quam veritati: et illud Hieronymi: „nec iuxta Pythagorae discipulos praejudicata Doctoris opinio, sed doctrinae ratio ponderanda est *a*):“ nec secus ille in *Jahnium* ac Marcella olim erga Hieronymum, de qua scribit:“ Quum Romae essem, nunquam tam festina me vidit, ut non de scripturis aliquid interrogaret. Neque vere more Pythagorico quidquid responderam, rectum putabat; nec sine ratione, praejudicata apud eam valebat auctoritas *b*): sed examinabat omnia, et universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quam

a) Epist. ad Minerv. et Alex. Tom. 4. P. 1. p. 220.
b) Praef. in Comment. ad Gal. Tom. 4. P. 1. p. 222.

judicem." Hoc unum dico, e re tua fuerit, hominem nulli molestum non lacessere.

§. 260.

Nisi vos, mi Comes, qui in *Jahnium* conspirastis, insatiabile cacoethes aemulandi et maledicendi urgeret; nisi livor alias omnium rerum formas offerret oculis vestris: gratias ageretis divinae providentiae, quae literis catholicis hunc virum praestiterit hoc tempore, qui iisdem armis, ingenio et contentione revelationem vet. test. assereret, quibus hac aetate coepit impugnari; unaque disciplinae huius cultores iis praesidiis instrueret, quibus carere non possis, si animus est, in hanc arenam pari cum laude descendere. De Introductione illius, opere sane egregio, sed tibi inaccesso, tu judicare non potes. Magister ex munere judex, non potest probare, nisi damnat sua; fertque usus, paupertatem invidam esse opulentiae. Quid ergo mirum, si nil nisi mala videt, qui bona non quaerat, nec cupiat? In hac igitur, etsi per omnia egregius, in asserenda tamen *historica librorum veritate*, e qua pendet prodigiorum fides; et in *Prophetis*, quorum oracula, ut nosti, alterum revelationis fulcrum sunt, ita elaboravit, ut nullus hactenus catholicus tractator scripturarum; ut omnino tibi compatiar, mi Comes, qui hoc opus nec in germanico, nec in compendio latino possis legere, quod nemo, qui aequus rerum aestimator sit, sine voluptate legere potest.

Confer, mi Comes, Magistrum in utroque illo momentosissimo argumento, quibus divinae revelationis auctoritas unice superstructa est, et videbis, quam is aemulandi studio, istorum semper pauperrimus quaerat esse bonorum. *Historicae enim veritati* omnium vet. test. librorum non plane duas pagellas dicavit, supra §. 170 — 74. *Prophetis* nihil prorsus: ut adeo cum pia plebe historiam credatis et prophetas, illa asserere et vindicare, nihilo magis sciatis plebe pia. Supra §. 175 — 85. Tu ergo perge insultare *Jahnio*, quod per documenta coaeva sustulerit inspirationem *a*): perge fabulari cum Magistro, quod in

---

a) Pag. 104.

iis documentis unice fundet fidem historiae. Supra §. 232. Dudum vos confudit tractatus eius egregius de inspiratione, cuius Magister hodiedum ideam non habet, ut docui §. 135 — 69. Vos pergite ex ridiculo vestro *impulsu* et *flatu* contra incredulos per petitionem principii demonstrare historiam. Neoterici ex criticae principiis asserent, quibus omnis historiae nititur fides: Vos cum plebe pia coece credite vetustam narrationem; Neoterici eam et credunt et cum doctis demonstrant.

Haec vestra, mi Comes, imago est, haec institutio, haec vestra fides. Homines ridiculi! Prodigia unde habetis? ex historia? non certe, si rem satis tenetis: Historia enim facta narrat, quae ut prodigia sint, ratione conficitis, causalitatem altioris ordinis quaerentes. Si ergo qualitas factorum ex ratione petenda est, ut prodigiosa credatis, cur piaculum sit, ex ratione asserere historiae fidem, quae nisi per rationem asseri non potest? Qui ergo nondum prima critices elementa tenetis, quomodo in hac infantia Aristarchi, quomodo *Jahnii* judices esse possetis?

De Archaeologia, opere eruditissimo in 5 Tomis idiomate germ., dixi supra §. 230. E priori et isto exstat foecundum compendium sermone latino. Utrique si Magistri ejusdem generis labores conferre volueris aut praeferre, mancum atque distortum sceletum conferes, aut praeferes corpori vegeto atque florenti.

Vulgavit quoque, ut jam paucis dicam: *Grammaticam et Lexicon linguae hebraeae*, quod etiam in compendio egregie dives est notionum e linguis cognatis. *Elementa item Aramaicae*, seu Chaldaeo-Syriacae linguae, primum sermone germ. nuper in Latinum translata et aucta studio *Andreae Oberleitner*, Abbatiae s. Benedicti ad Scotos Presb. Capit.: de quo, si Superi servabunt, quod precor, nova disciplinae huius incrementa tibi, mi Comes, polliceor, non vanus augur. His accessit *Grammatica Arab.* germ. et *Chrestomathia Arabica*, *Lexicon* quoque *Arabico-latinum*, ab nativo Arabe probatum. *Biblia Hebraica* cum delectis variantibus e Kennicotto et Rossio; editio nitida. *Enchiridion hermeneuticae generalis* Vet. et Novi Test. Hoc uti et Introductionem latinam,

idiomate germ. paulo succinctius edidit vestro etiam judicio praestantissimus *Sandbichlerus*. Vid. §. 53. in Nota. Ductu horum praesidiorum, priori adjunxit *Appendices Herm.* seu exercitationes exegeticas. Fassic. 2. Demum, quod prope oblitus sum, jam 1793 *Introductionem* in Vet. Test. sermone germ. primum, quod sciam operum doctissimi viri, et quod post annos 9. secundis curis auctum, nunc in 4 tomis habemus.

Da mihi nunc e nostris scriptorem cuiuscunque voles aetatis, qui Vet. Test. tanta eruditione ornaverit, qui in philologicis, criticis, archaeologicis tanto ingenio et successu versatus sit, ut vides in *Jahnio*. Forte nosti docti Abbatis et Vicarii Generalis Viennensis in Gallia Du-Contant de la Molette notas in tres primos libros Moysis Tom. 9. in Psal. 3. et quae ad philologiam unice pertinent, Novam methodum tractandi scripturas, eiusque de linguis orientalibus et musica Hebraeorum tractatus, gallice primum, deinceps italice edita Venet. 784—88. Vir hic, mi Comes, a planta ad verticem suem, haram, hircum, capram olet, ut tuus mos dicendi est §. 202. Philologus egregius, et in versionibus conferendis indefessus, meritam laudem habet. An vero ad alia etiam contulerit operam, non vel fama percepi. Si contulit, magnus in nos fructus ex eo non redundavit, qui ferme penitus ignotus sit; cum *Jahnius* ex adverso utiliter omnium manibus teratur, nec eo carere possis, si ultra elementa progredi velis, nec adhibere tamen adversarios, quibus igni et aqua interdixit Magister. Ut paucis tibi dicam, vestra abibunt in vicum vendentem thus et odores, et piper et quidquid chartis amicitur ineptis, cum *Jahnii* honos recens adhuc stabit et integer. Quin imo, *Jahnii* direptis, vestra jam nunc usui sunt salsamentariis, aut inter tritas prostant subuculas, et calceamenta veteramentariorum.

Denique, mi Comes, qui e dictis hactenus videris, quid consilii ceperit Hodegus, quemnam sibi finem praestituerit Magister, quaenam artes viles atque fallaces adhibitae sint in subsidium, ut aliquo pacto efficerent, quod suasisset animus: ecquid pudet fiduciae, quam in illis locasti? obsequii, quod tri-

buisti? operae, quam in tam propudioso incepto consumsisti? An vides, ut tuae in his non aliae sint partes, quam instrumenti in manu opificis, quod ille agit et versat, ut poscit opus? Quid intenderat, quid quaesierat Hodegus? Quod res ipsa loquitur: illud nempe: *Roma Rescripta venerunt*, causa finita est. Haereses finxit Magister, Commilito auxit, applausit Hodegus, tu urbi denunciasti et orbi. Satis commode vobis divisa sunt locis et temporibus haec. Certe rem obtinuit Hodegus; Roma *Rescripta* venerunt, quum scripta inter nos, tu Roma ita rescripsisti, ut ambae nobis hodiedum tinniant aures ad tuorum boatus errorum calumniarumque.

Magistri minus recondita mens est; tantum non aperte et verbis conceptis, ne, quos fama ab eruditione extulit (Catholici sint, anne sint nihil interest) quisquam legere praesumat, imperat. Obscuros, ab re alienos, aut si placet, etiam ignotos, licet. De causa non est, cur labores: placet solum esse Magistrum, ut nostro plures non sunt orbi soles. Nihil novi sub sole, tum proximus quisque sibi est. Sed quam hoc mihi, quam multis adversum sit, vides. Metus est, mi Comes, ne piperi sit natum, quod ingratiis vestrum amborum, primum protrudere paro recens auctor. Quibus ergo jugum et compedes parat Magister, Hieronymum omni contentione sequemur, qui de id genus eruditionis portento scribebat: „Quia fulmen doctrinae tuae omnes tractatores ferre non possumus, et ingenii acumine perstringis oculos nostros, certatim opprimere te cupimus: ne si semel in scribendo obtinueris principatum, cunctis nobis, qui aliquid scire volumus, mutire non liceat *b*).“ Heus tu, Augustus, Tiberius, Iustinianus aliique, ne monopolia essent, legibus cautum voluere.

Commilito demum, quasi viae comes accessit Magistro, ne hic unus iret per ora intemeratus scriptor. In decade ergo haeresium, quae aciem Magistri fugerunt, suam in commune symbolam contulit adversus *Jahnium*.

---

b) Apol. advers. Ruf. L. 3. Tom. 4. P. 2. pag. 441.

Huic ergo te virorum, mi Comes, societati devinxisti; huic ad infamandos doctissimos scriptores, pudendo incepto, oporam commodasti; coece secutus consilium hodegi, cuius haud scio, facinus in te iniquius, an sibi probrosius sit, qui militiae expertem, tanto discrimini prima pugna te objecerit. In urbem, mi Comes, in qua scriberes, non in te, qui scribebas, intendisti. Illa laudi et probro ex aequo idonea, si recte, si docte scripsisses, fuerat ceteris opportunior ad gloriam: uti nunc, quum inscite atque indigne scripsisti, ad ignominiam tibi paratior infestiorque est. Experiri, mi Comes, prius pectus atque lacertos oportuit, pauloque modestior continuo sensisses, non tuarum esse virium dimicare hoc proelio, cui in te colophonem addere parabat Hodegus. Cur tu in hunc mentem oculosque diligentius non intendisti? Ille probe gnarus, quam parum hic posset, quam plena omnia discriminis essent, eminus vitato campo, longinquus proelium spectavit, te sui loco protrudens pugilem, quo alieno periculo vinceret, aliorum caede aut vulneribus triumpharet. Qui ergo tam avidus, tam incautus in pugnam procurreris; qui sine consilio invectus, in palustria deveneris sub caespite doloso: praestat te in hoc luto relinquere, dum opem ferat Magister aut Hodegus, nisi et his aliena magis erit opus, quam expeditum, suam tibi commodare.

* * *

§. 261.

Haec hactenus: pauca addam, quae te tuosque, mi Comes, nolim ignorare. Non diffiteor, esse in superioribus, quae non probetis, et quae palam proferre, in mediis licet injuriis, meus quoque diutissime animus refugit, donec vestra importunissima instantia (supra §. 10 et 11.) a me reluctante extorsit. Nihil actum temere, expensa sunt singula, atque illud etiam quaesitum studio, si qua forte ad demulcendos animos vestros lenior pateret accessus, malo opportunus, vobis non molestus, mihique sine inutili sumtu et labore. Sed vicistis omnem conatum meum. Naenias enim vestras revincere, vobis decedere eminus, omnem ansam praecidere: nihil ad le-

nimen mali, nihil ad concordiam profuit. Praevideram, qui multa experientia et longo tempore compertum haberem, vobis non fidei integritatem, non incrementa literarum, nec commoda vestrorum esse curae: sed vetus quoddam, invidia aemulandique studio in personas conceptum animis vestris odium inhaerere; aliorum incitatione nutriri; multaque exercitatione in dies valescere. Visum est ergo in tanto hoc morbo vestro, medicorum sequi exemplum, quibus in cauterio salutare non raro perfugium fuit. Hoc vobis miseratione magis quam odio adhibeo, spe fretus, si hunc a vobis morbum depulero, eo vos animo futuros, quo aegri grati esse solent in medicum, qui necessitate durus, sanitatem reddidit. Liceat ergo iam vos affari palam, quibus privata non profuerunt. Vestram capello fidem, vestram conscientiam contestor, verene vobis *Jahnius*, *Mayerus*, *Ariglerus*, *Baborius* 'etc. haeretici sunt? Verene tam impii atque projecti „*qui sub respectu novarum interpretationum sacrae scripturae, naturalismum evulgare, ac revelationis ideam delere conentur* a)? Dicite, quod quaero: neque enim tam seu hebetes estis, qui eius criminis non videatis magnitudinem et naturam; seu accusando iam ita occaluistis, ut non quandam saltem aequi justique a natura inditi vobis sensus partem retineatis. Si ea sedit persuasio, allatis eorum dictis impietatem doceri oportuit, ut ego mea de vobis judicia, vestris prolatis, liquido demonstravi lectori, ut si ulla mihi in proferendis apud eum fides est, non ille a mente vestra aberrare, nec ab meis dissentire judiciis possit. Quid autem hactenus ultra quaestiones criticas, aut exegeticas, quibus nihil cum fide commune est, protulistis? Si quid vero gravius, id omne a vobis corruptum aut fictum esse, aperte docui per singula Qua in re haud scio, temeritatemne, an coecitatem magis mirer Commilitonis, qui post Jahnii quoque ad se datam epistolam, qua omnem etiam suspicionem haeresis a se depulit, et contraria a se tradi citatis *Enchiridii* locis indicavit: non modo eadem petulanter ingerere perrexerit, sed eam ipsam epistolam, suarum calumniarum testem et vin-

---

a) Diss. Rom. Inscriptio.

dicem, in fronte posterioris opusculi locaverit. Supra §. 122.

Haec dum impudentius in dies fieri a vobis tacitus expendi, vidi satis, nullum fore calumniarum vestrarum modum, nec cuiusquam a vestra maledicentia famam aut religionem in tuto futuram, nisi tandem aliquando de vestra perfidia et vilissimis artibus palam constaret. Quod fieri permagni refert, mi Comes, quod sic quies animique tranquillitas omnibus revehetur, quos ingestae artibus vestris suspiciones turbaverunt. Viris quoque doctis sic honor reddetur suus, quem vestris calumniis non meruerunt amittere: vos demum ea fidei sinceritatisque opinione excidetis, qua tam turpiter hominibus illusistis hactenus, et quam porro ad infamiam aliorum retinere non meremini. Ingentia haec sunt in publicum et in vos commoda. Si enim pergetis easdem frequentare artes etiam in posterum, amissa fide innoxii eritis: si sapietis, quantum honori, tantum saluti quoque vestrae consuletis.

Haec ut assequar, pauca a vobis postulo, vel si aequum est oro. *Primum* illud: *ne quae scholae sunt et eruditionis, illis errore aut studio fidei illinatis speciem.* Mirum enim quantum et ad profectum vestrum, et ad institutionem aliorum facit, notos habere limites, quos ultra citraque nequeat consistere rectum. Fidem retinere immotam, iustum et pium, ac *Neotericis* quoque sanctum est. In ceteris, ut Augustinus, et res ipsa postulat, libertatem date. Hoc unum si fuisset curae, mihi laborem, aliis sollicitudinem, vobismet praesentem compendii fecissetis ignominiam. At libuit hactenus susque deque vertere omnia, quo suspicionem aliis, aliis metum, eundem errorem omnibus afferatis. Fateor, ita iam vobis semel haec impostura cessit e voto, ut parum absit, quin vobis partam tanto ingenio, tam egregio facinore gloriam, invideam.

Alterum: Errores detestemini, cum his belligerate, personas mittite, quarum non nomina, sed argumenta fraudi esse possunt imperitis. In hoc praecipuum vestrum vitium est; quod ita ostendistis palam, ut qui paulo attentius vestra consideret, non zelo fidei, non

pietatis studio, sed aemulatione atque odio vos agi in omnes, quorum ab eruditione publica laus est, liquido intelligat. Id enim nisi est, obsecro, cur Commilito tuus, mi Comes, *Jahnium* ad haeresim invitum rapit? (§. 122.) Cur Magister tuus, cur tu ipse eius exemplo, ad corruptiones et mendacia vos recepistis? Hoccine est docere, quid *Jahnius* aliique sentiant? et non potius fallere lectores, ut non quod illi sentiunt, sed quod eos sentire vos avidissime cupitis, utque vestra interest, iam incohaerentes et rudes, iam impios atque incredulos persuadeatis? Unde autem vestrae illae suspiciones iniquissimae, si non ex hoc fonte manaverunt? In Nabuchodonosore amentiam, an metamorphosim; in Philistaeis haemorrhoides, an solpugam fatalem; in libro Josuae, auctorem gestis coaevum, an tardiorem e documentis coaevis scribentem defendas, quid, obsecro, his et aliis quae attuli, cum fide et religione commune est? Cur ergo e talibus continuo intulistis: qui amentiam, qui solpugam, et tardiorem Josuae defendat auctorem, eum nec prodigia credere, nec historiam? An, dum sic agitis, praesidium veritati, et non magis odium personis quaesivistis? Conf. §. 243. 227. 231 — 35.

Addam quoque illud tam temerarium, quam vile inventum, quo Catholicis aeque ac Protestantibus commune *Neotericorum* nomen imponitis. Quae vobis hic mens, quae exspectatio fuit? Nonne ut in communi nomine, doctrinam omnium parem, incredulitatem consimilem, et placitorum perniciem aequalem lector statueret? Assecuti estis: quam multis haesitationem, quam multis ita anxiam curam injecistis, ut prae horrore rigeret capillus? Novi ego virum, non vacuum in ceteris, in hoc tamen genere minus exercitatum, qui de fide inter nos palam conclamatam stupuit, quoniam, quae sub *Neotericorum* nomine de recentioribus Protestantibus retulistis adversus revelationem molimina, id totum ex nominis coniunctione Catholicis quoque esse commune, vestra deceptus fallacia existimavit. Nimis, o viri, sensum vestrum, et qui vos animat, spiritum ostendistis. Non haec digna literatis, vestra autem etiam indignissima sunt conditione. Nulla vera laus

est, quae non pullulet de radice veritatis et virtutis.

Tertium: procul absistite a calumnia et criminationibus. Iustum postulatum est, o viri, etsi non vacat probro, iure id a vobis per me postulari. Est enim prope supra fidem, ab literatorum certe moribus longe remotum, ut tres scriptores, aetate, conditione, regionibus seiuncti atque discreti, eodem tempore. uno ore, tam propudioso flagitio in proscindendis iisdem summis viris sese devinxerint Atque hoc illud est, quod me ad accumalanda id genus exempla permovit. Vidi enim, nisi ea copia, eaque perspicuitate dedissem, ut mutire nihil possetis, vos, quae vestra temeritas est, effugium undique quaesituros, et violenta quavis ratione aliquid ad speciem reperturos esse, quo accusationem gravissimam, quam vobis intentassem, quoquo modo tandem in caput meum devolveretis. Hoc ego eo facto cavi, et diligentius cavi, quia hoc tempore, in hoc negotio vix satis cavet, etiam qui maxime cavet. De eo ergo vobis nunc mecum convenit, vos esse calumniatores. Id restat, ut sciam, expertemne criminis dicatis calumniam, an, qui frequentet, reus sit criminis? Non exspecto responsum, quidvis dicatis, reos vos esse flagitii in aperto est. Vetitam enim divinis humanisque legibus calumniam, nec plebecula rudis ignorat, eoque in hac etiam abominationem habet hoc crimen, ut, quamvis ex iniuria subitoque affectu in illud raperetur, detestandum putet et reparandum quoque. Nunc vos videte: *Iahnium*, *Mayerum*, *Davidem Michaëlis* aliosque, nunquam vidistis; nullus horum verbo vos unquam laesit, quos et nomina vestra latebant. Dum ergo in hos non repentino aliquo motu, sed studio et meditato consilio tam tetras et multiplices calumnias contulistis: dum adeo nulla reparandi alieni honoris cura vos tangit, ut etiam agnitas mendacio obvolvatis (§. 243.): oro vos, ad plebem comparati, quo loco estis? Propudium!

Si humanae divinaeque literae nihil ad mitigandos animos, nihil ad vitae honestatem vobis contulerunt: si fomitem potius aemulandi admoverunt cupiditati vestrae, ut quos ingenio, eruditione, meritis

immensum antecessisse videretis, propudiosis artibus obscurare, e mente manibusque hominum tentaretis excutere: maledicite horae, licet, quam alphabeto primum insumsistis. Quin vos advertitis, non omnibus quinque data talenta, et qui in binis rite defunctus sit, non minus laudari altero? Quin expenditis, si justum est scelere grassari ad gloriam, illud longe esse iniquissimum, in detrahenda ex aliis laude versari, quam literae, virtus et merita veram solidamque illis pepererunt? Compatior corrupto judicio vestro, qui flagitio aeque atque virtute in eiusdem gloriae participationem pervenire vos posse arbitremini.

Quartum: Publica censura, censorumque fiducia abuti tandem desinite. Legibus, judiciis, vigilantia provisum est, ne, si cuiquam libeat, alienos obolos compilet palam atque impune. Vestrone ergo relictum sit arbitrio, utcunque erit libitum, alienam commaculare famam, proscindere ficto crimine, et publice contegere probris? Non sic, o viri; nondum ea vivimus tempora, quibus ingenio, labore, sumtu, meritisque partus honor civium, vilior sit aliquot obolis, non impune tollendis palam. Provisum est suprema auctoritate inducta censura, ne virtute quaesitum nomen et existimatio, criminationibus pateant malignorum. Sed ut video, atque etiam experior, haec tam nihil ad vos attinet, ut, qui non satis vos norit, in suspicionem venire debeat, solis vobis calumniandi privilegium datum, adeo illud ipsum, quod ad famae nominisque securitaten constitutum est, vestrae opitulatur nequitiae, etiam dum nihil vulgatis, nisi quod publica prius censura probavisset. Quod ergo a facinore excludit alios, id vobis praesidio est, ad facinus sine metu et pudore patrandum: quod alios retrahit, id vos tanto vehementius allicit, ut in obvios quosque illimitata licentia grassemini, quicunque nominis celebritate vestram irritassent ambitionem et livorem. Nae vos acute vidistis, quomodo insultandum legibus, quomodo fallenda esset vigilantia censorum. Dicam ergo vestrae nequitiae mysterium, quod iam publicam attentionem excitat, et iustam indignationem plurimorum.

Nullus censorum est (sine invidia sit dictum), qui philosophicas, qui theologicas disciplinas (idem

enim in utrisque censor est), ita praesentissima mente teneat, ut quid in unaquaque, et speciali quovis eius argumento, praecipui quique domestici et extranei, nostri et adversariorum quoque sensissent scriptores, in numeratis habeat. Est ergo necesse, ut quanto restrictior est per singula istorum notitia censoris, eo plus fidei adhibeat, quem dijudicat, scribenti, ubicunque hic non suam, sed tamquam historicus alienas profert sententias: nisi forte, quod praeter officii rationem, atque etiam supra vires est, citata singula in omnibus indaget scriptoribus, quoscunque censendus auctor in opere adduxisset. Hic ergo est, mi Comes, illa fraudis palaestra, in qua tui Commilitones suas assidue vires exercent: hic amplissimus campus fallendi ut lubet. Jam enim aliorum verba truncantur; iam e contextu divulsis devius obtruditur sensus; iam proiecto pudore monstrosae finguntur sententiae, quas viri illi nunquam docuerunt: sicque errorum monstris onusti offeruntur palam lectoribus, miserumque in modum lacerantur summi quique Catholici scriptores. Hic iam, nisi omnia animo complectitur, quae in utroque genere studiorum scripta sunt, aut singula suis locis exquirit, quae commemorantur: annon quemque deludi censorem necesse est, eoque adduci, ut inscius vestras sua confirmet auctoritate calumnias? Compatior viro, quem vestrae nequitiae cogatis servire ad infamandos alios, quoniam togae vestrae id tribuit honoris, ne praeiudicata sententia mendaces vos credat et impostores.

Magna est, fateor, vestra auctoritas, tam eminens dominium, ut omnium scriptorum honor, fama, merita in vestro posita sint arbitrio. Eo rem adduxistis vestra impudentia, ut, qui vos nunquam laeserint, ac ne viderint quidem, si libitum est, luto petere possitis in compitis, volvere atque pervolvere in lacuna coenosa, legum publicarum tutela securi. Per vos stat, ut hodie Catholicus, missa pagella volante, quod facitis, cras sit haereticus aut Naturalista incredulus; idem anno vertente, sodale vestro Romano buccinante in Vaticani foro, aut si superest, in Capitolio. Fecistis ergo vestra virtute, ut literarum cultores, alienis magis commodis viventes, quam suis,

in medio reipublicae degant extorres, legis praesidio exuti, odio publico traditi, et ad vestras injurias impune projecti. Videte, ne montium sylvarumque solitudo civili vestra conjunctione potior sit, et magis expetenda.

Sed ne quid contumeliarum abesset, haeresibus convicia iunxistis; inspectisque cordium secretis, et divini judicii exploratis arcanis, probe nostis, *Neotericos „plenos esse omni dolo et fallacia, filios diaboli, inimicos justitiae, servos peccati.“* (Supra §. 11.) Superest, ut pro quibus publicam confessionem edidistis, eisdem pari commiseratione etiam poenitentiam in salutem injungatis; nisi forte in cacodaemones et satanae antistites eos deinceps vertere mavultis, cum huius generis voces inter vos non inauditae sint.

Haec hactenus de personis privatis. In quo autem falli posse censorem non speravistis, Roma provisum est. Quas enim vos in scriptores contulistis calumnias, sodalis vester pro sua altissima prudentia ad Austriae imperium transtulit, in quo: *„Religio divina consideranda venit ut humanum politicumque systema, quod cogitationibus hominis, variationibus gubernii ac partium negotiationibus subjicitur. Ubi, proh Deum immortalem! fides a laicis pendet, a consultationibus fori, a regnorum senatu, et optimatibus firmamentum repetit b).“* (Supra §. 202 — 203.) Non poterat hic homo simplicius calumniam impingere episcopis. Sed de his dictum satis. Beasti autem nos, mi Comes, qui nec *asperitate regionis* nostrae, nec nostrorum *segnitie* territus *animorum* (supra §. 206.), paucos intra annos tertium iam tui spectandi copiam nobis feceris. Fama est, in magno comitatu novarum dissertationum advenisse te. Benigne: sic enim tarditati nostrae subvenis, literas provehis, academiam ornas, tuaeque una consulis seu crumenae seu gloriae. Ita sapientis semper fuit, quam plurima in eadem re commoda quaerere. Si Hodegum bibliopolam tuum, sollicitum, ut audio, tenet morositas emtorum (non enim semper sua meritis laus est), tu mihi fac copiam, qua vehementius accensam rerum

b) Libr. 3. adv. Ruf. T. 4. P. 2 p. 441.

tuarum sitim in me ocius possim exstinguere, eosque in communis laetitiae partem vocare, qui eorum, quae a te profecta sint, non mediocri tenentur desiderio. Si res tulerit, nec tua vetuerit modestia, ut dignam factis laudem recipias, operam dabo.

His vestra in omnes licentia, vestrorumque ferocia animorum, velut cauterio salubriter mitiganda videbatur, quod sic poscebat legis sanctimonia, quam indigne proculcastis: iniuria censoris, quem turpiter decepistis: securitas publica, ne ut a praedonibus viatorum facultates, sic doctorum a vobis merita, fama, existimatio, porro diripiantur: honor patriae et nationis, ne calumniatorum conjurata societas inter nos privilegium impunitatis habere videatur: offensio publica, cui satisfactio debebatur: metus contagionis, ne vestro exemplo alii idem sibi licere arbitrarentur: summa denique indignitas, qua immemores conditionis, vos statumque vestrum prostituistis. Atque haec, quae ut scriberem inpraesentia impulerunt, impellent deinceps quoque, ut, si mendaciis, corruptionibus et calumniis rem vestram agere pergetis, ego pariter super iisdem flagitiis vos aliosque pergam commonere. Scribite quod lubet, sed perfide scribere, tam vobis non expedit, quam literarum cultoribus ipsisque literis propudiosum est. Vestri me miseret, viri, qui in tam abjectis remediis obscuritati vestrae quaeratis splendorem: in tam pudendis artibus paratum ad gloriam praesidium existimetis.

Vos igitur magisterium religionis professi, eam etiam scribentes exprimite, nec, ut ait Hieronymus, maledicere omnibus, bonae conscientiae signum arbitremini.

04176


UNIVERSITY OF CHICAGO
56 504 982